DISSERTATIO HISTORICA DOGMATICO-MORALIS IN BULLAM S. CRUCIATÆ

Neapolitano huic Regno concessam

IN QUA

Facultates, Indulta, & Concessiones per Apostolicam Sedem nobis impertita enodantur, illustrantur, atque ad vivum resecantur:

Ubi & plura sparsim interjecta occurrunt de Facultatibus, & Privilegiis concedi solitis per

BULLAS JUBILAEI.

In hac Editione primum plurimis Additionibus ubique locupletata

Cui etiam nunc accessere Sapientissimæ Responsiones, & Resolutiones Eminentissimi nostri Commissarii in plures Quæstiones ad eamdem Bullam pertinentes adhibitæ Ordine digestæ Auctore C. V. Canonico Insignis Collegiatæ S. Joannis Majoris.

EDITIO ALTERA

Priori Emendatior

In duos Tomos Distributa

TOMUS I.

Excudebat Publica Auctoritate, suisque Expensis Cajetanus Castellano.

NEAPOLI ANNO MDCCXCIII.

Si prudens, & diligens mercator es, si conquisitor hujus sæculi, magnas quasdam tibi nundinas indico, vide; ne pereant. Suscipe Crucis Signum, & de omnibus pariter, de quibus corde contrito confessionem feceris Indulgentiam obtinebis. Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam uber Indulgentiæ tempus. Divus Bernardus *Epistol.* 322. *ad Spirensem. Clerum, & Populum* aut 363. ex recensione facta per Mauri- nos Patres.

JOSEPHO MARIÆ
CARDIN. CAPYCIO ZURLO

Archiepiſcopo Neapolitano Commiſſario Generali S. Cruciatæ Neapolitanæ &c.

EMINENTISS. PRINCEPS

Magiſtrae hominum litterae Tibi pluribus nominibus obſtrictae videntur ; etenim homines litterarumlaude præcellentes & peramanter excipis, & colis, & muneribus cumulas, eorumque litterarios labores

Tuo ſub numine libentiſſime pateris collocari. Quae quidem omnia a Te idcirco fieri quivis dixerit, tum quia tuopte ingenio litterarum amantiſſimo ad ea duceris; tum etiam eo ſapientiſſimo conſilio, ut adoleſcentioribus calcaria addantur ad hujuſmodi ſtudia avide arripienda, atque alacriter proſequenda; quibus exculti, & Eccleſiae bono, atque publicae utilitati poſſint aliquando prodeſſe, ac praeterea apud magnos, ſublimeſque viros in pretio eſſe, atque in honore haberi. Haec porro cum animo mecum reputarem, in cauſſa fuere, cur ad pedes Tuos, paullo, ut ita dicam, impudentius auderem accedere; quin purpurae Tuae ſplendor, oris majeſtas, atque nominis Tui celebritas deterrere inde potuiſſet; ac meum iſthoc exigui laboris penſum ſubſecivis horis, levidenſe licet ac craſſo filo deductum, Tuo nomini nuncupare. Huc acceſſit & quaedam veluti juſtitiae ratio, quae id omnino expoſcebat. Cum enim Tu Apoſtolico Oraculo Commiſſarius Bullae noſtrae S. Cruciaـ

cia-

ciatae fueris declaratus; libellum istum, ab eo praesertim exaratum, qui pluribus abhinc annis in tuo Archiepiscopali Lyceo stipendia meruit, qualiscumque pretii ille sit, qui totus in eo occupatur, ut Privilegiis, Concessionibus, ac Facultatibus nostrae Bullae lucem non modicam pro virili affundat, non alia ratione publicae lucis usura illum potiri oportebat, quam Tuo numine, & auctoritate obumbratum. Quod si secus factum fuisset, praeter regulam justitiae quivis actum merito accusare potuisset. Equidem Tu ad hanc illustrem Metropolim paucis abhinc annis translatus, & communi omnium nostrum gratulatione, tanquam de caelo demissus ab omnibus exceptus, Apostolici praecepti memor; providens *non coacte, sed sponte secundum Deum*, neque, ut dominans in Clero; sed *forma factus gregis ex animo*, huic insigni Clero, ceteris omnibus, Apostolico etiam judicio ad imitationem proposito, non solum praefulges modestia, animi demissione, sanctissimarum legum custodia,

temperantissimae vitae ratione, vigili Tui gregis cura, ceterisque pastoralibus virtutibus; praeter praeclara Tuae magnificentiae monumenta omnium oculis proposita; sed etiam sapientissime providisti, ut per disertissimos Viros de hoc argumento scriberetur, quo Bullae Cruciatae Neapolitanae facultates, indulta, concessiones, Regis nostri providentia, & Apostolica benignitate nobis impertita, discussa, enodata, illustrata omnium nostrum & captui, & usui essent accommodatiora. Quibus omnibus ego, omnium ultimus, atque infimus accessi, etiam Te volente, tentans si quid conando possem extundere, quod carissimis meis Civibus, atque Commilitonibus esset hac in re profuturum. Qua quidem in re, quantum emolumenti tum Sacramenti Paenitentiae Administratoribus, tum ceteris Incolis hujusce nostri florentissimi Regni, per Te fuerit importatum, nemo omnium est, quin persentiscat. Ipsa siquidem Privile-

gia

gia inibi concessa, hujusmodi sunt, uti patet, ut minus recte intellecta detrimento potius, quam emolumento, aut saltem modico usui essent futura. Quare, haec te, pro Tua sapientia, curasse, non ultima Tibi laus erit. At si de Tuis laudibus dicere vellem, quam multa, quam magna possem! Silere tamen jubet & meae tenuitatis conscientia, & tantae virtutis amor in Te effulgens; cui vereor, ne Tuarum laudum praeconia recensendo, infestus, atque invisus accedam. Nihil enim tam invisum humilitati, quam laus. Hoc tamen exiguum munusculum, mei erga Te obsequii testem perennem, hilari Te, benignoque vultu fore excepturum, ac in Tuam fidem illud recepturum, quae Tua humanitas est, non temere mihi polliceor, ac recipio. Nolim itaque Te gravissimis curis distentum longiori sermonis ambage detineri. Quapropter Tibi plurimos annos adprecatus, quo gregi Tibi commisso magis ac magis prodesse

desse possis, ac sacrae Purpurae fimbriam reverenter exosculatus, dicor.

Eminentiae Tuae

Obsequentissimus Famulus
Gajetanus
Canonicus Vella.

Admodum Rever. Dom. D. Aloyſius Elefante revideat, & in ſcriptis referat. Die 27. Julii 1788.

A. Bucci Ep. Orthoſiæ Vic. Gen.
Joſeph Roſſi Can. Deputatus.

Licet nonnulli Cruciatae Bullæ enucleandae insudarint Theologi; nemo tamen, quod ſciam, exſtitit, qui accuratius, eruditiuſque hanc ſpartam exornandam ſuſceperit, quam Auctor Opuſculi, cui titulus: *Diſſertatio Hiſtorica Dogmatico-Moralis in Bullam S. Cruciatæ huic Neapolitano Regno conceſſam.* Illud namque cum juſſu tuo, Princeps Eminentiſſime, perlegerim, eo in primis ſpectat, ut Sacramenti Poenitentiae adminiſtratoribus tutior, faciliorque via muniatur ad rectum, quae in Bulla jam dicta continentur, facultatum uſum; atque hinc apprime parat, quae erudiendis, edocendiſque fidelibus inſerviunt, ut cum temporalia, tum vero ſpiritalia commoda, nobis per Cruciatae Bullam impertita in ſe ipſi derivare poſſint. Quae hanc in rem politiores ſparſim delibarunt Theologi, hic evoluta, miro ordine digeſta, ac ſolidiſſimis firmata argumentis occurrunt. Quare cum omnia mire conſentiant Eccleſiae Catholicae inſtitutis, e re Chriſtiana eſſe,

esse censeo, si typis mandari praecepe-ris. Datum Neap. die 20. Septembris an. 1788.

Humillimus, ac devinctissimus famul
Aloysius Elefante.

Attenta Relatione Domini Revisoris imprimatur. Datum Neapoli die 5. Jan. 1788.

A Bucci Ep. Orthosiæ Vic. Gen.
Joseph Rossi Can. Dep.

Canonicus D. Salvator Rogerius in hac Regia Studiorum Universitate Professor Primarius interinus revideat autographum enunciati Operis, cui se subscribat ad finem revidendi, ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium ordinum, & in scriptis referat, potissimum si quidquam in eo occurrat, quod Regiis Juribus, bonisque moribus adversetur. Ac pro executione Regalium ordinum idem Revisor cum sua relatione ad nos directe transmittat etiam autographum. ad finem &c. Datum Neapoli die 26. mensis Julii 1788.

POTENZA.

S. R. M.

S. R. M.

QUæ Tua summa est, ac sollertissima cura, Celsissime Rex, in subditorum felicitate procuranda, in commercii præsertim maritimi securitate stabilienda, in mercaturæ opibus augendis, ac tandem in Catholica Religione tuenda ac propaganda; ipsa quidem Te impulit, ut Cruciatae, quam vocant Bullam in hoc Tuo Regno promulgari satageres. Cum vero Privilegia atque Indulgentiae, quae Pontificia largitate per hujusmodi Bullam fidelibus impertinuntur, Theologorum opinionibus bona ex parte teneantur, præclare operam suam posuisse videtur non ignobilis hic, & eruditus Scriptor, qui facili & perpetuo commentario illam sibi sumsit illustrandam: & quod caput est, ad reles quae Moralis Theologiae normam plenam hujusce rei tractationem exegit. Huc igitur spectat præsens libellus, ut facilis via conscientiarum moderatoribus paretur, quo se a perplexis quaestionibus extricent, & bono consulant eorum, qui hujusmodi Bullae nomen dederint; quamobrem tuis sapientissimis consiliis velificatur, tuorumque subditorum commodis ille prospicit. Itaque illum typis edi posse censeo, præsertim cum nihil in eo deprehendere mihi licuit, quod

sa-

Si prudens, & diligens mercator es, si conquisitor hujus sæculi, magnas quasdam tibi nundinas indico, vide; ne pereant. Suscipe Crucis Signum, & de omnibus pariter, de quibus corde contrito confessionem feceris Indulgentiam obtinebis. Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam uber Indulgentiæ tempus. Divus Bernardus *Epistol.* 322. *ad Spirensem Clerum, & Populum* aut 363. ex recensione facta per Mauriinos Patres.

JOSEPHO MARIÆ
CARDIN. CAPYCIO ZURLO

Archiepiſcopo Neapolitano Commiſſario Generali S. Cruciatæ Neapolitanæ &c.

EMINENTISS. PRINCEPS

MAgiſtrae hominum litterae Tibi pluribus nominibus obſtrictae videntur; etenim homines litterarum laude præcellentes & peramanter excipis, & colis, & muneribus cumulas, eorumque litterarios labores

Tuo ſub numine libentiſſime pateris collocari. Quae quidem omnia a Te idcirco fieri quivis dixerit, tum quia tuopte ingenio litterarum amantiſſimo ad ea duceris; tum etiam eo ſapientiſſimo conſilio, ut adoleſcentioribus calcaria addantur ad hujuſmodi ſtudia avide arripienda, atque alacriter proſequenda; quibus exculti, & Eccleſiae bono, atque publicae utilitati poſſint aliquando prodeſſe, ac praeterea apud magnos, ſublimeſque viros in pretio eſſe, atque in honore haberi. Haec porro cum animo mecum reputarem, in cauſſa fuere, cur ad pedes Tuos, paullo, ut ita dicam, impudentius auderem accedere; quin purpurae Tuae ſplendor, oris majeſtas, atque nominis Tui celebritas deterrere inde potuiſſet; ac meum iſthoc exigui laboris penſum, ſubſecivis horis, levidenſe licet ac craſſo filo deductum, Tuo nomini nuncupare. Huc acceſſit & quaedam veluti juſtitiae ratio, quae id omnino expoſcebat. Cum enim Tu Apoſtolico Oraculo Commiſſarius Bullae noſtrae S. Cruciae-

ciatae fueris declaratus; libellum istum, ab eo praesertim exaratum, qui pluribus abhinc annis in tuo Archiepiscopali Lyceo stipendia meruit, qualiscumque pretii ille sit, qui totus in eo occupatur, ut Privilegiis, Concessionibus, ac Facultatibus nostrae Bullae lucem non modicam pro virili affundat, non alia ratione publicae lucis usura illum potiri oportebat, quam Tuo numine, & auctoritate obumbratum. Quod si secus factum fuisset, praeter regulam justitiae quivis actum merito accusare potuisset. Equidem Tu ad hanc illustrem Metropolim paucis abhinc annis translatus, & communi omnium nostrum gratulatione, tamquam de caelo demissus ab omnibus exceptus, Apostolici praecepti memor; providens *non coacte, sed sponte secundum Deum*, neque, ut dominans in Clero; sed *forma factus gregis ex animo*, huic insigni Clero, ceteris omnibus, Apostolico etiam judicio ad imitationem proposito, non solum praefulges modestia, animi demissione, sanctissimarum legum custodia,

temperantissimae vitae ratione, vigili Tui gregis cura, ceterisque pastoralibus virtutibus; praeter praeclara Tuae magnificentiae monumenta omnium oculis proposita; sed etiam sapientissime providisti, ut per disertissimos Viros de hoc argumento scriberetur, quo Bullae Cruciatae Neapolitanae facultates, indulta, concessiones, Regis nostri providentia, & Apostolica benignitate nobis impertita, discussa, enodata, illustrata omnium nostrum & captui, & usui essent accommodatiora. Quibus omnibus ego, omnium ultimus, atque infimus accessi, etiam Te volente, tentans si quid conando possem extundere, quod carissimis meis Civibus, atque Commilitonibus esset hac in re profuturum. Qua quidem in re, quantum emolumenti tum Sacramenti Pœnitentiae Administratoribus, tum ceteris Incolis hujusce nostri florentissimi Regni, per Te fuerit importatum, nemo omnium est, quin persentiscat. Ipsa siquidem Privilegia

gia inibi concessa, hujusmodi sunt, uti patet, ut minus recte intellecta detrimento potius, quam emolumento, aut saltem modico usui essent futura. Quare, haec te, pro Tua sapientia, curasse, non ultima Tibi laus erit. At si de Tuis laudibus dicere vellem, quam multa, quam magna possem! Silere tamen jubet & meae tenuitatis conscientia, & tantae virtutis amor in Te effulgens; cui vereor, ne Tuarum laudum praeconia recensendo, infestus, atque invisus accedam. Nihil enim tam invisum humilitati, quam laus. Hoc tamen exiguum munusculum, mei erga Te obsequii testem perennem, hilari Te, benignoque vultu fore excepturum, ac in Tuam fidem illud recepturum, quae Tua humanitas est, non temere mihi polliceor, ac recipio. Nolim itaque Te gravissimis curis distentum longiori sermonis ambage detineri. Quapropter Tibi plurimos annos adprecatus, quo gregi Tibi commisso magis ac magis prodesse

desse possis, ac sacrae Purpurae fimbriam reverenter exosculatus, dicor.

Eminentiae Tuae

Obsequentissimus Famulus
Gajetanus
Canonicus Vella.

Admodum Rever. Dom. D. Aloysius Elefante revideat, & in scriptis referat. Die 27. Julii 1788.

A. Bucci Ep. Orthosiæ Vic. Gen.
Joseph Rossi Can. Deputatus.

Licet nonnulli Cruciatae Bullæ enucleandae insudarint Theologi; nemo tamen, quod sciam, exstitit, qui accuratius, eruditiusque hanc spartam exornandam susceperit, quam Auctor Opusculi, cui titulus: *Dissertatio Historica Dogmatico-Moralis in Bullam S. Cruciatæ huic Neapolitano Regno concessam.* Illud namque cum jussu tuo, Princeps Eminentissime, perlegerim, eo in primis spectat, ut Sacramenti Poenitentiae administratoribus tutior, faciliorque via muniatur ad rectam, quae in Bulla jam dicta continentur, facultatum usum; atque hinc apprime parat, quae erudiendis, edocendisque fidelibus inserviunt, ut cum temporalia, tum vero spiritalia commoda, nobis per Cruciatae Bullam impertita in se ipsi derivare possint. Quae hanc in rem politiores sparsim delibarunt Theologi, hic evoluta, miro ordine digesta, ac solidissimis firmata argumentis occurrunt. Quare cum omnia mire consentiant Ecclesiae Catholicae institutis, e re Christiana esse,

esse censeo, si typis mandari praeceperis. Datum Neap. die 20. Septembris an. 1788.

Humillimus, ac devinctissimus famul
Aloysius Elefante.

Attenta Relatione Domini Revisoris imprimatur. Datum Neapoli die 5. Jan. 1788.

A Bucci Ep. Orthosiæ Vic. Gen.
Joseph Rossi Can. Dep.

Canonicus D. Salvator Rogerius in hac Regia Studiorum Universitate Professor Primarius interinus revideat autographum enunciati Operis, cui se subscribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium ordinum, & in scriptis referat, potissimum si quidquam in eo occurrat, quod Regiis Juribus, bonisque moribus adversetur. Ac pro executione Regalium ordinum idem Revisor cum sua relatione ad nos directe transmittat etiam autographum. ad finem &c. Datum Neapoli die 26. mensis Julii 1788.

POTENZA.

S. R. M.

S. R. M.

QUæ Tua summa est, ac sollertissima cura, Celsissime Rex, in subditorum felicitate procuranda, in commercii præsertim maritimi securitate stabilienda, in mercaturæ opibus augendis, ac tandem in Catholica Religione tuenda ac propaganda; ipsa quidem Te impulit, ut Cruciatae quam vocant Bullam in hoc Tuo Regno promulgari satageres. Cum vero Privilegia atque Indulgentiae, quae Pontificia largitate per hujusmodi Bullam fidelibus impertiuntur, Theologorum opinionibus bona ex parte teneantur, præclare operam suam posuisse videtur non ignobilis hic, & eruditus Scriptor, qui facili & perpetuo commentario illam sibi sumsit illustrandam: & quod caput est, ad reliquae Moralis Theologiae normam plenam hujusce rei tractationem exegit. Huc igitur spectat præsens libellus, ut facilis via conscientiarum moderatoribus paretur, quo se a perplexis quaestionibus extricent, & bono consulant eorum, qui hujusmodi Bullae nomen dederint; quamobrem tuis sapientissimis consiliis velificatur, tuorumque subditorum commodis ille prospicit. Itaque illum typis edi posse censeo, præsertim cum nihil in eo deprehendere mihi licuit, quod

sa-

ſacra Majeſtatis jura attentet, vel Regni legibus adverſetur. Dat. Neapoli XI. Kal. Octobr. MDCCLXXXVIII.

MAJESTATI TUAE

devotiſſimus atque obſequentiſſimus
Salvator Can. Rogerius.

Die 5. menſis Octobris 1788. Neap.
Viſo Reſcripto ſuæ Regalis Majeſtatis ſub die 22. elapſi menſis Novembris currentis anni, ac relatione Canonici D. Salvatoris Rogerii de commiſſione Regii Conſiliarii D. Dominici Potenza, Conſultoris Curiæ Reverendi Regii Cappellani Majoris ordine præfatae Majeſtatis Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis belli, ac approbatione dicti Reviſoris. Verum non publicetur niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione affirmetur, quod concordat, ſervata forma Regalium ordinum, ac etiam in pubblicum ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

PATRITIUS. TARGIANI.

Vidit Fiſcus R. C.

Athanaſius.

PRAE-

PRÆFATIO AUCTORIS,

In qua totius Diſſertationis σκοπὸς, ordo, ac ſeries exhibetur.

CUM in Hiſpanicis Regionibus præſertim, & in quolibet fere Regno, cui gratioſum Bullæ S. Gruciatæ diploma Apoſtolica benignitate fuerit impertitum, innumeri prope ſcriptores exſtitiſſent, qui Bullas hujuſmodi enuclearint, aut commentariis illuſtrarint; mecum equidem indignabar, ac vehementer dolebam in tanta litterarum luce, atque in hac civitate tot viris in Theologicis diſciplinis exercitatiſſimis referta neminem adhuc exſtitiſſe, cum facile quiſque pro ſua ſapientia potuiſſet, qui hoc conſilii capeſſeret, atque animum adjicereet ad hujus noſtræ Bullæ Cruciatæ conceſſionem explanadam, atque illuſtrandam, præſertim cum multa in ea contineantur, quæ peritiorum Theologorum curam, ſtudium, atque in-

genium exquirant. Verum non parum postea gavisus fui, mecumque gratulatus, cum sensi ex Congregationis Oratorii ædibus duos prodiisse libros, ubi & multa profecto in commendationem hujusce nostræ Bullæ, & non pauca ad rectam privilegiorum, sive concessionum intelligentiam perspicue tradita, & singulorum fidelium captui accommodata occurrunt. Hujusmodi profecto exemplo mirum in modum memet animatum sensi, ut hanc quoque spartam pro viribus exornandam susciperem; cumque in memoratis Oratorianis libris præcipue ceterorum Fidelium hac in re institutioni per Cl. Auctorem consultum esset; in Confessariorum, qui lucrandis Deo animabus in Sacramentali Pœnitentiæ Foro non sine laude, atque ingenti caritatis fructu incumbunt, commodum potissimum, atque utilitatem selectas quasdam quæstiones circa facultates iisdem Confessariis in eadem Bulla concessas seponerem, atque ordine digestas explanandas aggrederer. Quo sane consilio, nihil profecto publicæ utilitati conducibilius excogitari poterat, quo expeditior, ac planior Sacramenti Pœnitentiæ administratoribus via pararetur ad rectum usum facultatum, quæ in ea continentur; siquidem hujusmodi illæ sunt, quæ aliquibus, aut minus forte compertæ, aut minus recte intellectæ detrimento potius animarum, quam

quam emolumento forent. Nec cetera porro deessent in hac nostra elucubratiuncula, quæ dictis Sacram. Pœnitentiæ administratoribus, pro Doctorum munere, quod gerunt, ad erudiendos atque edocendos Fideles ut spirituales, ac temporales utilitates nobis per Bullam nostram concessas in se derivare possent, præsto essent. At contra deterrebat argumenti amplitudo, ac rei difficultas, cum hoc in genere tanta Scriptorum copia occurreret, ut in singulis pervolvendis pæne tempus deficere videretur; accedebat etiam & discrepantium Theologorum in explanatione hujusmodi privilegiorum atque facultatum hinc inde sententiæ, & peculiares quædam formulæ, quibus hæc nostra Bulla contexta est, quæ in aliis Bullis aliarum Regionum non occurrunt, ut accidit præsertim in facultate dispensandi in Votis, atque absolvendi a Reservatis. Tandem timorem omnem pæne detersi, cum accessit illorum imperium, quorum jussa capessere omni jure fas erat; & studium etiam me incessit, ut aliqua ex parte publicis utilitatibus inservirem, quod sane boni civis officium est. Etenim ardua quædam, & salebrosa pro communi utilitate conari, atque eniti non ultima laus est. Quod si pro voluntate res non evenerit, nec promissis stare, atque exquisito lectorum judicio satisfacere potuissem, voluisse tamen, ac pro viribus contendisse sat erit;

.sæpe enim voluntas, ut quidam ait, reputanda est pro facto, cum factum ipsum excludat necessitas.

Quapropter lectorum humanitati perquam merito confisus elucubratiunculam istam, qualiscumque pretii illa sit, auspicatus fui, ac divino Numine adspirante ad optatum finem pro mea tenuitate perduxi. Quæ quidem revera non tam plenam argumenti hujusce tractationem, sed potius quid plenæ cumulatæque hujuscemodi tractationi desit, exhibebit; ut politiores curæ, & acriora studia, quibus indiget, hujusce argumenti genus, inde excitentur, atque in rem per alios pro dignitate conferantur, quo publicis commodis ac votis tandem aliquando satisfactum omni ex parte eatur.

At nolo, amice lector, pluribus hac in re te obtundere, cum id nec opus sit, cum videar de tua humanitate subdubitare, nec vacet. Potius officii mei ratio exquirit, ut tibi propositum, quod præ oculis habui, atque institutum, quod hæc scripturiendo servavi, tibi probatum velim.

Cum mihi propositum animo præcipue fuerit, ut Confessariorum, qui lucrandis Deo animabus, pro suo munere, vacant, commodis, atque utilitatibus inservirem, Dissertatiunculam istam in tres partes sum dispertitus. In Prima Parte expeditis in antecessum nonnullis Quæstiunculis ad ipsam Bullam pertinentibus, ipsa porro tota

tota occupatur in extricandis illarum difficultatum nodis, qui rectum usum atque exercitium illarum facultatum, ac concessionum, quæ per Bullam nostræ Cruciatæ factæ fuere, impedire possent in Confessariis, atque intervertere non sine spirituali Fidelium detrimento. Quare §. I. egi de facultate dispensandi in Votis adjuncta commutatione, ubi formulam concessionis accurate expendi, ad quænam vota dispensanda extendi illa posset, quibus limitibus esset coarctanda, sedulo investigare conatus sum; ubi & illud quoque, quod ad praxim maximopere conducit, adjiciendum curavi, scilicet canones non paucos ex optimæ notæ scriptoribus collectos, quos servare opus sit ad rectam votorum commutationem. §. II. pertractandum duxi de qualitatibus ex præscripto Bull. necessario requisitis in Confessariis eligendis, per quos dispensationum in Votis, atque absolutionum a reservatis beneficia ad cæteros Fideles derivari oportet. §. dehinc III. de facultate ipsa absolvendi in reservatis locutus sum, ubi quædam non levis momenti difficultates, quæ in hac concessionis formula occurrunt, apte dilucideque, nisi mea me fallit opinio, enodatæ fuere. Inde quibusnam reservatis hujusmodi absolutionis beneficium per Confessarios ad id electos possit impendi; quænam conditiones hac in re iis essent servandæ; a quibus etiam absolvendis ma-

ximopere quoque cavendum sit, pluribus edisserui. Cum autem occasio se se obtulisset opportuna, ad rem duxi pauca quædam disputare de peccato turpi, atque inhonesto adversus sextum Decalogi præceptum, in quo forte Confessarius cum Pœnitente fuerit complex. Hæc enim cum in novissima Benedicti XIV. Constitut. quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ* sapientissime sancita occurrunt, haud facile est apud Thologos, qui de rebus Moralibus perscripsere, illa reperire, quæ in hanc rem desiderari possent.

At quoniam homo Dei, Confessarius nempe, perfectus sit oportet, atque ad omne opus bonum instructus, ut ajebat. Paulus *Ad Tim. II. cap.* 3. i. e. in omni scientia, pietate, & doctrina; ipsi enim ad superni judicii principatum, quod in administratione Sacramenti Pœnitentiæ exercet, utraque clavis tum *potestatis*, tum etiam *scientiæ*, concredita est, ad edocendos nimirum Fideles *quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ*: ut loquitur idem Paulus *ad Philip. IV.* uno verbo quæcumque salutem animarum respiciunt, & spiritualem ipsarum profectum promovere possint; & cum spirituales Indulgentiarum fructus per Bullam nobis propositi ac promissi, ejusmodi sunt, ut a quibusdam dispositionibus, atque conditionibus,

bus, tum ex natura rei, tum etiam ex voluntate concedentis pendeat illorum adquisitio, de is etiam Fideles per suos Confessarios, quibus nihil potius esse debet, quam spiritualis suorum Pœnitentium progressus, pie sancteque erunt erudiendi.

Quapropter, ut omnia hanc in rem præsto esse possint hujusmodi Conscientiarum Moderatoribus *Part. II.* hujusce Dissertationis de Indulgentiarum virtute, atque utilitate, aliisque huc pertinentibus, tum etiam de necessariis dispositionibus, sive conditionibus ad illas lucrifaciendas sermonem institui, quod §. *I. & II.* hujusce *II. Part.* perfeci. Et quoniam de Indulgentiis Jubilæi pauca quædam me quoque dicturum promisi, ubi occasio sese dedisset, de iisdem edisserere non prætermisi. Qua quidem in re hanc agendi rationem servavi, ut ex Theologicis quæstionibus huc spectantibus, illas potissimum eligerem, atque excutiendas susciperem, quæ praxim magis spectarent, atque ad accendendos ad pietatem Fideles præ ceteris accommodatiores viderentur, quæque fundamenti loco esse possent quæstionibus aliis postea resolvendis. In his autem Appendiculas duas offendes, alteram de Veteri, & Nova Ecclesiæ Disciplina, quod ad Indulgentiarum concessionem attinet: alteram vero de Jejunio, & eleemosyna tempore Jubilæi indictis pro adsecutione Indulgentiarum; quas idcirco adtexendas duxi, ut tibi, pie, atque eru-

ditæ lector, omni ex parte satisfactum irem. Fortassis hæc omnia & probe tibi perspecta, & cujusvis e nostris cognitionem minime fugiebant; at mihi silentio prætereunda non fuere, tum quia argumenti ratio id postulabat, tum etiam, ut omnia hic collecta, atque enucleata conspicerentur, quæ memoratis Conscientiarum Moderatoribus suo muneri rite obeundo usui esse possent. §. deinde III. de Indulgentiis per nostram Bullam nobis impertitis late disputavi, singulas conditiones, sive opera præscripta ad illarum fructus recipiendos adcurate perpendi, ac luculentissime, quoad fieri potuit, exposui; ubi & nonnullas quæstiunculas tractandas suscepi, quæ Indulgentiarum usum respiciunt in juvandis defunctorum Animabus piacularibus flammis addictis. Id sane argumenti nostri series, & ratio quoque exquirebat; siquidem beneficio nostræ Bullæ & illud nobis datum est, ut Indulgentiæ nobis concessæ ad Defunctos etiam juvandos possint transferri.

Tandem §. IV. de Indulgentia, quam vocant *Stationariam*, ac de *Stationibus*, unde rei nomen profluxit, sermonem habui, antiquitatem hujusmodi Indulgentiæ perscrutatus sum, quidque nobis singulis Stationum diebus per illam adsequendum proponitur. Ubi etiam non semel, quod & alibi factitatum comperies, Bullæ Cruciatæ Hispanicæ mentio injicitur, tum ut ex utriusque Bullæ nempe nostræ, & Hi-

Hispanicæ veluti contentione vera intelligentia facultatum, ac privilegiorum nostræ Bullæ facilius, atque accommodatius eliceretur, tum etiam ut utriusque proposito, ubi res postulabat, discrimine, quod illi, Hispanicæ nempe est proprium, ad nostram veluti commune temere non pertrahatur. Quod plerisque, ni fieret, fraudi esse posset. Demum Part. III. sermonem feci de interdicto comedendi ova, & lacticinia diebus jejunio dicatis, ac de privilegio nobis concesso per Bullam nostræ Cruciatæ iisdem vescendi, ac de diebus, per quos eo uti liceat. Plura hic profecto cum ex sacratiori Theologica penu, cum ex novissimis Benedicti XIV. Constitutionibus, tum demum ex Historicis monumentis depromata, ac pertinentia vel ad Ecclesiasticum jejunium, vel ad dispensatos ad comedendas carnes diebus Jejuniorum, vel ad vespertinam collatiunculam ab instituto nostro tamen haud longe aberrantia intermixta nanciscere. Quod, uti mihi polliceor, non insuave tibi accidet.

Hæc habui, amice lector, quæ de hoc armenti genere tibi edicerem tuis studens utilitatibus. Meliora si cupies, sagaciori e manu erunt tibi expectanda. Interim si quæ chartis hanc in rem illeverim tibi minus arrident, quæ tua humanitas est, patienter feres, ac facile condonabis, nostrosque qualiscumque pretii labores,

ut mihi polliceri, ac recipere. fas erit, æque bonique consules. Vale.

PARS I.

§. I.

Ubi & nominis etymon, nonnullæque Quæstiones ad Bullam ipsam spectantes in antecessum elucidantur.

BUlla Sanctæ Cruciatæ, qua paucis abhinc annis per Apostolicæ Sedis benignitatem donati fuimus, nihil aliud est, quam Diploma quoddam Sedis Apostolicæ a Summo Pontifice Pio VI. Ferdinando IV. utriusque Siciliæ Rege Pio, Felici, Augusto rogante, nobis concessum in subsidium belli contra Infideles, varia, eaque utilia privilegia, atque indulta complectens.

Nominis hujusce origo, si quæratur, illa fuisse noscitur, quod Urbanus II. Romanus Pontifex, qui primus omnium inter Pontifices Expeditionem Hierosolymitanam indixit in Concilio Claramontana Anno 1095. consimiles Indulgentias, seu

ſeu Relaxationes benigne indulſerit iis omnibus, qui pro Hieroſolymorum liberatione a Turcarum tyrannide, ad ſacrum iſtud bellum proficiſcerentur; quibus etiam dedit, ut pro militari teſſera Signum Sanctæ Crucis rubei coloris ſuper ſcapulam dexteram adſutum veſtibus geſtarent. Atque hinc eſt, ut qui proficiſcebantur in illam Expeditionem *Cruce ſignati*, & *Crucem accipere* dicerentur, & ipſa Expeditio *Cruciata* appellaretur. Primitus enim non conferebatur pecunia in eleemoſynam pio hujuſmodi bello obeundo, ſed unuſquiſque ſuſcipiens Bullam huic ſacræ militiæ nomen dabat, in eamque ſeſe tradebat adverſus fidei hoſtes Legatur doctiſſimus Mendo. At hac de re latius ſuo loco.

De hac itaque Bulla ſermonem facturi, tria potiſſimum in hac prima Parte expendemus, quæ Confeſſariis ex privilegio Bullæ eligendis benigne impertiuntur in gratiam illorum, qui prædictam Bullam receperint, 1. Facultatem diſpenſandi in Votis ſimplicibus adjuncta commutatione in alia opera pietatis: 2. Facultatem eligendi Confeſſarium iis datam, qui Bullam receperint, aut eleemoſynam contulerint. 3. Demum facultatem abſolvendi a peccatis Summo Pontifici reſervatis. Verum antequam iſta attingantur, nonnullæ quædam, levioris licet momenti, quæſtiunculæ, ſed ad praxim ſatis utiles, nobis proponendæ ſunt, atque expediendæ.

Q. I. *Utrum neceſſe ſit, ut Bulla iſt*

hac

hæc recipiatur, atque a recipiente retineatur, ut ejusdem Bullæ privilegiis perfruatur?

R. Neg. Sufficit enim stipem, sive eleemosynam in hujusmodi opus, sive sacrum bellum destinandam conferre, propriumque nomen scribere apud Depositarium.. Probatur. Privilegia hujusce Bullæ concessa sunt conferentibus eleemosynam, uti manifestissime patet ex Bulla Latina: *Dummodo . . . . . aliquam Eleemosynam ad Naves ab ipso Ferdinando Rege contra Turcas, & infideles hujusmodi parandas . . . . . sponte contulerint*. Ergo &c. Id etiam ex Bulla nostra Itala cuivis legenti patet. Sola tamen intentio suscipiendi Bullam, aut eleemosynam contribuendi non sufficit, ut quidam temere opinati sunt; etenim licet sola voluntas reputetur pro facto, quantum spectat ad meritum, vel demeritum, cum factum ipsum excludit necessitas, secus tamen sese res habet, cum factum ipsum exigitur tanquam conditio *sine qua non*, uti contingit in specie proposita, & luculentissime eruitur ex adductis verbis.

Hinc gravis peccati reum se se constitueret ille, qui tempore Quadragesimæ aliisve jejunio destinatis diebus ovis, & lacticiniis vesci auderet cum sola intentione accipiendi paulo post Bullam, aut eleemosynam contribuendi; quamvis hoc ipsum exsequi minime valuerit, vel propter ingentem turbam illorum, qui confluxerant

rant ad accipiendam Bullam, vel quia Depositarium non invenerat.

Quid, si quis putans bona fide se accipere Bullam, accipiat aliam chartam, an ipse uti poterit Bullæ privilegiis?

R. Affir. Atque hoc ipsum licet probabile tantum arbitrentur Theologi Hispani, bona fide tamen perdurante; nos tamen istud ipsum tanquam certum, exploratum, atque ab omni controversia alienum asserimus. Siquidem concessio privilegiorum in nostra Bulla non pendet a receptione, & conservatione ipsius Bullæ, ut apud Hispanos ex expresso mandato Gregorii XIII. in Bulla concessa pro Regnis Hispaniarum: vide Trulleneh. *in Expos. Bullæ S. Cruciatæ Lib. I. §. 1. Dub. 2. num.* 3. sed solum a conditione collationis eleemosynæ in memoratum opus conscriptæ ad summum nomine recipientis apud Depositarium &c. uti jam ostendimus. Quæ omnia in proposito casu ad unguem completa, nemo non videt. Quin cessante etiam bona fide, & comperto errore privilegiis ipsis in nostra Bulla concessis perfrui posse censemus, quin adigatur veram Bullam recipere.

Q. II. *Num Bulla pro uno accepta, qui forte non indigebat, possit alteri applicari?*

R. Affir. Etenim licet post acceptationem, atque applicationem non possit Bulla in alium transferri, sive collata stipe, sive etiam gratis recepta, uti docent

cent Theologi: secus tamen se res habet ante acceptationem, quia tunc Bulla manet *in pendenti*, sive suspensa, ut proinde possit cuicumque applicari.

Hinc si quis Neapoli consistens jam Bullam hic sibi acceperat, eique postea pater, aut amicus aliam suo nomine desumtam mittat poterit iste hanc secundam in alium transferre sive gratis, sive recepta stipe. Nec quidquam officit, quod proprium ipsius nomen in Bulla ad se missa fuerit conscriptum; non enim per solam nominis appositionem per errorem factam sine ipsius acceptatione Bulla fit sua. Quare cum adhuc maneat suspensa, in alium poterit, uti diximus transferri, etiam mutato nomine. Mutare enim proprium nomen ab alio conscriptum hac in hypothesi culpa non est, uti docet Trullench. *loc. cit. num. 6.* quia hoc potius est corrigere, ac emendare, quod ex ignorantia alterius factum est. Huc facere videntur quæ de falsantibus litteras Apostolicas Navarrus in suo *Manual. Cap. 27. n. 62.* docet. Neque istæ litteræ Apostolicæ sunt appellandæ, sed dumtaxat transumta litterarum Apostolicarum. Ita laud. Trullench. aliique.

Q. III. *Num Bulla accepta pro absente, eidem prodesse valeat.*

R. Affir. Modo ipse intra Regni nostri confinia reperiatur. Neque enim Bulla exquirit, ut aliquis personaliter adsit promulgationi, quo ejusdem privilegiis

per-

perfruatur; sed tantum ut consistat intra confinia illorum Regnorum, quibus conceditur Bulla; uti mox etiam luculentius ostendemus. Quapropter quicumque sive absens, sive præsens, modo intra prædicta Regna exsistat, accipiendo Bullam per alium, perinde est, ac si acciperet per se ipsum. *Reg.* 72. *Juris in 6.* ac proinde nihil omnino est, quo ipse a Bullæ privilegiis merito excludi possit.

Ille porro, pro quo, absens cum esset, ab alio ejus nomine recepta est, Bulla, tunc ejusdem Bullæ privilegiis frui poterit, atque incipiet, cum hujusmodi Bullam ad se transmissam accipiat; aut de eadem Bulla pro se accepta per testimonium fide dignum admoneatur; nam & hoc etiam ad moralem certitudinem constituendam sufficere videtur.

Sola tamen moralis præsumtio non sufficit, nempe cum quis moraliter præsumit pro se acceptam Bullam, quia parentes, aut amici quotannis pro eo Bullam accipere solent; jamque advenit tempus, quo ipsam solebant accipere. In re enim tam gravi, ac tanti momenti, cujusmodi est illa, quæ respicit materiam Sacramentorum, hujusecemodi certitudo, quæ ex sola morali præsumtione exsurgit, satis reputari non potest. Vide Trullench. *loc. cit, Dub.* 3. *n.* 3.

Q. IV. *Num prædicta Bulla prosit etiam exteris hominibus heic apud nos commorantibus, aut huc accedentibus?*

R.

R. Affirm., idque ex verbis Bullæ Latinæ manifestissime patet; ejusdem enim privilegia conceduntur *omnibus*, & *singulis utriusque sexus Christi fidelibus in Regnis præfatis commorantibus*, & *ad illa declinantibus*.

Quapropter Bullam recipere possunt non solum vagi, quorum domicilium est locus habitationis, verum etiam Galli, Hispani, aliique ex qualibet Mundi parte huc advenientes. Si quis tamen ex exteris ad hæc nostra Regna accederet solo animo recipiendi Bullam, eaque accepta statim ad sua reverteretur; cum in fraudem Bullæ egisse videatur, nihil inde profecto juvabitur; nec in nostris Regnis *commorari*, aut ad illa *declinare*, (quod omnino exquirit Bulla, uti patet ex adductis verbis) dicendus est ille, qui solo animo accipiendi Bullam huc accesserit. Aliter tamen Salmanticenses in *Append. ad Tract. 6: de Bulla S. Cruciat. cap. 1. Punct. 5. n. 56.* Sed Trullenchi sententia, quam proposuimus, probabilior videtur. Consule eundem *loc. cit. Dub. n. 2.*

Q. V. *An etiam exeuntibus ex Regni nostri finibus prosit istbæc Bulla heic accepta?*

R. Affirm. excepto tamen privilegio vescendi ovis, & lacticiniis; quod quidem luculentissimis verbis declarat utraque Bulla, tum Latina, tum Itala. Bullæ enim privilegium cum personale sit, personæ ad-

adhæret, eamque comitatur ac sequitur, quocumque se se illa receperit, juxta legis præscripta. *Reg. Privilegium 97. de Regul. Juris in 6.*

Dixi, *excepto privilegio vescendi ovis &c.* Privilegium enim istud est affixum loco, ideoque personæ non competit, nisi quatenus in dicto loco reperiatur. Quod sane idcirco suisse statutum suspicari quivis jure poterit, ne hujusce facultatis usus exteris Nationibus, apud quas abstinentia a memoratis cibis diebus jejunio addictis exactissime servatur, scandali occasio sit, & origo: lege Salmanticens. *Append. de Bull. S. Cruciat. Cap. 1. Punct. 5. n. 54. & 55.*

Q. VI. *Num etiam Excommunicati frui poterunt privilegiis memoratæ Bullæ.*

R. Affir. modo excipiatur Privilegium Indulgentiarum. Quod quidem verum est tum de Excommunicatis vitandis, tum de toleratis. Prob. I. Bullæ Privilegia conceduntur *omnibus utriusque sexus Christifidelibus &c.* uti patet ex laud. Bulla. Sed excommunicationis censura; qua aliquis forte illigabitur, eumdem minime expellit a numero *Christifidelium*; siquidem unusquisque talis h. e. *Christifidelis* essentialiter constituitur per habitum fidei, quem non perimit censura excommunicationis. Ergo &c.

II. Privilegium, quod impetrat excommunicatus ad effectum obtinendi absolutionem, validum est, uti inter alios docet

cet Navarrus in suo *Manual Cap.* 27. *n.* 22. Sed Bulla accipitur ad absolutionem excommunicationum, ac peccatorum reservatorum. Ergo valebit Excommunicato illam recipienti, cui etiam consequenter licebit comedere ova, ac lacticinia diebus jejunio addictis etiam ante absolutionis assecutionem, atque in votis simplicibus dispensari idem poterit, prout in nostra Bulla præscribitur. Ita Trullench. *loc. cit. Dub.* 8. & Salmanticenses in *Appendic. ad Tract. 6. de Bull. Cruciat. Cap.* 1. *Punct.* 8. *n.* 81. *&* 90. Edition. Venet. anno 1764. aliique. Secus tamen se se res habet, loquendo de Hæreticis etiam mere internis, ac Schismaticis. Salmanticenses *ibid. n.* 77.

Diui: *Modo excipiatur privilegium indulgentiarum*. Indulgentiarum enim, sive ratione hujusce Bullæ, sive alia quacumque ex caussa concessarum, participes esse nequeunt Excommunicati; quippe qui per Ecclesiasticæ legis præcepta tanquam ab Ecclesiastica communione extorres, communibus Ecclesiæ suffragiis privantur, cujusmodi sunt Indulgentiarum concessiones, *Cap.* A nobis 28. & *Cap.* Sacris 38. *de Sentent. Excommunicat. &* *Cap.* Canonica 107. *Quæst.* 13. *Causs.* 11. apud Gratianum; Communia enim suffragia spiritualia quædam adjumenta sunt, quibus Ecclesia Fidelibus in Ecclesiastica communione permanentibus consulit, atque opitulatur.

Imo

Imo licet Excommunicatus per contritionem perfectam, & Caritatem justificantem in gratiam restituatur, adhuc tamen e participatione Indulgentiarum, sicut & aliornm communium Ecclesiæ suffragiorum esset exclusus, ut probabilior Theologorum sententia nos edocet; siquidem Excommunicatus non arcetur a communicatione consimilium Ecclesiæ bonorum ratione culpæ, sed ratione Excommunicationis, per quam quis *auctoritate Dei*, *& judicio Sancti Spiritus a gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ*, *& consortio totius Christianitatis eliminatur* uti loquitur Concilium Arausicanum in laud. *Cap.* Canonica: quæ excommunicatio cum non auferatur nisi per absolùtionis beneficium, manente hujusce privationis causa, totus ejus effectus perduret necesse est. Lege laudat. *Cap.* A nobis, quod Innocentii III. responsum est, unde hæc sententia mirifice suadetur. Lege quoque Suaresium *de Poenitent. Sect.* 2. *n.* 3. *Disp.* 52. Eosdem Salmaticenses loc. cit. *Punct.* 8. *n.* 83.

Atque hæc intelligenda esse etiam de ipsis Excommunicatis toleratis licet in gratiam per contritionem restitutis nemo non videt; siquidem Constantiense Decretum, quo permittitur cum eisdem communio, est quidam favor ac privilegium Fidelibus concessum, non ipsis excommunicatis, quos non intendit *in aliquo relevare*, *aut quomodolibet suffragari*

Ec-

Ecclesiastica auctoritas, nec proinde hujusmodi Indulgentiarum participatione donare.

Q. VII. *Num ex prava confidentia Bullæ quis Reservata committens perfruatur privilegio ejusdem Bullæ, ut ab iisdem absolvi possit per Confessarium electum?*

R. I. Peccare *ex confidentia Bullæ* aliquis dicitur, quando confidentia ipsius Bullæ sit caussa, quæ illum positive inducit, atque movet ad peccandum, & qua seclusa peccatum ipse non admitteret. Ita Trullench. loc. cit. *Dub.* 9. ceteriqûe Hispanici Doctores communiter in Expositione Bullæ Hispanæ, per quam arcentur a privilegio compositionis debitorum incertorum furantes *ex prava confidentia Bullæ*, atque, a privilegio Indulgentiarum in articulo mortis omittentes *ex confidentia Bullæ* confessionem tempore ab Ecclesia statuto.

R. II. Peccantem *ex prava confidentia Bullæ* sive ob *confidentiam*, aut *in confidentiam* Bullæ (hæc enim omnia idem valere arbitramur) *absolute loquendo* non prohiberi, quominus a Reservatis, si ea forte admiserit, possit absolvi per Confessarium ab ipso eligendum, si vere, & ex corde illorum pœniteat. Ita Trullench. loc. cit. Sanch. *in Decalog. cap.* 54. *n.* 18. Salmanticenses *de Sacram. Pœnit. Cap.* 13. *Punct.* 3. *n.* 40. Ligorius *de Sacram. Pœnit. Lib. VI. n.* 601., ceterique communiter; & quidem probabilius.

Prob.

Prob. Etenim, uti communiter docent Scriptores, & fusius ostendit Suaresius *Lib. VIII. de Legib. Cap. 28. n. 3.* verba privilegii tenenda, atque observanda sunt secundum proprietatem, & extra illam nou sunt extendenda ad restringendum privilegium, nisi aut ratio justitiæ id omnino exquirat, aut aliunde voluntas concedentis rationabiliter præsumatur. Atqui privilegium istud absolvendi a Reservatis, de quo loquimur, neque ulli injuriosum reputari potest, nec aliquid est, unde voluntas concedentis contraria præsumi possit. Ergo cum verba absoluta, atque indefinita ad quæcumque Reservata etiam *ex confidentia* admissa referantur, immerito, & contra verborum proprietatem ad sola peccata Reservata sine hujusmodi *confidentia* commissa coarctantur. Idemque docent laudat. Salmanticenses de Bulla Jubilæi; si quis nimirum spe, aut *confidentia* absolutionis per Bullam istam obtinenda in peccata præceps ruerit; non inde privatur beneficio absolutionis per illa concessa *loc. cit.*

Dixi, *absolute loquendo*. Nam si in hujusmodi concessione adjecta sit aliqua limitatio atque exceptio, qua aperte significetur in hujusmodi Reservata *ex prava confidentia* commissa nihil omnino jurisdictionis pro iisdem absolvendis tribui; eaque excludi a generali facultate in cetera Reservata; tunc voluntati conceden-

tis

tis omnino adhærendum esse nemo omnium dubitare potest; privilegium enim quamtumvis favorabile, contra voluntatem concedentis ad ea, quæ concessa non fuere, protrahendum non est; neque plus operatur, quam ejusdem verbis exprimitur. *Cap.* Porro 7. *de Privilegiis*.

Hinc nefas omnino est Confessariis electis ex privilegio nostræ Bullæ aliquid sibi facultatis adrogare ad absolvenda hujusmodi Reservata ex *prava confidentia* ejusdem Bullæ admissa; cum in concessione facultatis pro absolvendis Reservatis disertis verbis significetur, eamdem minime valituram, si in iisdem admittendis interveniat *abusus in Confidentiam ejusdem Bullæ*. Lege Bullam nostram Italam *n.* V.

Quid, si quis confidentia ejusdem Bullæ ductus, vota nuncupet Deo, num idcirco privandus sit privilegio dispensationis per eamdem Bullam concessa?

R. Neg. Idque, ut arbitror, luculentissime patet tum ex ratione, quam profert doctissimus Sanchez *loc. cit.* Suaresium secutus, quia votorum nuncupatio etiam *in confidentiam Bullæ* non præsefert aliquid mali, quod ut caveri posset, privationem privilegii dispensationis minitari oportuerit legislatorem; tum etiam ex ipsa Bulla; inde enim dignoscitur, solam admissionem reservatorum *in confidentiam Bullæ*, privare peccantem beneficio absolutionis eorumdem per Confessarium ele-

electum impertiendo, non vero nuncupationem votorum. Lege Bullam nostram Italam laud. *num. V.*

Q. VIII. *Num isthæc Sanctæ Cruciatæ Bulla censeatur revocata, aut suspensa per Bullam Jubilæi?*

Nota. *Jubilæum Anni Sancti*, quod primitus centesimis quibusque annis fuerat affixum ex celebri illa Constitutione Bonifacii VIII. quæ incipit *Antiquorum*; relata inter *Extravag. Commun. tit. de Pœnitent. & Remission.* & per Clementem VI. per *Extravagantem*, quæ incipit *Unigenitus*, singulis quibusque quinquagesimis annis addictum, demum per Paulum II. ex sua Constit. quæ incipit, *Ineffabilis*, ad brevius temporis spatium redactum est h. e. ad annum XXV. uti & nunc in more positum exstat. In hujusmodi itaque Bulla Jubilæi solet apponi clausula suspensionis omnium aliarum Indulgentiarum, ac facultatum, quæ alias ab eadem Apostolica Sede fuerant concessæ, quo facilius, atque efficacius fideles undique Romam pro consecutione Jubilæi acciri, atque advocari possint; cujusmodi clausulæ apponendæ usum primo inductum a Xysto IV. per suam Decretalem relatam in Extravag. *Quemadmodum*, inter *Extravag. Commun. tit. laud.* posteriores deinde Pontifices retinuerunt. Lege Benedictum XIV. in *Epist. Encyclic.* ad Pœnitentiarios, & Confessar. occasione Universalis Jubilæi anno 1750.

celebrati §. 17. Hinc orta inter Theologos controversia, num ex vi hujusce clausulæ suspensionis, indulgentiæ, ac facultates concessæ per Bullam Cruciatæ suspensæ pariter censandæ sint. Quæ communis hac in re sententia videatur, breviter circa suspensionem facultatum, (nam de Indulgentiarum suspensione alibi fusius) hic indicabimus. Ad Quæstionem propositam itaque.

R. Neg. Scilicet per Bullam Jubilæi Anni Sancti non esse censendam revocatam, aut suspensam Bullam Cruciatæ.

Prob. Privilegia concessa per modum contractus onerosi non censentur revocata, nisi fiat de illis expressa mentio, & aliquo saltem modo compensetur, quod alteri ex justitia debetur ratione contractus, & per revocationem privilegii aufertur; uti docet doctissimus Sanchez ex doctrina Jurisperitorum *Lib. VIII. de Matrim. Disp.* 33. *num.* 8. *&* *seqq.* Atqui privilegia concessa per Bullam Cruciatæ per modum contractus onerosi impertiuntur; non enim conceduntur, nisi hac lege & conditione, ut certa eleemosynæ quantitas in pium destinatum opus conferatur, uti cernere est in ipsa Bulla Latina. Ergo cum hujusmodi nulla fiat huc usque revocatio Bullæ Cruciatæ, dicendum per Bullam Jubilæi Anni Sancti non revocari, aut suspendi Indulgentias, ac Facultates concessas per Bullam Cruciatæ. Ita laud. Sanchez ceterique communi-

niter. His etiam adde Summos Pontifices Clementem VIII. Urbanum VIII. & Gregorium XIII. declaraſſe, per ſuſpenſionem Indulgentiarum, ac facultatum factam in Bulla Jubilæi Anni Sancti numquam habuiſſe animum revocandi, aut ſuſpendendi indulgentias, ac facultates Bullæ Cruciatæ. Lege Salmanticenſes in laud. *Append. Punct. IV. n.* 44.

Hæc ſane non exiguæ probabilitatis pondus præſeferunt. At cum Benedictus XIV. Pontifex vere Maximus, occaſione Jubilæi anni quinquageſimi hujuſce labentis ſeculi, ad eliminandas non paucas controverſias ſubortas ex diverſitate formularum hujuſcemodi ſuſpenſionum, uti ipſe refert in laud. *Encycl.* §. 17. *& ſeqq.* ampliſſimam inſtituerit ſuſpenſionis formulam, quemadmodum videre eſt in Bulla ſuſpenſionis, quæ incipit: *Cum nos nuper*, edita anno 1749. & in memorata *Encycl. num.* 37. diſertis verbis declaraverit, *quod ſalvis facultatibus exceptis* (cujuſmodi pauciſſimæ enumerantur: lege Bullam ſuſpenſionis §. 2.) *ſuſpenſæ remaneant durante Anno Sancto aliæ facultates abſolvendi, iisdem & diſpenſandi ſive ex Indulgentiarum cauſſa, & occaſione, ſive alio quovis titulo, & cauſſa conceſſæ fuerint, tum cum de earum facultatum uſu agitur extra urbem*, ut idem adjungit, in Bulla, *Convocatis num.* 56. idcirco hac tutiori via, quam indicabimus, incedendum arbitramur, ut cum nimirum

accedente Jubilæo Anni Sancti hujusmodi tam expressa, tamque ampla suspensionis formula adhibeatur, petatur a Pontifice sive nova confirmatio Bullæ Sanctæ Cruciatæ, sive expressa declaratio per Jubilæum Anni Sancti nec suspendi, nec suspensam fuisse Bullam Cruciatæ. Atque hoc ipsum veluti tutius admonuisse, atque suasisse novimus Rodriquez, Perez, Trullench. licet multo ante laud. Benedicti XIV. Constitutiones hac de re scriptitassent. Vide Trullench. *in Expofit. Bull. S. Cruc. Dub.* 12.

Hanc, cum isthæc scriberemus, in re tanti momenti tutiorem viam arripere satius duximus; at postea accuratius rem totam perpendentibus aliam ingredi viam placuit, atque a tutioribus ad probabiliora declinavimus doctissimi Colet vestigiis insistendo. Vide quæ dicentur *Part. II.* §. *II. Appendic. II.* ubi de suspensione Indulgentiarum tempore Jubliæi fieri solita.

Q. IX. *Num privilegia Bullæ morte Pontificis exspirare censenda sint?*

R. Neque Bullam ipsam, neque Privilegia in Bulla concessa per obitum Pontificis etiam re integra ullatenus exspirare dicenda sunt.

Prob. Gratia facta non exspirat per obitum concedentis etiam re integra; etenim beneficium Principis decet esse mansurum, uti decernitur in *Reg.* 26. *Jur. in* 6. Lege *Cap.* Si cui nulla 36. *de Præbend.*

bend. eod. *lib. 6.* & Glossam ibid. Sed hujusmodi est concessio Bullæ Cruciatæ, uti res ipsa per se loquitur. Ergo &c.

Insuper Concessio facta ad certum tempus non evanescit, aut extinguitur, donec designatum temporis spatium fuerit elapsum; licet eo adhuc decurrente obitus accidat concedentis, uti probat Sanchez *Lib. VIII. De Matrim. Disput.* 28. *num.* 51. Hujusmodi autem est concessio Bullae Cruciatæ, quæ facta est ad sexennium, uti patet ex ipsa Bulla; Ergo &c. Atque hoc valet, etiamsi adjiciantur voculæ illæ in concessione *ad beneplacitum nostrum*. Sanchez ibid.

Hoc idem porro absque ulla dubitationis ambage adferendum arbitramur de Privilegiis concessis per eamdem Bullam; atque id non solum circa facultates consequendi indulgentias ibi concessas, & vescendi lacticiniis; de quibus minus dubitationis inesse poterit. Verum etiam circa facultates dispensandi in votis, & absolvendi a Reservatis; tum quia recipientibus eamdem Bullam concessa sunt ad præscriptum tempus h. e. ad annum; tum quia sive respiciantur hujusmodi privilegia ex parte Pœnitentium, quibus directe conceduntur; sive ex parte Confessariorum, qui electi a Pœnitentibus *necessario* ipsis concedere debent, quæ iisdem in laudata Bulla indulgentur, si nihil obstet, sunt gratiæ factæ. Lege laud. Sanchez *loc. cit. n.* 93. & Salmanticenses

in *Append. ad* laud. *Bullam . Punct. IV. n.* 37.

Q. X. *Quale sit tempus durationis hujusce nostræ Bullæ, unde sit computandum, & in quem diem desinat?*

R. I. Tempus durationis ipsius Bullæ pro locis, quibus ipsius concessio facta est, sexennii tempus est; pro recipientibus vero memoratam Bullam integrum unius anni spatium.

R. II. Initium hujusce durationis tam pro locis, quibus concessa est, quam pro iis, qui eamdem Bullam recipient, esse desumendum a die promulgationis ejusdem Bullæ; hoc tamen interposito discrimine, quod initium numerationis sexennii ducendum sit a die primæ promulgationis memoratæ Bullæ; ad computandum vero annum quo recipientibus Bulla valet, desumendum est initium a die promulgationis singulis annis faciendæ. Hæc sane liquido constant ex nostra Bulla Latina, quæ loquens de temporis spatio, quo ejusdem Bullæ concessio sit duratura, ait: *Ad sexennium a die primæ publicationis præsentium, ut infra faciendæ incboandum, & non amplius, nec ulterius valituris.* Et paulo post de recipientibus Bullam, sive conferentibus eleemosynam adjungit: *Ut ipsi dummodo intra annum a die publicationis earumdem præsentium in locis &c.* Quapropter ista tantummodo indicasse sit satis.

Mul-

Multi docent, promulgationem fieri per solemnem supplicationem, eamque satis factam censeri etiam ante concionem de more habendam; etenim per solemnem supplicationem fit publica, & solemnis Bullæ acceptatio: quæ sufficiens ejusdem Bullæ promulgatio reputanda est, quapropter Bulla recepta ejusdem privilegiis frui quis poterit etiam ante concionem. Vide Trullench. *loc. cit.* & Salmanticenses *Punct. III. n.* 28. Dies porro promulgationis, unde numerandum tempus durationis annuæ ejusdem Bullæ, intelligenda de promulgatione facta eo loci, ubi recipitur Bulla, minime vero de promulgatione, quæ fiat in loco, in quo quis forte degat; hoc enim & probabilius & rationi magis consentaneum; adeo ut si forte contingat, Bullam diversis in locis diverso tempore promulgari, illa tantum promulgatio initium dabit numerationis præscripti anni, quæ fiat, uti diximus, in loco, ubi eadem Bulla recepta est. Consule laud. Theologos *loc. cit.*

R. III. Annus itaque durationis Bullæ inde numerari inceptus desinet in diem novæ promulgationis ejusdem Bullæ: quod satis aperte indicari videtur in Bulla Latina, dum in ea dicitur: *Intra annum a die publicationis earumdem præsentium.* Unde eo die, quo incipiet novus annus, ibi vetus desinat necesse est; uti scite animadvertunt Salmanticenses *loc. cit. num.* 30. Luculentissime vero, & ad mentem

Pontificiæ concessionis, absque ulla ambiguitate, hoc ipsum præscribitur in Bulla nostra Itala, in qua diserte exprimitur, annum durationis ejusdem numerandum a die promulgationis Bullæ, usque ad novam ejusdem promulgationem, his verbis: *Dal giorno della pubblicazione della Bolla, infino al giorno, in cui di nuovo si pubblicherà.*

Quapropter merito Theologi docent annum hujusce durationis Bullæ non esse naturalem, sed Ecclesiasticum, numerandum ab una promulgatione ejusdem Bullæ ad aliam, ut accidit etiam in præcepto annuæ Communionis, in quo annus computatur ex uno Paschate in aliud. Hinc elapso etiam anno naturali, si adhuc Ecclesiasticus perduret, non prohibetur quis, quominus concessis per Bullam privilegiis frui possit; licet contra, cum annus Ecclesiasticus jam effluxit, Bullæ privilegia cum eo pariter desinant necesse est, etiam decurrente adhuc anno naturali. Lege Salmanticenses *loc. cit. num.* 30. & 32.

Quid, si contingat, Bullam non esse amplius promulgandam, quia forte revocata, vel in longum tempus differendam esse ejusdem promulgationem, in quem diem desinat tempus durationis ejusdem?

R. Hac in hypothesi Bullæ durationem definiendam esse cum anno solari sive naturali a die promulgationis ejusdem; adeo ut eo completo, Bulla quoque desinat necesse est. Id enim merito de men-

te ac voluntate Summi Pontificis prudenter præsumendum esse docent laud. Salmanticenses *n.* 36. Vide etiam Trullenc. *Dubit. XI. n.* 4.

Q. XI. *Num Bullæ privilegia* strictè, *aut* late *interpretari liceat?*

Nota I. In concessionibus privilegiorum duplicem interpetrandi rationem tradunt tum Theologi, tum Canonum Interpretes, ut neminem latet. Prima *strictè*; cum nimirum non ultra naturalem verborum proprietatem progredi liceat, neque ad personas non expressas privilegium concessum extendere. Altera *late*, sive *ample*, cum nimirum verba non ad naturalem solum significationem, sed ad civilem etiam, & juridicam protrahuntur, & ad casum, de quo dubium inerat, extenduntur.

Nota II. Cum verba privilegii ambiguitatem ingerant, & varias suscipiant interpretationes, tunc hæc erit regula servanda, uti docet Gonzalez in *Cap.* Porro 7. *de Privilegiis*, ut nimirum ubi privilegium sit contra jus, sive *odiosum*, intelligatur concessum quod minus est, ac proinde intra strictæ interpretationis confinia concludendum: *Odia enim restringi convenit. Reg.* 15. *Jur. in* 6. *Leg.* Quod vero 14. *ff. De Legib. Cap.* Porro 7. & *Cap.* Sanc. 9. *De Privilegiis & Regula.* Quæ a jure 28. *De Reg. Jur.* Eod. *lib.* 6. Ubi vero privilegium sit præter jus, & favorabile, amplissima in illo adhiben-

da interpretatio, ut concessum intelligatur, quod amplius est. *Cap.* Quia circa *De Privileg.* & *Cap.* Olim tibi 16. *de Verb. signif.* & *leg. Beneficium* 3. *ff. De Constit. Princip.*

Dixi: *Cum verba privilegii ambiguitatem &c.* Ubi enim nihil ambiguitatis in in ipso ostenditur, tunc nec ad restringendum privilegium, nec ad illud ampliandum permissum est, ab ejus tenore, aut a proprietate verborum discedere; nec etiam ita coangustandum aut restringendum, ut inanem gratiam reddat interpretatio, uti docet eximius Suaresius *Lib. VIII. De Legib. cap.* 28.

His itaque adnotatis, ad propositam Quæstionem.

R. Doctissimus Sanchez *Lib. VIII. De Dispensat. Matrim. Disp.* 2. *num.* 7. apertissime docet tam privilegia concessa per Bullam Cruciatæ, quam illa, quæ impertiri solent per Bullam Jubilæi *stricte* esse intelligenda. Etenim non sunt privilegia, sive beneficium ipsius dispensantis, sive absolventis, sed illius personæ, quæ aut Bullam accipit, aut Jubilæum consequitur. Hinc merito Navarrus ab eodem Sanchez laudatus loquens de facultatibus concessis per Bullam Jubilæi, illas odiosas dixit, ac restringendas.

Et re quidem vera, licet potestas dispensandi *late* sit accipienda, uti ostendit idem Sanchez *loc. cit. num.* 1. hoc tamen est intelligendum, cum hujusmodi

po-

potestas sit beneficium, ac privilegium activum ipsius dispensantis, atque in ejus gratiam deferatur; secus vero quando est privilegium passivum illius, cum quo dispensandum est, utpote in ejus favorem concessum, quod contingit in casu nostro; cum in hujusmodi non tam sit dispensandi potestas, quam quasi dispensatio in esse producta solam exsecutionem expectans; dispensatio porro *strictæ* interpretationis esse patet. Vide eundem Sanchez *loc. cit. Disp.* 1. Ergo.

Insuper privilegia, quæ subtrahunt Fideles a jure communi servando, *odiosa* sunt, uti patet, ipsumque commune bonum a lege intentum invadunt. Ergo ne hoc commune bonum gravi damno afficiatur, privilegia eidem contraria restringi, quoad fieri potest, debent. Privilegia porro Bullæ S. Cruciatæ in plurimis juri communi adversari nemo est, qui non videat; uti patet in facultate absolvendi &c. atque in Indulto comedendi ova, &c. Ergo juxta communem Theologorum, & Canonistarum sententiam *strictâ* interpretatione accipienda.

Alii vero aliter hac de re sentiunt: uti Salmanticenses *loc. cit. Punct. II. n.* 16. & 17. & Trullench. *Dubit* 4. *num.* 4. At proposita sententia Sanchez nobis probabilior visa est, licet haud recte a laudatis Theologis proferatur pro sententia opposita. Quapropter haud temere ab illa recedendum arbitramur, licet etiam

doctissimus Suaresius *Tom. II. de Relig. Lib. VI. de Voti Irritation. &c. Cap. 16. num.* 3. oppositam proponat, atque tueatur. Huic nostræ sententiæ, quam hac in re amplexati sumus, maximum addit pondus auctoritas laudatissimi Pontificis Benedicti XIV. qui in Rescripto ad Archiepiscopum Compostellanum *in Respons. ad Postulat. VI.* apertissime edicit *tenorem Bullæ Cruciatæ stricte, & considerate esse perpendendum*. Verba laud. Rescripti alibi proferentur. Interim consule, si lubet, Concinam *Comment. in laud. Rescript. Pontific. cap.* 8. Verum de hisce quæstionibus satis abunde. Ad ea itaque quæ potiora sunt, & graviora manum admoveamus oportet.

§. II.

De Facultate dispensandi in Votis per Bullam concessa.

IN hoc secundo §. amplissima nobis disputandi oboritur seges, at nonnullis, iisque oppido gravibus implexa difficultatibus: illas tamen, quà poterimus brevitate, ac facilitate extricare pro virili conabimur.

Norunt omnes, aliud esse Voti commutationem, aliud vero dispensationem. Utramque tamen aureis Angelici Præceptoris verbis placet describere: *Ille, qui vovet, quodammodo sibi statuit legem,* ob-

obligans se ad aliquid, quod est secundum se, & in pluribus bonum. Potest tamen contingere, quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum, quod est contra rationem ejus, quod cadit sub voto . . . . Et ideo necesse est, quod determinetur, in tali casu votum non esse servandum. Et si quidem absolute determinetur, aliquod votum non esse servandum, dicitur esse dispensatio voti. Si autem pro hoc, quod servandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Unde minus est votum commutare, quam in voto dispensare. Utrumque tamen in potestate Ecclesiastica consistit. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10 *in corp.*

Q. I. *Quid facultatis circa Vota nobis per Bullam Sanctæ Cruciatæ deferatur commutandi ne, an dispensandi?*

R. Neque *mere* commutandi, neque *mere* dispensandi nobis facultas impertitur, sed tantummodo dispensandi adjuncta commutatione; seu *mixte* dispensandi. Id quidem luculentissime patet ex verbis Latinæ nostræ Bullæ, ita enim loquitur: *Necnon Christifidelibus prædictis, ut dispensari possint super votis simplicibus per eos emissis, in alia pia opera rite commutandis.* Quod & Bulla Itala ad normam laudatæ concessionis pulchre expressit, *num.* 4. Et quidem, uti patet, nobiscum indulgentius, ac liberalius agere gestiens Romanus Pontifex non *meram* commuta-

tionem, sive commutandi potestatem nobis contulit, ut olim Genti Hispanæ per Bullam hujusmodi Hispaniarum Regnis concessam. Vide Sanchez *Lib. VIII. de Dispensat. Matrim. Disp.* 15. *num.* 1. & Trullenc. *in Exposit. Bull. S. Cruciat. Lib. I.* §. 7. *Cap.* 3. *Dub.* 1. sed potestatem dispensandi in Votis simplicibus nobis elargitus est, adjuncta licet præscripta commutatione.

Q. II. *Quid juris deferat hujusmodi concessa facultas mixte dispensandi?*

R. Illud nimirum, ut votum emissum possit saltem in aliquod bonum aliquantulo minus commutari.

Prob. Licet commutare votum emissum in aliquod bonum aliquantulo minus, cum concessa fuerit facultas *Commutandi Dispensando*, uti actum fuit cum Pœnitentiariis Romanæ Urbis a Benedicto XIV. per Bullam *Convocatis* occasione Jubilæi Anni Sancti. Ergo multo magis hoc ipsum licebit, cum deferatur facultas *dispensandi commutando*, quod fit per nostram Bullam.

Et sane in laud. Benedicti XIV. concessione, uti *principale* concedebantur potestas *commutandi*, atque tantum uti *accessorium* facultas *dispensandi*, per hanc tamen *accessoriam* dispensationem permissura erat a natura *proprie* dictæ commutationis, quæ ex sua natura exigit omnino, ac necessario æqualitatem operis subrogandi, uti norunt omnes, aliquantulum

re-

recedere, in aliud opus minus bonum, *moderate* tamen, votum commutando, uti declarat idem Benedictus XIV. in *Epist. Encycl.* ad *laudat. Pœnitent.* §. 45. Multo itaque magis id nobis permissum censendum est, per nostram Bullam, in qua uti *principale* datur nobis facultas dispensandi; & tantum uti *accessoria* facultas *commutandi*.

Diximus: *in aliquod opus aliquantulo minus &c.* ut tutiori via incederemus. Ceterum posset quispiam, nec immerito ex doctrina P. Syri in Opere, cui titulus: *De Facultatibus Minor. Pœnitentiarior.* contendere, plus juris nobis competere per formulam dictæ nostræ concessionis, per eamque posse etiam votum in aliud opus bonum etiam multo minus commutari. Ubi enim *principaliter* detur facultas *dispensandi*, & *accessorie* tantum *commutandi*, actus plus *dispensationis* debet exhibere, quam commutationis; aliter enim accessorium principale ad se trahere nosceretur, neque sequi naturam sui principalis contra Sacrorum Canonum præscripta. *Cap. Unic. de Consecrat. Eccles. in 6.* & *Reg.* 42. *jur. eod. Lib. VI.* Plus autem *dispensationis* tunc patere potest in hujusmodi actu, cum votum etiam in multo minus bonum commutari contingat. Lege laud. *Encyclicam* Benedicti XIV. *loc. cit.*

Atque hoc profecto illud est, quod aliis verbis expressit nostra Bulla Itala, in-

inquiens *num.* 4. *Potrete esser dispensato da' Voti semplici, che si doveranno commutare secondo le regole della Chiesa, e la prudenza del Confessore in altre opere di pietà proporzionate.* Proportio enim non exposcit æqualitatem operis substituendi cum voto, sed tantum proportionatam quamdam commensurationem juxta voti qualitatem, ac gravitatem, & voventis facultatem. Qua de re postea nobis erit differendum.

Porro *mixta* hujus *Dispensationis* præclara prostant exempla in Sacris Canonibus Lege *Cap.* Venientis 2. & *Cap.* Magnæ 8. *De Voto, & Vot. Redemt.*

Q. III. *Num in facultate Dispensandi in Votis, contineatur etiam facultas illa commutandi?*

R. Nihil dubii inesse potest, quod in facultate ordinaria dispensandi in Votis, contineatur etiam potestas illa commutandi, & quod facultas delata ad commutandum, ad dispensandum extendi non possit. Lege Sanchez mox laudandum, & Trullench. in laud. *Exposit. Bull. Cap.* 3. *Dub.* 2 *Lib. I.* §. 7. At vero cum agitur de potestate Delegata dispensandi in Votis, num illa comprehendat etiam potestatem commutandi, gravissima lis est inter Theologos. Nobis ea semper arrisit sententia, quod in potestate etiam Delegata dispensandi continetur etiam facultas communtandi; Vide Sotum *Lib. VII. De Justit. & Jur. Art.* 3. *Q.* 4. & Paulum

lum Layman *in De Vot. & Vot. Relanat. cap.* 8. *num.* 20. quæ quidem sententia etiam ex D. Thomæ doctrina 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *in corp.* non obscure colligi videtur; & doctiss. Suarez *Tom. II. de Relig. Lib. VI. De Irritat. &c. Voti num.* 9. *& seqq.* Doctissimus tamen Sanchez, aliique magni etiam nominis Theologi acriter contrariam sententiam tuentur, & argumentis non contemnendis communiunt. Lege *Disput.* 2. *Lib. VIII. De Dispensat. Matrimon. n.* 14. *&* 15.

Atque hinc factum est propter hujusmodi controversias, ut in omnibus Pontificiis Concessionibus, seu Votorum dispensationibus per ipsam Apostolicam Sedem factis semper mentio occurrat mixtæ hujus dispensationis faciendæ; adjuncta aliqua commutatione; tum, quia admixta commutatio necessaria est ad recte, ac perfecte exercendam potestatem dispensandi, teste Sanchez *loc. cit.* cum omnes ad unum Theologi, ac Canonum Interpretes consulant, ne omnino in Voto dispensetur, nulla prorsus adjecta commutatione; tum etiam quia hac ratione hujusmodi controversiis facile præcludetur aditus, uti docet Benedict. XIV. laud. *Encycl.* §. 47. Quis enim E. G. vel leviter addubitare poterit per formulam concessionis nobis in Bulla nostræ Cruciatæ adhibita; non solum ad *mixte* dispensandum; sed etiam ad *vere*, *proprieque*, ac *stricte* commutandum nobis facultatem de-

deferri? Qui enim potest commutare in minus, quod est mixte dispensare, potest multo magis commutare in æquale: *Non enim debet ei, qui plus licet, quod minus est, non licere. Et in eo, quod plus sit, & semper inest minus*. *Leg.* Non debet 11. & *Leg.* In eo 9. *ff. De Divers. Reg. Jur.* Cui etiam consonat *Reg.* Cui licet 53. *in 6.*

Q. IV. *Num ad dispensandum, sive commutandum in Votis requiratur caussa?*

R. Ad valide dispensandum in Votis justa, & rationabilis caussa intercedat necesse est. Hæc adsertio cum locum habeat in omnibus aliis dispensationibus, multo magis, uti patet, in dispensatione ab obligaiione Voti. Vide Pontas *Cas.* 25. *De Dispensat. Matrimon.* & *Cas.* 10. *Dispensat. Vot.*

Prob. I. Prælatus dispensando in Voto, non dispensat in præcepto juris naturalis, vel Divini; neque enim id potest; sed tantum determinat, id, quod cadebat sub obligationem deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumspicere, non esse congruam materiam Voti, propterea quod in aliqua hypothesi facta sit aut simpliciter mala, aut inutilis, aut majoris boni impeditiva. Uti docet D. Thomas 2. 2, *q.* 88. *art.* 10. *in corp.* & in *Respons. ad* 2. Sed hoc est dispensare in Voto propter caussam intercedentem, atque obsistentem ejusdem voti exsecutioni. Ergo &c.

Prop. II. Omnis dispensatio a Prælato fie-

fieri debet ad honorem Christi, in cujus persona dispensat, & ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est corpus ejus, uti docet idem Angelicus Præceptor laud. *q.* 88. *art.* 12. *in corp.* Sed hujusmodi non potest esse dispensatio ab obligatione Voti, nisi urgens, & justa ratio, aut major quandoque utilitas ipsam dispensationem expoicat. Ergo &c. Ita unanimi consensu Theologi, ac Canonum Interpretes cum Glossa in *Cap. Non est, Verb.* adimplere *De Vot.* & teste Sanchez *Lib. IV. in Præcept. Decalog. Cap.* 45. *num.* 3. Lege Tridentinum *Sess. XXV. Cap.* 18. *De Reform.* cujus verba licet referantur ad quascumque dispensationes, illa tamen multo magis conveniunt dispensationibus, quæ fient a vinculo, sive ab obligatione Voti.

Hinc recte D. Thomas deducit: *Et ideo in manifestis dispensatio Prælati non excusaret a culpa: puta si dispensaret cum aliquo super voto de ingressu Religionis, nulla apparente caussa obstante. Si autem esset caussa apparens, per quam saltem in dubium verteret, posset stare judicio Prælati dispensantis, vel commutantis, non autem judicio proprio; quia ipse non gerit vicem Dei.* Laud. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2.

Quod porro attinet ad commutationem, pro explorato quoque habendum erit, ad illam rite impertiendam in Votis caussam requiri non solum cum illa fiet in minus,

ve-

verum etiam quando fiet in æquale; commutans non recte munere dispensatoris vice Domini sui fungitur, cum nulla suadente necessitate, aut utilitate aliud, quam per Votum fuerat promissum, aut æquale, aut etiam minus bonum, ut persolvatur sua auctoritate faciat. Vide Cajetanum in 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *In Commutatione*. Sanchez *Lib. VIII. De Dispensat. Matrim. Disput.* 20. Huc etiam facit *Cap.* De Peregrinationis 1. *De Voto &c.*

At, quid dicendum de hac potestate commutandi? num legitima deficiente caussa irrita sit facta commutatio?

R. I. Si Commutatio fiat in minus bonum, & legitima desit caussa ad illam concedendam, nulla erit facta commutatio. Ita Trull. *loc. cit. Lib. I.* §. 7. *cap.* 3. *Dub.* 14. *num.* 7. aliique non pauci, quos refert Sanchez *loc. cit. in Præcept. Decalog. cap.* 51. *n.* 2.

Dixi: *legitima deficiente caussa*, sive ad solam commutationem, sive saltem, uti contendit Suarez quando deerit caussa tum ad commutandum, tum ad minuendum Votum; censet enim eximius hic Theologus commutationem factam a Prælato in minus bonum absque legitima caussa tam ad commutandam *simpliciter*, quam ad illam materiam Voti minuendam per commutationem in minus, esse prorsus nullam; secus vero quando adfuit legitima caussa requisita ad commutandum, mi-

minime vero ad minuendam materiam Voti; quia tunc arbitratur, valere commutationem quoad partialem illam Voti solutionem, manente sola obligatione supplendi id, quod defuit ad æqualitatem. Legesis laud. Theologum *Tom. II. De Relig. tract. De Voto Lib. VI. cap.* 20. *n.* 7. & *cap.* 17. *n.* 5.

R. II. Commutationem voti factam in bonum æquale auctoritate Prælati, nulla etiam justa caussa intercedente validam esse arbitratur idem Suarez *loc. cit.* & post eum doctissimus Sanchez *in Præcept. Decalag. Lib. IV. cap.* 51. *num.* 6. At si quid opinari liceret inter tantæ auctoritatis Theologos, arbitrarer, hujusmodi commutationem valere, quia nunquam fere deesse potest justa, ac legitima caussa ad illam impertiendam, saltem quando fit ad petitionem voventis, uti ex dicendis in Quæstione sequenti dilucide patebit.

Quapropter dicere non dubitarem, hujusmodi commutationem etiam in æquale nulla omnino intercedente caussa factam esse prorsus invalidam, neque revera aliud sentire patet cla. Suarez, qui & nostram sententiam pluribus confirmat, & oppositam tantum uti probabilem refert. Lege *Cap.* 9. ejusdem *lib. VI. num.* 5. Vide Layman. *Tract. De Vot. & Vot. Relaxat. cap.* 8. *num.* 22. & 23.

Q. V. *Cujusmodi sit oporteat caussa, quæ requiritur sive ad dispensandum in Votis, sive ad ipsa commutanda?*

R. I.

doctissimus Suaresius *Tom. II. de Relig. Lib. VI. de Voti Irritation. &c. Cap. 16. num.* 3. oppositam proponat, atque tueatur. Huic nostræ sententiæ, quam hac in re amplexati sumus, maximum addit pondus auctoritas laudatissimi Pontificis Benedicti XIV. qui in Rescripto ad Archiepiscopum Compostellanum *in Respons. ad Postulat. VI.* apertissime edicit *tenorem Bullæ Cruciatæ stricte, & considerate esse perpendendum*. Verba laud. Rescripti alibi proferentur. Interim consule, si lubet, Concinam *Comment. in laud. Rescript. Pontific., cap.* 8. Verum de hisce quæstionibus satis abunde. Ad ea itaque quæ potiora sunt, & graviora manum admoveamus oportet.

§. II.

De Facultate dispensandi in Votis per Bullam concessa.

In hoc secundo §. amplissima nobis disputandi oboritur seges, at nonnullis, iisque oppido gravibus implexa difficultatibus, illas tamen, qua poterimus brevitate, ac facilitate extricare pro virili conabimur.

Norunt omnes, aliud esse Voti commutationem, aliud vero dispensationem. Utramque tamen aureis Angelici Præceptoris verbis placet describere: *Ille, qui vovet, quodammodo sibi statuit legem, ob-*

obligans se ad aliquid, quod est secundum se, & in pluribus bonum. Potest tamen contingere, quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum, quod est contra rationem ejus, quod cadit sub voto . . . . . Et ideo necesse est, quod determinetur, in tali casu votum non esse servandum. Et si quidem absolute determinetur, aliquod votum non esse servandum, dicitur esse dispensatio voti. Si autem pro hoc, quod servandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Unde minus est votum commutare, quam in voto dispensare. Utrumque tamen in potestate Ecclesiastica consistit. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10 *in corp.*

Q. I. *Quid facultatis circa Vota nobis per Bullam Sanctæ Cruciatæ deferatur commutandi ne, an dispensandi?*

R. Neque *mere* commutandi, neque *mere* dispensandi nobis facultas impertitur, sed tantummodo dispensandi adjuncta commutatione; seu *mixte* dispensandi. Id quidem luculentissime patet ex verbis Latinæ nostræ Bullæ, ita enim loquitur: *Nec non Christifidelibus prædictis, ut dispensari possint super votis simplicibus per eos emissis, in alia pia opera rite commutandis.* Quod & Bulla Itala ad normam laudatæ concessionis pulchre expressit, *num.* 4. Et quidem, uti patet, nobiscum indulgentius, ac liberalius agere gestiens Romanus Pontifex non *meram* commuta-

 tio-

tionem, sive commutandi potestatem nobis contulit, ut olim Genti Hispanæ per Bullam hujusmodi Hispaniarum Regnis concessam. Vide Sanchez *Lib. VIII. de Dispensat. Matrim. Disp.* 15. *num.* 1. & Trullenc. *in Exposit. Bull. S. Cruciat. Lib. I.* §. 7. *Cap.* 3. *Dub.* 1. sed potestatem dispensandi in Votis simplicibus nobis elargitus est, adjuncta licet præscripta commutatione.

Q. II. *Quid juris deferat hujusmodi concessa facultas mixte dispensandi?*

R. Illud nimirum, ut votum emissum possit saltem in aliquod bonum aliquantulo minus commutari.

Prob. Licet commutare votum emissum in aliquod bonum aliquantulo minus, cum concessa fuerit facultas *Commutandi Dispensando*, uti actum fuit cum Pœnitentiariis Romanæ Urbis a Benedicto XIV. per Bullam *Convocatis* occasione Jubilæi Anni Sancti. Ergo multo magis hoc ipsum licebit, cum deferatur facultas *dispensandi commutando*, quod fit per nostram Bullam.

Et sane in laud. Benedicti XIV. concessione, uti *principale* concedebantur potestas *commutandi*, atque tantum uti *accessorium* facultas *dispensandi*, per hanc tamen *accessoriam* dispensationem permissum erat a natura *proprie* dictæ commutationis, quæ ex sua natura exigit omnino, ac necessario æqualitatem operis subrogandi, uti norunt omnes, aliquantulum re-

recedere, in aliud opus minus bonum, *moderate* tamen, votum commutando, uti declarat idem Benedictus XIV. in *Epist. Encycl.* ad *laudat. Pœnitent.* §. 45. Multo itaque magis id nobis permissum censendum est, per nostram Bullam, in qua uti *principale* datur nobis facultas dispensandi; & tantum uti *accessoria* facultas *commutandi*.

Diximus: *in aliquod opus aliquantulo minus &c.* ut tutiori via incederemus. Ceterum posset quispiam, nec immerito ex doctrina P. Syri in Opere, cui titulus: *De Facultatibus Minor. Pœnitentiarior.* contendere, plus juris nobis competere per formulam dictæ nostræ concessionis, per eamque posse etiam votum in aliud opus bonum etiam multo minus commutari. Ubi enim *principaliter* detur facultas *dispensandi*, & *accessorie* tantum *commutandi*, actus plus *dispensationis* debet exhibere, quam commutationis; aliter enim accessorium principale ad se trahere nosceretur, neque sequi naturam sui principalis contra Sacrorum Canonum præscripta. *Cap. Unic. de Consecrat. Eccles. in 6.* & *Reg.* 42. *jur. eod. Lib. VI.* Plus autem *dispensationis* tunc patere potest in hujusmodi actu, cum votum etiam in multo minus bonum commutari contingat. Lege laud. *Encyclicam* Benedicti XIV. *loc. cit.*

Atque hoc profecto illud est, quod aliis verbis expressit nostra Bulla Itala,

in-

inquiens *num.* 4. *Potrete esser dispensato da' Voti semplici, che si dovranno commutare secondo le regole della Chiesa, e la prudenza del Confessore in altre opere di pietà proporzionate*. Proportio enim non exposcit æqualitatem operis substituendi eum voto, sed tantum proportionatam quamdam commensurationem juxta voti qualitatem, ac gravitatem, & voventis facultatem. Qua de re postea nobis erit differendum.

Porro *mixtæ* hujus *Dispensationis* præclara prostant exempla in Sacris Canonibus Lege *Cap.* Venientis 2. & *Cap.* Magnæ 8. *De Voto, & Vot. Redemt.*

Q. III. *Num in facultate Dispensandi in Votis, contineatur etiam facultas illa commutandi?*

R. Nihil dubii inesse potest, quod in facultate ordinaria dispensandi in Votis, contineatur etiam potestas illa commutandi, & quod facultas delata ad commutandum, ad dispensandum extendi non possit. Lege Sanchez mox laudandum, & Trullench. in laud. *Exposit. Bull. Cap.* 3. *Dub.* 2 *Lib. I.* §. 7. At vero cum agitur de potestate Delegata dispensandi in Votis, num illa comprehendat etiam potestatem commutandi, gravissima lis est inter Theologos. Nobis ea semper arrisit sententia, quod in potestate etiam Delegata dispensandi continetur etiam facultas communtandi: Vide Sotum *Lib. VII. De Justit. & Jur. Art.* 3. *Q.* 4. & Paulum

lum Layman *in De Vot. & Vot. Relanat. cap.* 8, *num.* 20. quæ quidem sententia etiam ex D. Thomæ doctrina 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *in corp.* non obscure colligi videtur; & doctiss. Suarez *Tom. II. de Relig. Lib. VI. De Irritat. &c. Voti num.* 9. *& seqq.* Doctissimus tamen Sanchez, aliique magni etiam nominis Theologi acriter contrariam sententiam tuentur, & argumentis non contemnendis communiunt. Lege *Disput.* 2. *Lib. VIII. De Dispensat. Matrimon. n.* 14. *&* 15.

Atque hinc factum est propter hujusmodi controversias, ut in omnibus Pontificiis Concessionibus, seu Votorum dispensationibus per ipsam Apostolicam Sedem factis semper mentio occurrat mixtæ hujus dispensationis faciendæ; adjuncta aliqua commutatione; tum, quia admixta commutatio necessaria est ad recte, ac perfecte exercendam potestatem dispensandi, teste Sanchez *loc. cit.* cum omnes ad unum Theologi, ac Canonum Interpretes consulant, ne omnino in Voto dispensetur, nulla prorsus adjecta commutatione; tum etiam quia hac ratione hujusmodi controversiis facile præcludetur aditus, uti docet Benedict. XIV. laud. *Encycl.* §. 47. Quis enim E. G. vel leviter addubitare poterit per formulam concessionis nobis in Bulla nostræ Cruciatæ adhibita; non solum ad *mixte* dispensandum; sed etiam ad *vere*, *proprieque*, ac *stricte* commutandum nobis facultatem de-

deferri? Qui enim potest commutare in minus, quod est mixte dispensare, potest multo magis commutare in æquale: *Non enim debet ei, qui plus licet, quod minus est, non licere. Et in eo, quod plus sit, & semper inest minus*. *Leg.* Non debet 11. & *Leg.* In eo 9. *ff.* *De Divers. Reg. Jur.* Cui etiam consonat *Reg.* Cui licet 53. *in* 6.

Q. IV. *Num ad dispensandum, sive commutandum in Votis requiratur caussa?*

R. Ad valide dispensandum in Votis justa, & rationabilis caussa intercedat necesse est. Hæc adsertio cum locum habeat in omnibus aliis dispensationibus, multo magis, uti patet, in dispensatione ab obligatione Voti. Vide Pontas *Cas.* 25. *De Dispensat. Matrimon.* & *Cas.* 10. *Dispensat. Vot.*

Prob. I. Prælatus dispensando in Voto, non dispensat in præcepto juris naturalis, vel Divini; neque enim id potest; sed tantum determinat, id, quod cadebat sub obligationem deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumspicere, non esse congruam materiam Voti, propterea quod in aliqua hypothesi facta sit aut simpliciter mala, aut inutilis, aut majoris boni impeditiva. Uti docet D. Thomas 2. 2, q. 88. *art.* 10. *in corp.* & in *Respons. ad* 2. Sed hoc est dispensare in Voto propter caussam intercedentem, atque obsistentem ejusdem voti exsecutioni. Ergo &c.

Prop. II. Omnis dispensatio a Prælato fie-

fieri debet ad honorem Christi, in cujus persona dispensat, & ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est corpus ejus, uti docet idem Angelicus Præceptor laud. *q.* 88. *art.* 12. *in corp.* Sed hujusmodi non potest esse dispensatio ab obligatione Voti, nisi urgens, & justa ratio, aut major quandoque utilitas ipsam dispensationem expotcat. Ergo &c. Ita unanimi consensu Theologi, ac Canonum Interpretes cum Glossa in *Cap.* Non est, *Verb.* adimplere *De Vot.* & teste Sanchez *Lib. IV. in Præcept. Decalog. Cap.* 45. *num.* 3. Lege Tridentinum *Sess. XXV. Cap.* 18. *De Reform.* cujus verba licet referantur ad quascumque dispensationes, illa tamen multo magis conveniunt dispensationibus, quæ fient a vinculo, sive ab obligatione Voti.

Hinc recte D. Thomas deducit: *Et ideo in manifestis dispensatio Prælati non excusaret a culpa: puta si dispensaret cum aliquo super voto de ingressu Religionis, nulla apparente caussa obstante. Si autem esset caussa apparens, per quam saltem in dubium verteret, posset stare judicio Prælati dispensantis, vel commutantis; non autem judicio proprio; quia ipse non gerit vicem Dei.* Laud. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2.

Quod porro attinet ad commutationem, pro explorato quoque habendum erit, ad illam rite impertiendam in Votis caussam requiri non solum cum illa fiet in minus, ve-

verum etiam quando fiet in æquale; commutans non recte muneris dispensatoris vice Domini sui fungitur, cum nulla suadente necessitate, aut utilitate aliud, quam per Votum fuerat promissum, aut æquale, aut etiam minus bonum, ut persolvatur sua auctoritate faciat. Vide Cajetanum in 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *In Commutatione*. Sanchez *Lib. VIII. De Dispensat. Matrim. Disput.* 20. Huc etiam facit *Cap.* De Peregrinationis 1. *De Voto &c.*

At, quid dicendum de hac potestate commutandi? num legitima deficiente caussa irrita sit facta commutatio?

R. I. Si Commutatio fiat in minus bonum, & legitima desit caussa ad illam concedendam, nulla erit facta commutatio. Ita Trull. *loc. cit. Lib. I.* §. 7. *cap.* 3. *Dub.* 14. *num.* 7. aliique non pauci, quos refert Sanchez *loc. cit. in Præcept. Decalog. cap.* 51. *n.* 2.

Dixi: *legitima deficiente caussa*, sive ad solam commutationem, sive saltem, uti contendit Suarez quando deerit caussa tum ad commutandum, tum ad minuendum Votum; censet enim eximius hic Theologus commutationem factam a Prælato in minus bonum absque legitima caussa tam ad commutandam *simpliciter*, quam ad illam materiam Voti minuendam per commutationem in minus, esse prorsus nullam; secus vero quando adfuit legitima caussa requisita ad commutandum, mi-

minime vero ad minuendam materiam Voti; quia tunc arbitratur, valere commutationem quoad partialem illam Voti solutionem, manente sola obligatione supplendi id, quod defuit ad æqualitatem. Legesis laud. Theologum *Tom. II. De Relig. tract. De Voto Lib. VI. cap.* 20. *n.* 7. & *cap.* 17. *n.* 5.

R II. Commutationem voti factam in bonum æquale auctoritate Prælati, nulla etiam justa caussa intercedente validam esse arbitratur idem Suarez *loc. cit.* & post eum doctissimus Sanchez *in Præcept. Decalag. Lib. IV. cap.* 51. *num.* 6. At si quid opinari liceret inter tantæ auctoritatis Theologos, arbitrarer, hujusmodi commutationem valere, quia nunquam fere deesse potest justa, ac legitima caussa ad illam impertiendam, saltem quando fit ad petitionem voventis, uti ex dicendis in Quæstione sequenti dilucide patebit.

Quapropter dicere non dubitarem, hujusmodi commutationem etiam in æquale nulla omnino intercedente caussa factam esse prorsus invalidam, neque revera aliud sentire patet cla. Suarez, qui & nostram sententiam pluribus confirmat, & oppositam tantum uti probabilem refert. Lege *Cap.* 9. ejusdem *lib. VI. num.* 5. Vide Layman. *Tract. De Vot. & Vot. Relaxat. cap.* 8. *num.* 22. & 23.

Q. V. *Cujusmodi sit oporteat caussa, quæ requiritur sive ad dispensandum in Votis, sive ad ipsa commutanda?*

R. I.

R. I. Si loquamur de dispensatione in Votis, ad illam impertiendam necessaria est caussa obstans executioni ejusdem Voti; aliter enim dispensatio non redundaret, neque in honorem Christi, neque in utilitatem Ecclesiæ, cum nulla hujusmodi caussa intercedente ad dispensandum procedatur. Ita satis aperte D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. & Cajetanus in *art.* 12. ejusdem Quæstionis Vers. *Ad evidentiam* Sanchez *Lib. VIII. De Dispensat. Matrim. Disput.* 20. Et in *Præcept. Decalogi Lib. IV. cap.* 45. *n.* 15.

Quænam porro sint hujusmodi caussæ executioni Voti obstantes, & unde profluant, late prosequitur idem Sanchez. ibid. & nos postea indicabimus.

Idem quoque dicendum, si loquamur de Dispensatione mixta, h. e. quando Votum commutandum sit in bonum minus: Sanchez *loc. cit.*

Quid vero dicendum, si dubium incurrat de sufficientia caussæ ad dispensandum?

R. Valere hac in hypothesi dispensationem, nec dispensantem peccare arbitratur laud. Sanchez. In hoc enim dubio in benigniorem quandoque partem erit inclinandum; saltem si ex dispensatione aliqua spes erit utilitatis, & nihil timeatur scandali; alioquin supervacanea esset dispensandi potestas, cum raro constat de sufficientia caussæ ad dispensationem impertiendam. Sanchez. *loc. cit.* Laymann *De Voto, & Vot. Relaxat. cap.* 8.

R. II.

R. II. Si vero de commutatione proprie dicta sermo sit, h. e. cum commutatio fiat in æquale, non requiruntur hujusmodi caussæ obstantes executioni ipsius Voti, cum per illam non dissolvatur vinculum Voti; sed tantummodo transferatur in aliam materiam loco promissæ. Quare ad illam impertiendam sufficiet quæcumque licet levis, ac parva caussa; imo pro caussa etiam satis erit, si ipse vovens petat hujusmodi commutationem, quia semper cum isthac petitione commutationis concurrit promtior, atque alacrior voluntas ad exsequendum Votum in materia subrogata, atque ita cedet facta commutatio *in honorem Christi, atque utilitatem Ecclesiæ*. Ita Cajetanus *loc. cit. Vers. In Commutatione* Sanchez laud. *Lib. VIII. De Dispensat. Matrim.* Trullench. *in Exposit. Bul. S. Cruc. Lib. I. §. 7. cap. 3. Dub. 14. 5.* aliique.

Dices contra primam partem responsionis. Cum caussa obstans executioni Voti occurrat, quia nimirum res promissa facta sit *simpliciter mala, aut inutilis, aut majoris boni impeditiva*, Voti obligatio evanescit, uti per se patet. Ergo nulla tunc opus erit dispensatione.

R. Quum omnino exploratum sit, atque manifestum, rem per Votum promissam factam fuisse vel *simpliciter malam, aut inutilem, aut majoris boni impeditivam*, tunc Voti ipsius vinculum per se

se evanescere nulla etiam interposita dispensatione certo patet. At cum dubium sit, num aliquid prædictorum interveniat in Voti exsecutione, tunc omnino ad dispensationis remedium confugiendum. Lege D. Thomam laud. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. Navarrum in suo *Manual. cap.* 12. *num.* 76. Sanchez laud. *Lib. VIII. De Dispensat. Matrim. Disp.* 20. *num.* 8. Imo D. Thomas *loc. cit.* diserte docet, etiam in casu, quo res per Votum promissa evaserit illicita, atque idipsum manifeste pateat, legitimum superiorem impetrandæ dispensationis, vel commutationis caussa pariter esse conveniendum, modo id opportune fieri poterit.

Q. VI. *Num ad dispensandum juxta Bullæ nostræ præscriptum requiratur caussa, & qualis?*

Ante responsionem recolenda sunt I. quæ superiori Quæstiuncula docuimus de caussis requisitis ad valide dispensandum, ut nimirum cuussa adsit Voti exsecutioni obsistens, aliter enim frustra erit concessa dispensatio. Atque hoc idem locum habere diximus in dispensatione, quæ dicitur *mixta*, cum scilicet dispensationi aliqua admiscetur commutatio, aut cum ipsum Votum in minus bonum commutatur. Quod apertissime docet Sanchez locis per nos in superiori Quæstiuncula indicatis, licet immerito Paulus Layman *Tract. De Voto cap.* 8. *sub n.* 23. proferat eumdem Sanchez quasi contraria sentientem,

tem; sed nihil hujusmodi apud ipsum deprehendere potuimus. Hac de re consule si lubet, etiam Sotum *Lib. VII. De Just. q.* 4. *art.* 3.

II. Animadvertendum, hæc non solum locum habere cum agitur de Prælato dispensante in Votis per ordinariam potestatem; sed multo magis cum agitur de illis, qui ad dispensandum procedunt per solam facultatem delegatam, uti satis per se patet; Mandatum enim Pontificis, multoque magis inferiorum Prælatorum ad jus referri debet, uti ex *Cap.* De Multa 27. *De Præbend. &c.* & cum alicui defertur facultas ad dispensandum intelligenda est eidem concessa *juxta formam juris, nam verbum absolute prolatum secundum tenorem juris est intelligendum*, ut sapienter advertit laudat. Sotus *loc. cit.* loquens de facultate dispensandi per Bullam concessa.

Ad Quæstionem itaque propositam respondeo, & dico.

Ad valide dispensandnm in Votis juxta præscriptum nostræ Bullæ requiritur caussa, & quidem obsistens Voti executioni.

Prob. Per formulam concessionis in nostra Bulla adhibitam confertur Confessariis electis facultas commutandi Vota in minus, ac etiam in multo minus bonum, quam esset ipsum Votum, ut in Quæstiuncula 2. hujusce §. probatnm per nos fuit, atque ex P. Syro *in Op. ibid.* laud. au-

audivimus. Atque hujusmodi concessa commutatio, aut est proprie dicta dispensatio, uti dicere non dubitavit doctissimus Suaresius *Tom. II. De Relig. Lib. VI. de Voto cap.* 19. *num.* 8. aut saltem plus habet admixtum dispensationis, quam commutationis. Ergo naturam veræ dispensationis sequatur oportet, ac proinde caussam exposcit Voti exsecutioni obstantem, ne optata validitate careat, non secus ac proprie dicta dispensatio.

Idem quoque dicendum de facultate concessa circa Vota per Bullam Jubilæi, si quando hæc, aut ferme similis concessionis forma adhibeatur, ut in Jubilæo Anni Sancti Anno quinquagesimo hujusce labentis seculi per Benedictum XIV. indicto, in quo per Bullam *Convocatis* Pœnitentiariis in Quatuor Urbis Romanæ Basilicis concessa est facultas, ut possent *omnia & singula Vota simplicia . . . commutare dispensando in alia pia opera*. Verum in Jubilæis fere semper deferri solet Confessariis sola facultas commutandi Vota, ut in Jubilæo memorato in eadem Bulla *Convocatis*, pro ceteris Confessariis in eadem Urbe designandis *num.* 37. & in Bulla. *Benedictus Deus* pro extensione ejusdem Jubilæi ad universum Catholicum Orbem §. 5. & in Jubilæo indicto initio Pontificatus ejusdem Benedicti XIV. per Bullam *Laetiora* §. 4. Et in Jubilæo demum indicto anno 1744. pro pace impetranda inter Christianos Principes, aliisque Ec-

Ecclesiæ necessitatibus ab eodem Pontifice per Bullam, quæ incipit *In Suprema*; tunc autem quænam caussa requiratur, & sufficiat ad solam validam votorum commutationem ex adducendis infra ex doctissimo Suaresio luculentissime patebit.

Hic demum advertendum arbitramur, plures a Theologis recenseri caussas voti exsecutioni obsistentes; aliæ enim hujusmodi sunt ex parte rei per votum promissæ, quia scilicet mala simpliciter evaserit, aut inutilis, aut præstantiori, ac majori bono impedimentum afferat; cujusmodi caussas recenset D. Thomas loco superius laudato. Aliæ vero hujusmodi sunt ex parte ipsius voventis, ut cum nimirum votum fuerit nuncupatum sine prudenti, ac perfecta deliberatione, ut accidit in votis puerorum. Legendus hic est *Cap.* Venientis 2. *De Voto &c.* vel cum votum ex subito iracundiæ impetu prodierit, vel cum per metum fuerit expressum; sive metus iste contingat ab extrinseco naturali, sive extrinseco libero, aut per dolum, aut cum res per votum promissa facta sit occasio spiritualis ruinæ, aut tale periculum includat; ut magna occurrat difficultas ad votum implendum, aut vehemens transgressionis periculum. Aliæ demum proficiscuntur ex caussa extrinseca pertinente ad bonum commune, aut privatum ipsius voventis. De quibus omnibus partim Sotus *loc. cit.* ac satis abunde Sanchez, tum *Lib. VIII. De Di-*

spensat. Matrim. Disp. 20. tum *in Præcept. Decalog. Lib. IV.* integro *cap.* 45. At nobis ea tantum indicasse sit satis.

Porro nostræ huic propositæ adsertioni de necessitate caussæ ad *mixte* dispensandum ex facultate nostræ Bullæ minime refragantur Hispanici Scriptores, qui ad commutanda vota per facultatem Bullæ, aut Cruciatæ, aut Jubilæi nullam aliam docent exquiri caussam præter definitam eleemosynam in Bulla Cruciatæ, aut opera præscripta in Bulla Jubilæi; ipsi enim loquuntur de *mera*, ac *simplici*, ac *proprie* dicta commutatione, quæ ex sui natura æqualitatem significat, atque exposcit in opere, quod voto promisso est subrogandum. Neque enim aliud ipsis concedebatur per Bullam Cruciatæ, quam simplex solum, & *mere commutandi* facultas, quemadmodum per Bullas quoque Jubilæi factitari diximus. Audiatur hac de re doctissimus Suaresius, qui *Tom. II. tract. De Voto Lib. VI. cap.* 19. *num.* 7. loquens de *mera*, ac *proprie* dicta commutatione omnem ambiguitatis ansam præripere studet, his verbis: *Secundo infertur, quando per Jubilæum, vel privilegia aut alias Bullas datur Confessariis, aut aliis potestas delegata ad commutandum, in rigore non posse fieri commutationem nisi in æquale, & ex caussa.* Et postquam probavit necessitatem commutationis in æquale, tum de necessitate caussæ ad validam commutationem adjecit *num.* 10.

10. *Hinc facile patet pars altera de caussa; tum quia, ut dixi, necessitas potestatis delegatæ, & exigentia caussæ sese comitantur; tum quia ipse Delegans, seu habens potestatem ordinariam non potest commutare sine caussa; ergo multo minus poterit Delegatus. Sufficiet autem, ut dixi, caussa levis, quia parva etiam est remissio, quæ per commutationem fit. Unde prudenter advertit Cajetanus, interdum posse sufficere caussam justæ condescensionis ex fragilitate pœnitentis, sive voventis, ut cum gaudio, & non gemendo debitum suum solvat; quando recta ratione credi potest hoc esse opus gratitudinis vice Dei exhibitæ, ut non videatur cum tanto rigore exigere definitum debitum a liberali debitore, qui voluntarie se obligavit. Addo vero interdum, hæc Indulta, seu facultates ad has commutationes concedi sub aliquo onere, & ex generali caussa boni communis: & tunc ipsa caussa, & modus obtinendi talem facultatem sufficiens videtur ad cohonestandam talem commutationem æqualem sine alia speciali caussa. Et hoc modo videtur hæc facultas dari per Jubilæa, & per Bullas Cruciatæ, & similia. Secus vero quando simpliciter delegatur hæc potestas in gratiam delegati, ut fit per privilegia Religiosorum, vel quando simpliciter conceditur in favorem privatæ personæ, vel in remedium alicujus oneris; tunc enim est necessaria specialis caussa, ut dictum est.* Atque ita

etiam intelligendi sunt Trullench, Salmanticens. *loc. cit.* ceterique. Hunc locum hujusce laudatissimi Theologi idcirco integrum retuli, quia nescio quid ambiguitatis apud quosdam Theologos offendi hoc in genere.

Q. VII. *Quænam ratio servanda sit in commutatione, quæ admiscenda est dispensationi juxta præscriptum nostræ Bullæ, tùm præsertim in meris, atque æqualibus commutationibus faciendis per Bullas Jubilæi?*

R. Licet optimum factu, & longe convenientius sit, ut vota realia in alia onera realia commutentur, & personalia in alia onera personalia, atque idem servata proportione de Votis mixtis; id tamen ex natura rei necessario non requiritur; sed tantum ubi per legem, aut delegatam potestatem id fuerit præscriptum. Ita doctissimus Suarez *Tom. II. De Relig. Lib. VI. De Voto cap. 19. n. 15. & seqq.* Gonzalez *Comm. in cap. 1. De Voto num. 9.* Laymann. *Tract. De Voto &c. cap. 8. n. 25.* ceterique communiter.

Prob. I. Ex *Cap.* Venientis *De Vot.* ubi votum mixtum peregrinationis in votum dumtaxat reale commutatur, nulla imposito onore personali; uti patet ex ejusdem verbis: *Ipsum*, ait Pontifex Alexand. III. *a voto absolvimus . . . ita tamen, quod item votum eleemosynis, redimere debeat*. Et in *Cap. 1. tit. eod.* Vo-

Votum quoque peregrinationis apertissime edicitur posse, aut eleemosynis redimi, quod est illud in reale commutare, *aut aliud pro necessitate impleri*; atque hoc ipsum ab ejus, qui præsidet pendere arbitrio considerata qualitate voventis, & caussa commutationis. Ergo votum reale poterit in onus personale commutari; & vice versa, non solum quando necessitas istud exposcat, verum etiam quando ipsius voventis major spiritualis utilitas hoc ipsum suadeat. Lege laud. *Cap.* 1. & *Cap.* Ex Multa 9. *tit. eod.*

Prob. II. ratione. In hisce actibus non attenditur physica unitas, sive similitudo, sed tantum proportio, seu æstimatio moralis iu ordine ad virtutem, & gloriam Dei. Atque hæc ipsa inveniri poterit in omnibus hisce actibus, in quos forte voti obbligatio transfundetur, sive realis quid præseferant oneris, sive personalis. Ergo &c. Quare in ratione meriti potest oratio æquari eleemosynæ, & e converso; imo & interdum sola oratio æquivalet jejunio, & eleemosynæ simnl, & sic de aliis dicendum. Ergo etiam in ordine ad compensationem poterunt ista, aut alia hujusmodi invicem commutari.

Dices: *Cap.* Magnæ 17. & *Cap.* Quod super his 8. *De Vot.* aperte decernitur in voto peregrinationis computandas esse expensas, ut redimantur, & labores, ut commutentur. Ergo quod est reale in

voto commutandum in aliud onus reale, & personale in aliud personale.

R. Adducti Canones in speciali casu loquuntur de voto peregrinationis in subsidium Terræ Sanctæ, in cujus commutatione Pontifices semper id observarunt, ut commutationem facerent in favorem Terræ Sanctæ, quod illis temporibus erat maxime conveniens. Unde ex vi juris servanda erat illa forma redimendi votum illud, & mittendi expensas in subsidium Belli pro liberatione ejusdem Terræ; non quia per se necessaria esset; sed quia videbatur ita jure statutum. Nunc autem illa utilitas, aut necessitas cessasse penitus videtur, & ita nunc temporis votum illud peregrinationis instar aliorum commutari potest, vel juxta tenorem privilegii concessi ad talem commutationem faciendam, quia nunc non durat eadem ratio. Ita doctissimus Suarez *loc. cit.* Vide etiam Sanchez *in Præcept. Decalog. Lib. IV. cap. 56. n. 26.*

Ex his profecto facili negotio, ut arbitror, colligi poterit, quisnam modus servandus in hujusmodi commutationibus votorum, sive ista sint *pure* realia, sive *pure* personalia, sive mixta; nonnulla tamen hoc in genere proferre exempla operæ pretium duximus, quæ rem ipsam majori in luce constituant.

Hinc primo si votum reale commutandum sit, & caussa ipsius commutationis instituendæ proficiscatur ex paupertate, non

non oportet facere commutationem realem, ut sic dicam, sed personalem cum prudenti æquiparatione, alias commutatio esset inutilis, & repugnaret caussæ. Si autem ratio commutationis aliunde oriatur, tunc optimum factu semper est, uti diximus, facere realem commutationem; hac enim ratione, æqualitas, idem finis, & intentio voventis, quæ servanda sunt, quoad ejus fieri poterit, in commutationibus votorum facilius attingentur; nisi fortasse commutatio in onus personale evidenter melior futura sit voventi, aut in majus spirituale bonum eidem cessura existimaretur.

In votis vero mixtis; si aliquod sit mixtum per accidens, tunc reputatur veluti duplex votum, uti docet idem Suaresius *Lib. II. De Vot. Cap. ultim. n. 2.* & tunc ad singulas ejusdem partes aptanda sunt quæ diximus. Si autem votum sit *proprie*, & *intrinsece* mixtum, uti est votum peregrinationis, tunc habenda erit ratio sumtuum itineris tam eundo, quam redeundo, uti apertissime decernitur in *Cap.* Magnæ 7. *de Voto*, demtis tamen iis, quos vovens domi manens esset facturus; non quod necessario iidem sumtus sint pecunia redimendi, sed quia illi augent pondus, atque æstimationem voti, ideoque compensandi, ordinarie per alias expensas in opera pietatis, vel per alia opera ex rationabili caussa.

Votum conditionale poterit commutari

servata conditione, i. e. substituendo aliam sub eadem conditione; vel mutata conditione, manente tamen eadem poena, sive materia; vel denique commutari potest in aliquod absolutum, & tunc censeri potest æqualitas, licet quantitas rei promissæ minuatur; ut si per votum promissa sunt decem danda in eleemosynam, si navis venerit; nunc si absolute dentur quinque, sive venerit navis sive non item, moraliter potest censeri æqualitas considerati aliis circumstantiis. Eadem sane ratione, si votum sit diuturnæ obligationis, commutari facilius poterit, si in aliud onus æque diuturnum transferatur obligatio; non est tamen id absolute necessarium; sed ex qualitate, & gravitate operis expediendi poterit illa diuturnitas compensari: ut si quis promiserit, se daturum singulis annis certam eleemosynam per totum vitæ decursum, posset redimi obligatio erogata nunc simul quadam magna quantitate in eleemosynam, quæ judicio prudentis viri adæquationem faceret.

Demum expendendæ sunt circumstantiæ personarum, & qualitates operum, in primis in ordine ad divinum cultum, deinde in ordine ad bonum commune, vel utilitatem præsertim spiritualem proximorum, multoque magis ipsius voventis, vel in ordine ad meritum coram Deo, vel in ordine ad satisfaciendum pro peccatis, vel in ordine ad præcavenda peccata

cata futura, vel eorumdem occasiones, & sic omnibus pensatis non erit admodum difficile inter materias, ac proprietates votorum etiam dissimiles sufficientem proportionem deprehendere. Ita laudatissimus Suarez laud. *Lib. VI. loc. cit.* Legendi sunt etiam hac de re Sanchez in *Praecept. Decalog. Lib. IV.* integro *Cap.* 56. & Trullench. In *Exposit. B. Cruc. Lib. I.* §. 7. *Cap.* 3. *Dubit.* 18. ubi plura etiam deprehendes ad praxim in hujusmodi commutationibus, supra quam dici potest, inservientia.

Q. VIII. *Quaenam sint vota simplicia, quæque solemnia, quæque demum sint reservata, & undenam profluat ista reservatio?*

R. I. Quænam sint vota solemnia, quæque simplicia breviter explicat his verbis D. Antoninus: *Votum solemne aliud est, quod solemnizatur in professione Religionis approbatæ: aliud quod solemnizatur per susceptionem sacri Ordinis, scilicet Subdiaconatus, & supra. Omne autem votum quod non est solemne est simplex, sive illud fiat publice, sive privatim, sive ore, sive tantum corde. In Summ. Par. II. tit.* 11. *cap.* 2. §. 1. Etenim uti egregie philosophatur Angelicus: *Vota ex hoc, quod fiunt in publico, possunt habere quandam solemnitatem spiritualem, & divinam, sicut habent vota præmissa*, (nimirum solemnia) *etiamsi coram paucis fiant. Unde aliud est, votum esse publicum; &*

 aliud

aliud esse solemne. 2. 2. *qu*. 88. *Art*. 7. *ad*. 3. Consentit etiam Bonifacius VIII. in *Cap. Unic. de Vot. in 6*. V. Pontas, verb. *Votum*. *Cas*. 24. & Benedictum XIV. in *Encycl.* sæpius laud. §. 41.

Porro in quo repositum sit discrimen inter votum solemne, ac simplex graviter dissident inter se Theologi, ut videre est apud Sanchez *Lib. VII. De Matrimon. Disp.* 25. D. Thomas, 2. 2. *q*. 88. *Art*. 7. & *Art*. 11. docet, essentiam voti solemnis consistere in benedictione spirituali, seu consecratione, per quam religiosus Religionem professus inhabilis efficiatur ad opera carnis, & sæculi, atque inde deducit idem Angelicus Præceptor, laud. *q*. 11. non posse, ne per ipsum quidem Romanum Pontificem in voto castitatis, quod in Religionis professione emissum esset, dispensari.

At potior visa est hac in re Scotistarum sententia edocentium, discrimen inter utrumque votum esse repetendnm ex solo jure Ecclesiastico, sive Ecclesiæ statuto, per quod fit, ut qui in circumstantiis, & solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis voveat, inhabilis evadat ad certos effectus. Huic sententiæ maxime suffragatur Bonifacius VIII. in *Cap. Unic. De Vot. in 6.*, indeque unanimi fere consensu deducunt Theologi, posse Pontificem non solum in solemni voto castitatis sacris Ordinibus adnexo, de quo minus dubii inesse potest, verum etiam in eo,

quod

quod emittitur in professione Religionis, dispensare, cum urgentissima caussa boni communis id exposcat. Vide Cajetanum in laud. *q.* 11. D. Thomæ, Pontas in *Dictionar.* verb. *Dispensat. Matrim. Cas.* 1. & præsertim laud. Sanchez. *Lib. VIII. de Matrim. Disp.* 8. Adde & ipsum D. Thomam hoc idem docuisse in *IV. Sentent. Distinct.* 38. *q.* 1. *Art.* 4.

R. II. Quod spectat ad vota reservata, quænam, & quot ea sint, quæ Romano Pontifici maneant reservata, nemo unus ignorat, esse votum perpetuæ castitatis, Religionis, ac triplicis peregrinationis.

R. III. Reservatio voti Hierosolymitani, sive uti vocant etiam *transmarini*, ex ipso Jure Decretalium manifestissime deducitur uti liquet *Cap.* Ex Multa 9. *De Voto &c.* Et licet hic sermo sit de voto, quod fiebat *in subsidium Terræ Sanctæ*, non vero quod sola devotionis gratia ad invisenda, atque veneranda eadem loca nuncupatum esset; communiter tamen ex statutis Pontificiis reservatio etiam ad hoc postremum sola devotionis caussa nuncupatum extenditur; quod & consuetudine firmatum est. Lege Pontas verbo *Dispensat. Votor. in gener. Cans.* I.

Ceterorum porro votorum reservatio ex universali potius consuetudine per Pontifices in Episcopos legitime præscripta est repetenda; & licet in *Extravag*. Etsi Dominici 2. *inter Comm. tit. de Pœnitent. & Remissionib.* quæ est Xysti IV.

Pontific. numerentur quinque recensita vota reservata, & adjiciatur quoque excommunicationis pœna Summ. Pontif. reservata adversus eos omnes, qui eadem commutare auderent per solas facultates ab eodem Xysto concessas absque speciali Pontificis licentia; ipsa tamen laud. Extravagans potius supponere videtur consuetudinem jam invectam, ut soli Romano Pontifici jus esset in iisdem dispensandi, aut commutandi, quam novum reservationis jus circa eadem vota inducere. Vid. Pontas *loc. cit.* & Sanchez in *Decal. Lib. IV. cap.* 40. *n*, 6.

Hisce vero reservatis votis alii alia accensent; at quia communiter rejiciuntur, idcirco ab illis referendis supersedendum duximus. Quod vero D. Thomas 2. 2. *q.* 184. *Art.* 6. in corpore iisdem adnumeret vota perpetua, in quibus ad Pontifiem dumtaxat pertinere dixit dispensationem, hoc erit intelligendum de voto tacito, quod emittitur ab Episcopo dum pastorale onus adsumit, non deserendi Ecclesiam juxta *Cap.* Nisi cum pridem 10. *de Renuntiat.* quemadmodum ipse D. Thomas satis innuit loco superius indicato, & clarius 2. 2. *q.* 185. *Art.* 4. in corpore recte sese explicat, dum ait: *Soli enim Papæ licet dispensare in voto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum adstrinxit Episcopatum suscipiens.* Lege Benedictum XIV. in laud. *Epist. Encycl.* §. 42.

§. 42. & Sanchez. in *Decalog. Lib. IV. cap.* 40. *n.* 14.

Q. IX. *An istbæc votorum reservatio comprehendat etiam juramenta, Castitatis scilicet, Religionis, ac triplicis peregrinationis; adeo ut, & ista Pontifici reserventur, cum absolute & simpliciter fuerint emissa?*

R. Affir., idque probabilius, uti testatur Truilench. Prob. Juramentum enim Deo factum includit votum; etenim juramentum, quo Deo aliquid promittitur, nihil aliud est, quam votum jurejurando firmatum. Ergo quemadmodum vota censenda sunt reservata cum materiam respiciant reservatam; ita etiam, & juramenta. Ita Sanchez *Lib. VIII. De Matrim. Disp.* 13. *n.* 2. ubi perbelle nostram hanc sententiam cum opposita quorumdam Theologorum conciliat. Atque in *Decalog. Lib. III. cap.* 19. *n.* 6. Trullench. in *Exposit. B. Cruc. Lib. I.* § 7. *Cap.* 3. *Dub.* 5 aliique;

Dixi *si absolute, & simpliciter fuerint &c.* Etenim si sint conditionata, & pœnalia, probabilius est, ante impletam conditionem, aut contractum poenæ debitum a reservatione esse immunia, non secus ac vota; post impletam vero conditionem, aut pœnam contractam manere reservata arbitramur, licet contrarium sentiat Sanchez *loc. cit.* Verum hæc clarius suo loco patebunt, cum de hujusmodi votorum dispensatione agemus.

Q. X.

Q. X. *Num hanc reservationem Votorum* stricte *intelligere, atque interpetrari oporteat?*

R. Affir. Quod sane exploratum, atque compertum est apud omnes, atque id, uti arbitror, nemo unus ignorat. Quum enim dispensatio omnium Votorum jure ordinario pertineat ad Episcopi potestatem in sua cujusque Dioecesi, hinc fit, ut reservatio eandem coarctans, ac restringens, potestati illorum ordinariæ sit odiosa, & contraria, ac proinde *stricte* accipienda; juxta vulgatam illam Juris Regulam: *Odia restringi &c.* Non enim fit, uti sapienter advertit Suaresius, per concessionem jurisdictionis, sed per ablationem ejus, & quasi diminutionem ordinariæ potestatis; quapropter non erit isthæc reservatio definienda per affirmativam regulam, ut scilicet ea tantum possint Episcopi in dispensandis Votis, quæ ipsis inveniuntur concessa; sed per negativam, ut omnia possint, quæ iisdem non inveniuntur prohibita. *Tom. II. De Relig. Lib. VI. Cap. 21. n. 1.* Quid porro præstet hæc stricta interpetratio in Votorum reservatione adhibenda inferius patebit.

Q. XI. *Num concessa per Bullam, aut privilegium generali facultate dispensandi in omnibus Votis, etiam reservata in illa includantur?*

R. Neg. Prob. Casus, sive peccata reservata non intelliguntur comprehensa in

in generali facultate absolvendi a peccatis. Ergo nec etiam vota reservata. Antecedens apprime liquet ex *Cap.* Si Episcopus 2. *De Pœnitent. & Remiss. in 6.* ubi decernitur, quod concessa ab Episcopo facultate suo subdito deligendi sibi idoneum Confessarium, ut a peccatis eum absolvat, non intelligitur eidem concessa facultas, ut a peccatis eidem Episcopo reservatis possit absolvere; *quia in generali concessione illa non veniunt, quæ quis non esset in specie verosimiliter concessurus Reg. 81. Jur. in 6.* Ergo hoc idem & de votis reservatis erit dicendum. Quapropter jure merito Syxtus IV. in Extravag. laud. *Etsi Dominici Cap. V. De Pœnitent. &c.* decernit atque declarat, neminem posse recensita vota reservata commutare; multoque minus in iisdem dispensare: *nisi ex speciali licentia, & certa scientia* ejusdem Pontificis.

Adserta porro responsio intelligenda est de omnibus omnino reservatis votis, adeo, ut non solum vota Castitatis, & Religionis in generali facultate dispensandi in omnibus votis minime concessa intelligantur; sed etiam cetera peregrinationum, quod scite probat Suaresius laud. *Lib. VI. cap.* 21. *n.* 4. Quapropter jure merito Sanchez, cum antea in ea fuisset opinione, ut arbitraretur vota peregrinationum includi in generali concessione, ingenue palinodiam cecinit. *Lib. IV. in Decalog. cap.* 40. *n.* 16.

Q. XII.

Q. XII. *Num per formulam concessionis generalem dispensandi in omnibus Votis, etiam reservatis, aut eadem commutandi, omnia omnino reservata Vota, etiam Castitatis, & Religionis concessa intelligantur, quod ad dispensationem, vel commutationem attinet?*

R. Affirm. Dummodo neutrum illorum expresse, vel tacite excipiatur. Prob. Omnia isthæc vota reservata æqualia sunt quantum spectat ad reservationem, neque aliquod inter ipsa majoris reservationis vinculo est affectum, adeo ut in speciali concessione facta in omnibus reservatis minime censendum sit comprehensum; neque enim ex jure, vel consuetudine probari potest, aliquod ipsorum indigere magis speciali mentione, aut expressione, quam cetera reservata vota, ut censeatur concessum. Ergo cum etiam in reservatis, nulla adjecta exceptione, fiet potestas dispensandi, aut commutandi, etiam vota Castitatis, & Religionis in hac formula comprenensa intelligenda sunt. Contrarium quidem accidit in concessione absolvendi a reservatis casibus, at id quidem vel ex usu, vel ex aperta declaratione Pontificum, vel Episcoporum ortum habet, ut in concessione casuum reservatorum, non omnes omnino censeantur comprehendi, sed quidam inter illos speciali mentione, atque expressione indigeant, ut concessi reputentur; at vero nihil hujusmodi occurrit in reserva-

vatione votorum. Quando igitur omnia vota reservata conceduntur, nulla probabilis ratio afferri potest, cur vota Religionis, ac Castitatis sint excipienda, ac proinde etiam ipsa in concessione hujusmodi comprehensa intelligenda sunt. Ita doctissimus Suaresius *loc. cit. n.* 5.

Huc facit etiam, atque nostram apertissime adsertionem confirmat formula concessionis, qua utitur Benedictus XIV. in celebri Bulla *Convocatis* edita scilicet occasione Jubilæi Anni Sancti pro Pœnitentiariis Romanæ Urbis. Vide laud. *Bull. n.* 8. Cujusmodi concessionis formulam mox referemus, atque expendemus.

Dixi: *dummodo expresse, vel tacite non excipiantur*. Si enim vel *tacite* tantum exciperentur, hujusmodi tacita exceptio satis erit, ut in illis minime liceat dispensare, aut eadem commutare. Hinc perquam rectissime Sotus, quem laudat, ac sequitur Suaresius *loc. cit. n.* 7. & Sanchez *Lib. VIII. De Matrim. Disp.* 9. *num.* 2. loquens de quibusdam Pontificiis Bullis, ubi in concessione votorum solum votum Hierosolymitanum excipiebatur, reticebantur vero vota Castitatis, & Religionis, docet, eadem vota Castitatis, ac Religionis non censeri concessa per hujusmodi concessionis formulam, sed *tacite* inde censeri excepta; quia exceptio voti inferioris, quale erat Hierosolymitanum,

num, includit etiam exceptionem voti majoris, ac gravioris, cujusmodi est illud Castitatis, aut Religionis.

Q. XIII. *Num potestas facta per Bullam Cruciatæ, aut Jubilæi sive ad dispensandum in Votis, sive ad illa commutanda intelligenda sit, tantum de illis, quæ ante concessionem Bullæ fuerint emissa, an etiam de illis, quæ postea forte emittentur?*

R. Eam esse intelligendam de omnibus votis, quibus fuerit quis illigatus eo tempore, quo petit dispensationem, vel commutationem, sive ante concessionem Bullæ fuerint emissa, sive postea.

Prob. *In beneficiis plenissima interpretatio est adhibenda*, & verba indefinita tempus etiam futurum respiciunt, & complectuntur: uti docet Innocent. III. in *Cap.* Quia non satis. 22. *De Privileg.* At potestas sive dispensandi, sive commutandi in votis est quoddam beneficium a Pontifice concessum, ac per verba indefinita impertitur: uti patet ex formula concessionis adhibita in Bulla nostræ Cruciatæ, quam mox in medium proferemus, atque etiam in aliis Bullis. Ergo &c.

Præterea potestas concessa ad absolvendum a casibus, & censuris reservatis extenditur etiam ad illas, in quas forte post privilegii concessionem pœnitens inciderit: ita communiter nos edocent Theologi, & ratio ipsa satis per se manifeste evincit. Ergo multo magis potestas facta si-

ve

ve dispensandi, sive commutandi in votis extendenda etiam est ad vota, quæ forte post concessionem privilegii fuerint emissa. Ita Navarr. in suo Manual. *cap.* 12. *num.* 80. Suarez laud. *Lib. VI. cap.* 13. Sanchez in *Decalog. Lib. IV. cap.* 53. *num.* 23. aliique communiter.

Q. XIV. *Quibus in Votis nobis fiat potestas dispensandi per Bullam nostræ Cruciatæ, adjuncta commutatione?*

R. In Votis dumtaxat simplicibus. Id patet ex formula concessionis in Latina nostra Bulla adhibita, quæ hunc in modum sese habet: *Concedimus, & indulgemus Christifidelibus prædictis, ut dispensari possint super Votis simplicibus per eos emissis, in alia pia opera rite commutandis, exceptis tamen Votis solemnibus Religionis, & Castitatis.*

Isthæc profecto concessionis formula digna est, ut perpendatur; multum enim absimilis est ab iis, quæ in aliis, hujusmodi Pontificiis concessionibus adhiberi solet; uti patet tum ex Bullis Jubilæi supra laudatis Benedicti XIV., tum etiam ex Bullis S. Cruciatæ pro aliis Regionibus concessis. Vide Bullam Cruciatæ concessam pro Regnis Hispaniarum, cujus formulam, quantum spectat ad præsens argumentum, referunt Sanchez *Lib. VIII. De Dispensat. Matrimon. Disput.* 15. *num.* 5. aliique; & Bullam S. Cruciatæ concessam pro Regno Siciliæ ultra Pharum. Quamdam tamen præ se gerit similitudinem cum

cum illa concessionis formula, quam adhibet ipse Benedictus XIV. in sua Bulla Jubilæi Anni Sancti, quæ incipit *Convocatis* pro Pœnitentiariis Romanæ Urbis. At de illa mox.

Q. XV. *Num per laudatam Bullæ nostræ concessionis formulam in omnibus omnino simplicibus Votis, etiam Castitatis, ac Religionis concessa sit potestas dispensandi, adjuncta commutatione?*

Concessionis formulam, qua utitur hac in re nostra Bulla Cruciatæ iterum subjiciam fidelibus Lectorum oculis: quæ in hunc modum se se habet: *Ut dispensari possint super votis simplicibus per eos emissis, in alia pia opera rite commutandis, exceptis tamen votis solemnibus Religionis, & Castitatis.*

R. Probabile multum esse per laud. Bullæ nostræ Concessionis formulam potestatem impertiri dispensandi, adjuncta commutatione in omnibus omnino simplicibus votis etiam Castitatis, atque Religionis.

Prob. Ex doctrina, quam tradunt Duoviri doctissimi, ac summi Theologi Suaresius *Tom. II. De Relig. Lib. VI. cap.* 25. *num.* 7. & 10. & Sanchez *in Decalog. Lib. IV. cap.* 40. *n.* 18. & 19 Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis: juxta *Cap.* Dominus 6. *Caus.* 32, *q.* 7. & *Cap.* Quoniam 2. *de Conjugio Leprosor.* Atqui dumtaxat Vota solemnia Castitatis, & Religionis

ex-

excipiuntur in concessionis formula, uti patet. Ergo cetera simplicia intelliguntur inclusa, ac comprehensa juxta Regulæ præscriptum in allata concessionis formula.

Et sane nisi exceptio præstaret hunc effectum, & firmaret regulam in contrarium in casibus non exceptis, esset omnino inutiliter, supervacanee, ac otiose hic apposita. Quod ita probatur: Vota solemnia Castitatis, ac Religionis, quam maxime. & supra cetera omnia simplicia sunt reservata, juxta *Cap.* Cum ad Monasterium 6. *De statu Monachor.* Ergo in ista generali concessione non intelliguntur comprehensa, & satis per se, ac multo magis, quam cetera intelligerentur excepta, etiam nulla apposita hujusmodi exceptione. Ergo apposita exceptio solemnium Votorum, ne omnino otiari, ac frustra appositam illam dicamus, quod alienum est a ratione, firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, ac proinde tacite includit concessionem ceterorum omnium non solemnium etiam Castitatis ac Religionis. quæ ibi minime excipiuntur. Ita laud. Sanchez.

Hinc merito deducit laud. Theologus; quod si Pontifex concederet facultatem dispensandi, vel commutandi omnia vota, præter Castitatis, ac Religionis, intelligerentur concessa vota triplicis peregrinationis. Quia etsi in concessione nulla fiat mentio reservationis, exceptio ta-

tamen duplicis voti reservati gravioris firmat regulam in contrarium in aliis votis non exceptis. quæ sine dubio minora sunt? & multo facilioris dispensationis. Quapropter in Bulla Jubilæi, in quo solent concedi omnia vota, præter Religionis, ac Castitatis, docent omnes, concedi votum triplicis peregrinationis; & in Bulla Cruciatæ Hispana, in qua concedebantur omnia vota, præter illa Castitatis, Religionis, & Hierosolymitanum, nullus dubitabat, concedi alias duas peregrinationes reservatas; cum tamen in neutro indulto mentio fiat reservationis, sed ratione illius exceptionis id colligebant Doctores. Additque laud. Sanchez. recensitam sententiam firmiori inniti fundamento; nempe usu communi, & Doctorum consensu hac ratione interpretantium hujusmodi indulta, sive Bullæ, sive Jubilæi.

Hanc tamen sententiam nonnisi *multum probabilem* esse diximus; etenim pro contraria pugnant plures, iique gravissimi Doctores, uti Covarruvias, & alii; qui docent, per exceptionem voti majoris, ac gravioris minime includi concessionem voti minoris, quod aliunde esset exceptum, vel excipiendum, uti accidit in casu nostro, cum votum perpetuæ Castitatis inter reservata recenletur; nec in generali concessione, quemadmodum & cetera reservata comprehendi censetur. Neque deest ratio, qua id ipsum æque probabile,

non

non secus ac prior sententia, efficiatur: etenim licet exceptio firmet regulam, uti diximus, haud tamen potis est illam ampliare, & dilatare, adeo ut faciat sub illa comprehendi, quæ de sua natura comprehensa minime fuissent, si exceptio adhibita non esset. *Leg.* Generali. 32. *ff. De Usu, Ususfructu &c. per legat. & fideicom. datis* §. *Uxori*. Sed votum simplex Castitatis in generali concessione comprehensum non fuisset, si exceptio adhibita non esset. Ergo neque prædicta exceptione per nostram Bullam apposita manet illud inclusnm, ac concessum.

Huic etiam adde regulam Canonicam, quæ priorem restringit, aut explicat; quæ hujusmodi est; *Exceptio non facit, quod sub regula comprehendatur Casus, qui sub ea non fuisset comprehensus, si exceptio facta non fuisset*. Ergo &c. legantur hac de re Salmanticens. *Append. De Bulla S. Cruciatæ Cap. 6. Punct. 2. §. 1. n.* 81.

Quapropter laud. Sanchez, qui pro priori sententia acriter decertat, ingenue profitetur illam non esse uisi *probabilem*, nec meræ probabilitatis limites transilire, suisque rationibus optime satisfieri per contrariæ sententiæ patronos. In *Præcepta Decalogi Lib. IV. cap.* 40. *n.* 19.

Prob. II. Per formulam concessionis adhibitam in nostra Bulla Cruciatæ nulla *directe* datur facultas in ipsa vota reservata, uti patet: sed dumtaxat deducitur ex ipsa exceptione votorum solemnium

Cu-

Castitatis, & Religionis. Atqui isthæc doctrina, quæ ex ipsa exceptione votorum graviorum deducit concessionem dispensandi in voto aliquo minori, quod aliunde esset exceptum, sive reservatum, non est nisi tantum probabilis; uti allatis rationibus, & confessione ipsius Sanchez, probavimus. Ergo &c.

Quapropter potius arbitrarer hac media via saltem tutiori incedendum: ut nimirum vota Castitatis perpetuæ, ac Religionis simplicia hic in nostræ Bullæ Cruciatæ formula non intelligantur concessa; cum ista hujusmodi sint, ac tam gravis momenti, ut nunquam intelligenda sint concessa, nisi exprimantur, quemadmodum docuere Sotus *Lib. VII. De Justit. qu.* 4. *art.* 3. Sanchez *Lib. VIII. De Dispensat. Matrimon. Disp.* 9. *num.* 2. aliique. Cetera vero reservata vota inibi in dicta concessionis formula censeantur comprehensa, non tam propter exceptionem appositam, quam propter communem Doctorum consensum ac praxim hac ratione interpretantium consimiles concessionum formulas. Consuetudo enim, ut Clar. Suarez docet, multum valere poterit ad interpretationem hujusmodi concessionum laud. *Lib. VI. cap.* 16. *num.* 17.

Dices: Summus Pontifex Benedictus XIV. in laud. Bulla *Convocatis num.* 8. Pœnitentiariis Romanæ Urbis facultatem impertitus fuit, *ut omnia. & singula simplicia Vota etiam Sedi Apostolicæ reserva-* *ta,*

ta, etiam jurata, commutare dispensando possent in alia pia opera. Et in Epist. Encyclica *De Quæstion. & controversiis*, olim excitatis circa opera injuncta pro acquisitione Jubilæi, & facultates concessas &c. §. 41. apertissime declaravit per laud. concessionis formulam memoratos Pœnitentiarios tantummodo excludi a potestate dispensandi in votis solemnibus Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ in solemni Religiosa Professione, sive in Ordinis Sacri susceptione emissis; posse vero e contrario omnia alia simplicia vota, licet S. Sedi reservata, in alia pia opera, dispensando, commutare. Ergo non solum probabile, sed satis, & abunde in praxi tutum per concessionis formulam in nostra hac Bulla Cruciatæ adhibitam, quæ prædictæ fere consimilis videtur, posse in omnibus omnino simplicibus votis, etima Castitatis, ac Religionis commutando dispensari.

R. Multum discriminis interest inter concessionis formulam in nostra Bulla adhibitam, & illam, qua utitur Benedict. XIV. in laud. Bulla *Convocatis*. Uti patet luce meridiana clarius cuivis utramque conferenti. Nam. I. laud. Benedict. XIV. in Bulla loquitur de Pœnitentiariis Romanæ Urbis, quibus certe amplior concedi solet, & reapse in ea Bulla conceditur potestas circa hujusmodi Dispensationes, quæ tamen ceteris Confessariis

etiam Romanæ Urbis denegatur; nam ipsis conceditur sola facultas commutandi omnia vota simplicia etiam reservata, exceptis tamen Castitatis, ac Religionis, uti in laud. Bulla §. 37. legere est. II. Per formulam concessionis in Bulla Benedicti XIV. conceditur Pœnitentiariis memoratis directe potestas in ipsa vota reservata Summo Pontifici, quæ formula cum generalis sit in omnia reservata, nullum inde excludendum, in quo concessa facultas exerceri non possit. Vide quæ dicta sunt *Qu.* 12. hujusce Part. I. §. 2.; in nostra vero concessionis formula tantummodo deducitur ope argumentationis hæc potestas in reservata, quæ sane argumentatio cum sit tantummodo probabilis, uti advertimus cum laud. Sanchez, nonnisi probabilem efficiet sententiam propositam. Deinde cum res tam gravis sit momenti, non intelligitur concessa ope argumentationis nisi exprimatur, uti quidam non immerito docuerunt apud Suaresium *Tom.* 2. *de Relig. Lib. VI. cap.* 25. *num.* 9. vel potius ipse Suaresius loquens de voto Castitatis, ac Religionis. III. Potestas commutandi dispensando vota Castitatis, ac Religionis, quæ in laudata Bulla *Convocatis*, per memoratam concessionis formulam intelligebatur concessa, multis limitationibus circumscribitur, atque coarctatur; adeo ut pro solis mulieribus ad effectum nubendi, atque intercedente aut periculo incontinentiæ, aut

ti-

timore pudicitiæ adhiberi posset, uti videre est in dicta Bulla *num. 9. & 10.* adeoque haud verosimile videtur voluisse nunc Pontificem per illam concessionis formulam, qua utitur in nostra Bulla Cruciatæ indiscriminatim, ac sine ulla prorsus adjunctione eamdem potestatem dispensandi in votis memoratis omnibus concedere. Quapropter haud recte videtur posse deduci ex formula concessionis adhibita in dicta Bulla *Convocatis* satis tutum esse in praxi per nostram concessionis formulam, posse in omnibus omnino simplicibus Votis, etiam Castitatis perpetuæ, ac Religionis dispensari, sed ad summum id tantum valde *probabile*.

Atque hanc sane, quam hac in re proposuimus sententiam, eo magis omnibus amplectendam, aut saltem minime rejiciendam arbitramur, quod ex colloquio habito cum nostro Eminentissimo Commissario, ejusdem auctoritate, & oraculo illam confirmandam curavimus: quod & reapse factum est. Attamen hac de re legantur, quæ dicemus *In additionibus Tom. II. Append. I. in respons. Ad Dub. IV.*

At quidquid tandem sit hac de re, de qua sapientiores judicent, illud certum atque exploratum esse debet, quod & noster etiam Eminentissimus Commissarius edixit, per hujusmodi concessionis formulam in nostra Bulla minime posse Confessarium electum dispensare commutando in Votis perseverantiæ, aliisque emitti so-

litis in quibusdam Congregationibus, licet *simplicia* tantum sint; vel quia speciali ratione sunt reservata, uti colligere facile licebit ex Bulla Benedicti XIV. quæ incipit *Convocatis* n. 32. vel quia vim quandam induunt solemnium Votorum.

Hisce itaque omissis, diutius enim fortasse, quam par erat, in iisdem immorati sumus, cetera quæ certiora sunt hoc in genere, aut saltem probabiliora in medium proferamus.

Q. XVI. *Num quandoque possint Confessarii virtute Bullæ nostræ Cruciatæ in ipsis Votis reservatis dipensare commutando, aut eadem commutare virtute Bullæ Jubilæi?*

R. Affirmat. Prob. Quidquid potest Episcopus potestate ordinaria circa Votorum dispensationem, aut commutationem, illud ipsum poterit Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, servando tamen tenorem privilegii, aut concessionis. Sed Episcopus per potestatem ordinariam non solum potest uti facultate dispensandi, aut commutandi in omnibus simplicibus Votis, quæ subjiciuntur ordinariæ illius jurisdictioni, nisi inde eximantur per Pontificiam reservationem; sed quandoque etiam in ipsis reservatis potest dispensare. Ergo & ipse Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, servando tamen, uti prædiximus, tenorem ipsius concessionis. Hanc, quam proposuimus Regulam, quæ instar axiomatis sit hac in re, tradunt Suaresius sæ-

fæpius laud. *Lib. VI. cap. 26. num. 16.* Sanchez *Lib. VIII. De Difpenfat. Matrimon. Difp. 15. num. 3.* & in *Decalog. Lib. IV. cap. 54. num. 19.* Trullenck. *in Expofit. Bull. Cruc. Lib. I. cap. 3. Dub. 6.* ceterique communiter.

Cujus fane rei ratio in promtu eft, quia hujufmodi Vota non excipiuntur, aut funt excipienda in dictis conceffionibus, nifi quatenus fint Pontifici refervata, aut quantum eidem refervantur. Cum igitur a lege refervationis eximuntur vel propter circumftantiam extrinfecam occurrentem, vel quia deficiunt a natura Voti refervati; quemadmodum liberum tunc erit Epifcopo, uti fua ordinaria jurifdictione circa eadem Vota, ita & Confeffariis per facultatem conceffam in hujufmodi Indultis. Vide Sanchez *loc. cit.*

Dixi: *quidquid poteft Epifcopus poteftate ordinaria*. Quia quando competat Epifcopo in iifdem Votis refervatis difpenfatio propter folam imminentem, ac urgentem neceffitatem; (qua de re confule Suarefium *loc. cit. num. 9.* & Sanchez laud. *Lib. VIII. Difp. 6. num. 22. & in Decalog. Lib IV. cap. 49. num. 54.*) tunc nefas erit Confeffariis electis per Bullam Cruciatæ, aut Jubilæi, in eodem etiam neceffitatis articulo, quidquam poteftatis in iifdem refervatis fibi adrogare ex privilegio fibi conceffo.

Hinc nequibit Confeffarius virtute no-

ſtræ Bullæ Cruciatæ diſpenſare commutando in Votis Caſtitatis perpetuæ, aut Religionis, neque per facultatem conceſſam in Bulla Jubilæi eadem commutare propter ſolam incurrentem neceſſitatem; poteſtas enim delegata non protenditur ultra caſus conceſſos, etiamſi in caſibus non conceſſis ſumma occurrat neceſſitas; cum potentia non extendatur ultra ſuum objectum propter quamcumque neceſſitatem. Secus tamen dicendum de poteſtate ordinaria Epiſcopi, cum hujuſmodi Vota ante inductam reſervationem ordinariæ Epiſcoporum ſuberant juriſdictioni; ac proinde incurrente neceſſitate liberum eſt Epiſcopis in eiſdem diſpenſare, vel quia in hujuſmodi hypotheſi non cenſentur ſubtracta ab ordinaria Epiſcoporum Juriſdictione, vel ex præſumta ſaltem Pontificis voluntate poteſtatem circa illorum diſpenſationem ad eoſdem redire. Vide Suarez *loc. cit. num.* 19. Pontas in ſuo *Dictionar. Verb. Diſpenſat. Votor. in gener. caſ.* 4. & Sanchez.

Porro iſthæc propoſita, atque a nobis tradita Regula, quam latiſſime patet, ac infinita propemodum corollaria ex ipſa deduci poterunt ad rem noſtram attinentia; ne tamen longius, quam par eſt excurrat hæc noſtra elucubratiuncula, præcipue, ac frequentius occurrentia ſeligere conabimur.

Hinc I. deducitur, poſſe Confeſſarium per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ

in-

intercedente tamen legitima caussa, uti antea dictum est, dispensare commutando Votum Castitatis, quod ad certum dumtaxat temporis spatium nuncupatum sit; Votum servandi castitatem conjugalem; Votum non petendi debitum conjugale, sive hujusmodi Votum editum sit inscio altero conjuge, sive ex ejusdem consensu, ac licentia emissum fuerit. Imo, ut adjungit Sanchez, aliique locis mox indicandis, hoc idem adserendum, licet uterque conjugum ex alterius consensu, ac licentia emisisset hujusmodi Votum non petendi, sive etiam non petendi, ac reddendi. Item posse eumdem Confessarium ex facultate prædictæ Bullæ dispensare commutando Votum castitatis emissum ab altero conjugum, altero inscio post consummatum matrimonium. Quin & idem Votum Castitatis ab alterutro conjugum altero vel inscio, vel etiam consentiente sive ante, sive post consummatum matrimonium, sed sine animo ingrediendi Religionem emissum: & generaliter quoties Vota a conjugibus emissa deficient a ratione perfectæ castitatis, quæ solum Pontifici in hujusmodi votis reservatur. Item Votum virginitatis servandæ, dummodo constet solam corporalem integritatem fuisse per Votum Deo promissam, non vero castitatem. Votum non ineundi matrimonium, aut suscipiendi Ordines sacros; Votum non fornicandi, abstinendi a certo luxuriæ actu; Votum non

tangendi mulieres, aliaque his similia. De quibus omnibus communis ea ratio est, quia non sunt Vota perpetuæ, omnimodæ, ac perfectæ castitatis, cujusmodi sint oportet, ut Pontifici reservata censeantur. Legi possunt hac de re doctissimus Sanchez *Lib. VIII. De Dispens. Matrimon. Disp.* 9. 11. *&* 15. & Trullench *In Expos. Bull. Cruciat. Lib. I.* §. 7. *cap.* 3. *Dub.* 15. Adeatur etiam Joann. Cabassut. in sua *Theor. ac Praxi Jur. Canonic. Lib. I. cap.* 8. *num.* 14. *&* 15. De Potestate Episcoporum circa Votorum dispensationem.

Quid si quis voveat, sese emissurum Votum Castitatis?

R. Neque etiam hujusmodi Votum esse recensendum inter reservata, uti docet Cl. Suarez laud. *T. II. Lib. VI. cap.* 21. *num.* 7. quem sequitur etiam Sanchez *in Decalog. Lib. IV. cap.* 40. *num.* 70. quia non est immediate Votum castitatis, quod sane sufficit, ut non sit censendum reservatum; quapropter etiam per facultatem nostræ Bullæ posse in illo dispensari commutando.

Deducitur II. Posse quoque Confessarium ex facultate prædictæ Bullæ dispensare commutando in ipso Voto Religionis cum aliquo hoc pacto; ut nimirum ingrediatur mitiorem Religionem, si forte rigidioris observantiæ Institutum per Votum fuerat promissum. Item posse quoque eumdem Confessarium dispensare

in

in differenda ex justa caussa Voti Religionis executione, ne scilicet intra tempus in voto præfixum illud impleatur, cum in hujusmodi juxta probabiliorem sententiam, quam tuetur Sanchez *Lib. VIII. De Dispensat. Matrimon. Disput.* 9. *num.* 19. & *in Decalog. Lib. IV. cap.* 40. *num.* 76. potest Episcopus ex sua ordinaria potestate dispensare; licet contrarium doceat Suarez laud. *Lib. VI. cap.* 26. *num.* 11. & 12. dummodo tamen illud non contingat usque adeo differri, ut periculum sit incidendi in statum impotentiæ ad ipsum implendum. Item in voto obedientiæ, ac paupertatis in seculo servandæ, juxta Navarr. *in Comment.* 1. *de Regul. n.* 21. quem sequitur Suaresius laud. *Lib. VI. cap.* 21. *num.* 8. & 9. Item Votum Religionis minime approbatæ, aut Votum ingrediendi Ordines militares, quia saltem, uti docet Sanchez *in Decalog.* laud. *Lib. IV. cap.* 40. *num.* 73. res dubia est, an veræ Religiones sint censendæ, & reservatio ad casus dubios non extenditur, uti postea dicemus. Secus vero sese res habet in Voto ingrediendi Religionem Ordinis militaris D. Joannis; hic enim Ordo est vera Religio, in qua tria solemnia vota emittuntur. Idem quoque dicendum juxta laud. Sanchez de Voto perseverandi in aliqua Religione, in quo & Episcopus potest dispensare, si aliquis expertus Religionis austeritates ex justa caussa ducatur ad

non perseverandum. Quod tamen diversum est a votis illis *perseverantiæ simplicibus*, de quibus loquitur Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*. Ac demum idem quoque adserendum de Voto tradendi sese Nosocomio, sive Hospitali in servum, vel faciendi ibi absolutam promissionem obedientiæ, aut servitutis perpetuæ propter Deum; atque de Voto ingrediendi quasdam seculares Communitates, quæ recentioribus ætatibus institutæ fuere, juxta ea, quæ docet Colet *in Append. II. De Jubilæo* §. 15. Horum autem omnium ea adsignanda ratio est; quia recensita hujusmodi Vota a Pontificia reservatione immunia sunt, propterea quod vel vota Religionis proprie non sunt, qualia Pontifici reservantur; vel in qualitate illorum, & circumstantia tantummodo dispensatur, quod cum pertineat ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, inde & Confessarius ex facultate dictæ Bullæ delegatam sibi potestatem dispensandi commutando in iisdem recte poterit exercere; juxta Regulam superius traditam, & communiori Theologorum suffragio confirmatam. Adeatur Sanchez *loc. cit.* & *in Decalog. Lib. IV. cap.* 40. & Trullench. *loc. cit. Dubit.* 16.

Deducitur III. Posse quoque Confessarium per facultatem memoratæ Bullæ nostræ Cruciatæ dispensare commutando in iisdem votis Castitatis ac Religionis, quando illa sint vere conditionalia, aut pœnalia ante impletam conditionem, aut con-

contractum debitum promissæ pœnæ; & licet doctissimus Sanch. laud. *Disp.* 15. *Lib. VIII. De Dispensat. Matrimon. n.* 8. idem juris doceat competere Confessariis etiam post impletam conditionem, aut contractum debitum pœnæ; cum etiam in hujusmodi hypothesi Episcoporum ordinariæ subsint jurisdictioni, eamdemque Suaresius tueatur sententiam circa votum pœnale laud. *Lib. VI. Cap.* 23. nihilominus a communi sententia, quam initio hujusce tertii Corollarii propofuimus, recedere non est passus animus; præsertim cum & illam probabilioris loco habeamus. Lege Pontas verbo *Dispensat. Vot. in Gen. cas.* 12.

Diximus: Quando illa sint vere *conditionalia*; nam si apparenter tantum, & in specie videantur conditionalia; revera tamen; & in seipsis spectata intrinsecus sint absoluta, tunc, si versentur circa materiam reservatam, ipsa quoque reservata esse censenda nullus addubitare poterit; quod quidem contingit, quando vocula illa *Si*, per quam exprimi solet conditio, non retineat suam naturam, cujus est consensum suspendere; sed æquivaleat particulæ *quando*, vel *cum*. Qua de re lege Suaresium laud. *Lib. VI cap.* 22. *num.* 6. *&* 7. & Sanchez laud. *Lib. VIII. De Dispensat. Matrimon. Disp.* 10. *num.* 4. *&* 5.

Colligitur IV. Posse demum Confessarium ex facultate ejusdem nostræ Bullæ dispensare commutando in votis disjunctivis, quorum alterutra tantummodo pars

sit circa materiam reservatam, *re tamen exsistente integra*, i. e. non mutata voluntate ex parte voventis, nec facta determinatione ex parte materiæ. Nam *cum in alternativis debitoris sit electio, & sufficiat alterutrum impleri. Reg. 70. Jur. in 6.* hujusmodi vota non sunt determinate de re reservata, neque vovens per hoc genus voti manet simpliciter adstrictes ad partem reservatam eligendam, ac proinde sicuti integrum Episcopis ex communi Theologorum consensu, teste Suaresio, in hujusmodi votis dispensare, ita & Confessariis electis ex privilegio nostræ Bullæ Cruciatæ. Secus vero dicendum est, si hujusmodi votum jam fuerit determinatum ad materiam reservatam non per simplex tantum voluntatis propositum, sed per absolutam voluntatem sese obligandi ad partem voti reservatam, ut arbitratur doctissimus Suaresius laud. *Lib. VI. cap. 24. num. 3.* & cum eo Sanchez *in Decalog. Lib. IV. cap. 13. num. 36*, quia tunc votum manet omnino reservatum. Aliter tamen sentire videtur Cl. Pontas Verb. *Votor. Dispensat. Cas.* 15. qui loquens de hujusmodi voto disjunctivo docet cum Azorio propter solam voluntatem non implendi votum in parte non reservata, jam manere votum omnino reservatum, cum maneat simpliciter, & solum in hac hypothesi obligatio ad partem reservatam. Similiter dispensari quoque poterit in hujusmodi reservatis vo-

tis.

tis per facultatem nostræ Bullæ, quoties incurret dubium aut de valore voti, sive dubium sit juris, sive facti; sive dubium accidat, an Pontifici sit reservatum votum, quia etiam in hisce liberum erit Episcopo dispensare. Lege Suarez laud. *Lib. VI. cap. 46. num. 6.* Sanchez *in Decalog. Lib. IV. cap.* 40. *num.* 26. & Cabassut. *in sua Juris theor. & praxi Lib. I. cap.* 8. *num.* 15. qui hanc sententiam circa potestatem Episcopi in hujusmodi votis unanimi Doctorum suffragio firmatam testatur.

Præterea id quoque locum habet in hujusmodi votis reservatis per metum gravem cadentem in virum constantem extortis; cum enim non omnino certum sit hujusmodi vota propter metum gravem incussum esse ipso facto irrita, contraria enim opinio sua probabilitate non caret, uti testatur Suaresius; hinc dubium exsistit circa valorem hujusmodi votorum. Quare juxta regulam propositam sicut poterit per Episcopos in eisdem dispensari, ita per Confessarios ex facultate nostræ Bullæ. Vide Suarez *loc. cit. num.* 5. Quod etiam extendit Sanchez *loc. cit. num.* 30. ad metum levem injuste incussum ad extorquendum votum; at probabilius id negare videtur Suaresius *loc. cit. n.* 4.

Hæc porro, quæ in hisce Corollariis huc usque dicta sunt, locum pariter habeant oportet in facultatibus concessis per Bullam Jubilæi, servata tamen forma &

tenore concessionis, & exceptionis, quæ ibidem apponi solet.

Denique de votis simplicibus non reservatis ne verbum quidem injecimus in propositis Corollariis; cum comperta prorsus, atque explorata res sit illa potiori, ut inquam, jure pertinere ad Confessarium instructum facultatibus, sive Bullæ Cruciatæ; sive Jubilæi. Per hujusmodi enim concessiones committuntur Confessariis omnes Casus Episcopales, quod ad commutationem, sive dispensationem votorum attinet, servata forma Privilegii, dummodo tamen ad eosdem Episcopos illa pertineant jure ordinario, quod dilucide patet ex Regula per nos proposita in superiori Quæstiuncula, & disertissime docet Suaresius loquens de hujusmodi Concessionibus, sive Bullæ Cruciatæ, sive Jubilæi laud. *Lib. VI. cap. 26. num. 17.* & Colet *in Append. II. De Bulla Jubilæi* §. 15. *Quæst.* 8. Inter vota vero, quæ subjiciuntur ordinariæ Episcoporum jurisdictioni *primo*, & *per se* connumeranda sunt vota simplicia non reservata; vota enim reservata quandoque pertinent ad Episcoporum Jurisdictionem ordinariam *per accidens*; scilicet, quoties ratione materiæ promissæ deficiunt a ratione materiæ reservatæ. Atque hæc sane certi atque indubitati juris esse patet; quare in ipsis diutius immorari idem esset, atque otio vehementer abuti.

Ad rem tamen permultum facit præcla-

clarum Benedicti XIV. monitum circa usum facultatis commutandi vota simplicia, ac pœnalia Pœnitentiariis Romanæ Urbis concessæ occasione Jubilæi Anni Sancti, sæpius memorati. Monitum ita sese habet: *Denique*, inquit laud. Pontifex, *quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de præjudicio tertii. Quare in eo quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiæ, seu alia emitti solita in aliqua Congregatione, vel Communitate, & in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota pœnalia, seu præservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiæ adsint, quæ aliquam commutationem suadeant, & commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia.* In Bulla *Convocatis* n. 32. Quod sane illustre monitum etiam Confessariis electis ex privilegio Bullæ nostræ Cruciatæ in facultate concessa circa vota ob oculos habendum erit.

§. III.

§. III.

In quo proponuntur, atque expediuntur, quæ supersunt Quæstiunculæ circa facultatem concessam dispensandi in Votis ex præscripto nostræ Bullæ Cruciatæ.

Q. I. *Num delegata Confessariis potestas, sive dispensandi, sive commutandi vota, possit extra Sacramentum Pœnitentiæ, sive extra Confessionem exerceri?*

R. Si concessa privilegia dispensandi, vel commutandi hac, aut simili apposita limitatione utantur, præcipiendo nimirum, ut dispensatio, vel commutatio fiat in foro Pœnitentiæ, aut in *Sacramentali Confessione, aut ipsa audita*, tunc omnino ac necessario servanda erit forma, quam aperte indicant apposita limitationis verba, & in ipsa Sacramentali Confessione actus sive dispensationis, sive commutationis erit exercendus. Ita sæpius laud. Suarez *Lib. VI. cap. 16. num. 4*, aliique, licet contra obnitatur Sanchez *in Decal. Lib. IV. cap. 40. n. 16.*

Imo licet in concessione hujuscemodi facultatis nulla ex prædictis apponatur limitatio seu restrictio, ut accidit in Bulla nostræ Cruciatæ, cujus concessionis formu-

mulam huc spectantem antea retulimus; nihilominus rectissime censet Petrus Colet in laudat. Append. §. XV. loquens de facultate commutandi per Bullam Jubilæi concessa, hujusmodi facultatem haud posse extra Sacramentalem Confessionem exerceri. Ad quam sane amplectendam sententiam hac de re nostra istæ potissimum nos compellunt rationes. I. Nam hujusmodi delegatio facta Confessario per privilegium Bullæ eligendo, præ se gerit ordinem, ac relationem necessariam ex mente concedentis, ut ex verbis ipsis satis aperte colligitur, ad ipsam Sacramentalem Confessionem; ac proinde extra illam minime exercendam. II. Quia Benedict. XIV. in laudat. Bulla *Convocatis* in formula concessionis circa vota commutanda ex privilegio Jubilæi, nullam apposuerat limitationem, aut restrictionem, ut inibi videre licet, & tamen apertissime declarat hujusmodi commutationes exerceri non posse *extra actum Sacramentalis Confessionis*: & licet ibi loquatur de Pœnitentiariis Romanæ Urbis occasione Jubilæi Anni Sancti; nihilominus hoc idem & in ceteris Confessariis ex facultate nostra Bullæ Cruciatæ eligendis locum habere, nullatenus debitamus. Lege *Epistol. Encyclic.* sæpius laud. §. 63.

Porro hac quidem in re recessimus a doctissimo Suarez, Sanchez *loc. cit.* aliisque optimæ notæ Scriptoribus, quod sane nemo nobis vitio vertet; siquidem pro-

proposita sententia potior nobis non solum, sed & tutior visa fuit. Nullius enim addicti jurare in verba magistri ex probatissimis quibusque Scriptoribus selectiora, itemque probabiliora excerpere, atque sectari fategimus nullo partium studio ducti, sed solius veritatis amore.

Q. II. *Num recepta Bulla, & contributa eleemosyna in Belli subsidium statim quis a vinculis voti absolutus maneat per dispensationem in eadem Bûlla concessam?*

R. Negat. Nam in Bulla, uti liquido inde apparet, delegatur tantummodo facultas Confessariis electis, ut in votis concessis dispensare valeant cum pœnitentibus hoc ipsum rogantibus post receptam Bullam; minime vero per ipsam Bullam cum iisdem dispensatur; aliud enim est committere potestatem dispensandi, sive commutandi, quod fit per Bullas; aliud vero dispensare, sive commutare, uti scite, atque ad rem docet Navarr. *in suo Manual. cap.* 12. *num.* 79. Versu duodecimo. Ad rem nostram quoque facit, quod docent Auctores de duplici dispensationum genere, altero nempe in *forma gratiosa*; altero vero in *forma commissoria*. Prioris generis dispensationes sunt veræ ac reales dispensationes, quæ statim ac impertitæ fuere vim suam omnem habere oportet. Dispensationes vero in *forma commissoria* concessæ; sunt potius mandata, quibus fit potestas, aut jussio dispensandi, uti accidit in nostra Bulla Crucia-

tæ,

tæ, quæ nisi exsecutioni demandentur, nullum jus tribuunt. Vide Pontas Verb. *Dispens. Matrimon. Cas.* 8. & 9. Huic vero errori facile obnoxiam patere simplicitatem aliquorum novimus, atque idcirco maximopere cavendum, ne iisdem hic perniciosus error obrepat.

Imo licet dispensatio, aut commutatio requisita fuerit a Confessario electo, nisi ipse reapse dispenset, aut commutet, vota nihilominus a pristina obligandi ratione minime decident; licet etiam Confessarius ex facultate ejusdem nostræ Bullæ ab omnibus peccatis reservatis pœnitentem absolverit. Navarr. *ibid.*

Verum a peccati reatu minime eximendus est Confessarius, qui rogatus per facultatem Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, ut dispenset, vel commutet, si reapse cognoscens pœnitentem jure petere, cum adsit justa caussa dispensandi, vel commutandi, non dispenset, vel commutet. Peccat enim, quia est judex delegatus in favorem pœnitentis, qui pœnitens jure fruitur petendi dispensationem, sive commutationem ex privilegio sibi concesso. Uti recte docet Sanchez *in Decalog. Lib. IV. cap.* 54. *n.* 11.

Q. III. *Num possit Confessarius per facultatem Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi generaliter vota commutare in alia opera postmodum declaranda?*

Hæc proposita quæstiuncula locum habet, non solum in Bulla Jubilæi, verum etiam

etiam in Bulla nostræ Cruciatæ; siquidem in dispensatione votorum per ipsam concessa, aliqua commutatio admiscenda est; uti patet ex formula concessionis ejusdem Bullæ.

R. Affirmat. Hanc enim rationem vota commutandi præter Sanchez, qui *in Decalog. Lib. IV. cap.* 54. *num.* 31. eam proponit ac tuetur, aliosque ex Theologis, etiam probat Petrus Colet in laud. Append. nihilque in ea deprehendit dignum, quod reprehendi possit, aut ab Ecclesia reprobari, aut quod non sit consentaneum legibus prudentiæ. Quapropter si forte ad Confessarium adventante fine Jubilæi, aut annuæ durationis Bullæ accedat mulier, pluribus, iique implexis votis onerata; Confessarius, cui tempus deest rem attentius perpendendi, prout illa exposcit, poterit ita se gerere utendò hac generali commutatione in hunc modum: *Commuto tibi vota omnia in illa pietatis opera, quæ intra certum temporis spatium sum præscripturus.*

Neque aliquid officit, quod declaratio operis subrogandi in locum voti commutati fiat post elapsum tempus Jubilæi, aut annuæ durationis Bullæ; siquidem commutatio censetur facta intra tempus idoneum; declaratio vero, aut determinatio materiæ subrogandæ, non est actus jurisdictionis, sed prudentiæ, qui proinde peragi poterit extra præfixum jurisdictionis tempus. Sanchez *loc. cit.*

Imo

Imo uti rectissime docet Suaresius laud. *Lib. VI, cap. 16. num.* 15. poterit etiam Confessarius in allata hypothesi, si id necessarium sit, differre ipsam commutationem ultra tempus præfixum in Bullis, sive Jubilæi, sive Cruciatæ; quia iste Confessarius, qui intra tempus idoneum rogatus est de commutatione facienda, jam acceptavit potestatem, inchoavit caussam, & quodammodo concessit commutationem tempore habili: quod sufficit ad firmandam jurisdictionem, ut tempore congruo possit in particulari sive commutatio, sive dispensatio consummari. Vide etiam Colet *loc. cit.*

Q. IV. *An facta generali commutatione, eo modo, quo diximus, cesset voti obligatio, etiam ante quam Confessarius aliud pium opus præscribat?*

R. Quidquid in contrarium oggerat sive, objiciat Sanchez laud. *cap.* 54. *num.* 32. nihilominus cum doctissimo Colet censemus voti obligationem minime cessare, donec opus subrogandum fuerit a Confessario determinatum ac præscriptum.

Prob. Illa commutatio prioris voti vinculum, atque obligationem extinguit, quæ sit perfecta, atque absoluta. Atqui hujusmodi dici nequit commutatio, nisi priori obligationi alia succedat, & in locum prioris voti aliud opus substituatur; quod sane in nostra hypothesi non contingit, uti patet; neque enim alia obli- gatio

gatio successit in locum prioris, neque ullum adhuc opus substitutum; sed tantum veluti promissio intervenit aut voluntas illud substituendi. Ergo per solam generalem commutationem, quæ perfecta dici non potest, non cessat prioris voti obligatio, donec aliud opus reapse fuerit substitutum. Hoc argumentum invictum, ac palmare videtur, quod simul illud, cui unice Sanchez innititur, prorsus evertit. Lege laud. Petr. Colet *loc. cit.* qui contrariam Sanchez, Trullench. aliorumque opinionem jure merito falsitatis arguit.

Hinc ex allata responsione facili negotio quivis deducere poterit contra memoratos Theologos reum violati voti fore habendum illum, qui antequam Confessarius materiam præscribat subrogandam in locum prioris voti, illud non servet.

Q. V. *Num completo termino annuæ durationis Bullæ, aut tempore præfixo ad Jubilaeum possint, etiam vota commutari ante illa tempora, aut intra illa emissa, licet ipsorum tempore idoneo nulla fuerit petita commutatio?*

R. I. Quod spectat ad Bullam Cruciatæ omnino pro certo habendum erit, elapso tempore annuæ durationis Bullæ, nulla prorsus ratione posse vota prædicta commutari; cujus sane rei in promtu ratio est, quia privilegia Bullæ Cruciatæ intra anni spatium satis aperte concluduntur atque coarctantur. Ergo illo elapso privilegium commutandi vota simul cum ce-

ceteri in eadem Bulla concessis evanescit, atque exspirat; jurisdictio enim delegata ultra concessum terminum non protenditur. *Cap.* De caussi 154. *De Officio, ac Potest. Jud. Delegat.* Vide Sanchez *Lib. VIII. De Dispensat. Matrim. Disp.* 15. *n.* 17.

R. II. Quod vero spectat ad Bullam Jubilæi censet idem Sanchez *loc. cit.* & *in Decalog. Lib. IV. cap.* 54. *n.* 39. confirmat, prædicta vota, quorum nulla intra tempus Jubilæi petita est commutatio, posse transacto etiam tempore Jubilæi commutari a quocunque ex Confessariis approbatis: quia, ut ipse ait, opera præscripta ad consequendum Jubilæum sunt affixa tempori in Bulla designato, secus vero privilegia propter ipsum Jubilæum concessa, quæ tempori non alligantur. Quod sane colligere studet ex formula concessionis privilegiorum in eadem Bulla Jubilæi adhibita.

At longe probabilius, ac rectius Suaresius laud. *Lib. VI. cap.* 16. *n.* 13. Bonacina, & novissime Petrus Colet in laud. Append. contrarium docent; cujus sane rei efficacissima isthæc ratio produci potest. Etenim sola electio Confessarii facta a Pœnitente facit, ut Confessarius eidem Pœnitenti attribuat privilegia per Jubilæi indultum concessa. Atqui transacto tempore Jubilæi *re integra* exspirat, atque evanescit jus eligendi Confessarium, uti patet; siquidem jus istud fidelibus conce-

di-

ditur, ut alliciantur ad Jubilæum consequendum. Ergo & privilegia pariter exspirent necesse est; ac proinde idem quoque dicendum de facultate commutandi vota, quæ pendet ex electione Confessarii.

Q. VI. *Num vota reservata, quorum commutatio conceditur per Bullam nostræ Cruciatæ possint intra tempus annuæ durationis Bullæ toties commutari, quoties emissa fuerint?*

R. Affirm. Prob. In Bulla nostræ Cruciatæ nulla apponitur, uti patet, hujusmodi limitatio, quæ facultatem commutandi vota restringat tantum ad aliquas vices intra tempus durationis ejusdem Bullæ. Ergo contra mentem concedentis non est ex arbitrio restringenda.

Confirmatur. Dum agitur in eadem nostra Bulla de facultate absolvendi a reservatis, istius facultatis usus restringitur ad duas tantummodo vices in toto vitæ curriculo, his verbis: *bis in toto vitæ decursu, atque etiam in mortis articulo*. Ergo cum in concessione facultatis dispensandi commutando istiusmodi limitatio non apponatur; mens Pontificis inde apertissime deducitur, noluisse hanc facultatem dispensandi in votis ita coarctare, quemadmodum facultatem absolvendi a reservatis contraxit. Sanchez *in Decalog. loc. cit. n. 26.*

Quin imo laudatus Theologus hoc idem locum habere pariter arbitratur in Bulla Ju-

Jubilæi; adeo ut, qui semel ex concessione ejusdem Bullæ potitus est privilegio commutationis votorum, non impeditur, quominus adventante altero Jubilæo novam possit consequi commutationem, si forte indigebit. Et verba illa, quæ apponi solent in eadem Bulla *hac vice tantum*, intelligenda esse docet de tempore ejusdem Jubilæi.

Q. VII. *Num facultas isthæc nobis concessa dispensandi in votis extendatur etiam ad juramenta pia, illa scilicet, quæ in solius Dei honorem cedant?*

R. Affirmat. Prob. Hujusmodi juramenta includunt rationem voti, & in communi æstimatione pro votis communiter reputantur, uti diserte docet D. Antoninus II. *P. tit.* 11. *cap.* 2. §. 2. Hæc enim juramenta, nihil aliud profecto sunt, quam promissiones quædam Deo factæ medio juramento de aliquo opere præstando in ejus honorem: quæ est ratio voti. Ergo &c.

Ad hæc sub nomine voti, circa quod conceditur facultas, comprehenditur etiam juramentum; siquidem votum generatim significat omne debitum voluntarie contractum ex virtute religionis ad Deum, quod pertinet etiam ad juramentum. Ergo potestas facta sive per Bullam Cruciatæ ad dispensandum in votis, sive per Bullam Jubilæi ad eadem commutanda est etiam extendenda ad juramenta. Hinc regula illa canonica: *Non enim proposi-*

mutari per facultatem delegatam per aliquam Bullam, sive Cruciatæ, sive Jubilæi tantummodo circa vota, non levis controversia est inter Theologos, quam quidem controversiam refert Benedictus XIV. in sæpius laud. *Encyclica*.

Qua quidem in re plures negativam sententiam sunt amplexati, uti videre est apud Suarez laud. *Lib. VI. cap.* 14. *num* 3. ea ducti ratione, quia votum juratum est majus vinculum, quam simplex ac nudum votum: siquidem per juramentum adjunctum non solum multiplicantur vincula obligationis; sed etiam ipsummet vinculum voti in se fit gravius, præsertim in ordine ad arbitrium, ac voluntatem delegantis. Ergo non potest intelligi concessum in simplici, & absoluta votorum concessione.

His tamen non obstantibus laud. Suarez *loc. cit.* Trullench. *in Exposit. Bul. Cruc. Lib. I.* §. 7. *cap.* 3. *Dub.* 2. aliique parti affirmativæ adhæsere docentes potestatem concessam in vota extendi etiam ad illa, quæ sint juramento communita. Vel enim adjicitur juramentum uti confirmans votum, atque hac in hypothesi non videtur negandum posse hujusmodi vota commutari, vel dispensari per facultatem concessam simpliciter in vota; quia votum licet juramento confirmatum non desinit esse votum, neque evadit reservatum ratione juramenti adiuncti; idcirco non prohibetur quis per potestatem concessam in vota, quominus possit in illo dispensare, vel ip-

 sum

sum commutare. Jam vero dissoluto voti vinculo, cadit etiam juramentum, utpote in voto omnino fundatum. Idem quoque dicendum ex eorum sententia, si juramentum tantum se habeat *concomitanter* ad votum propter eamdem rationem. Lege laud. Theologos locis supra indicatis. Horum sententiam partim secutus est Sanchez, scilicet quando juramentum adjiciatur, uti confirmans votum; secus vero quando tantum *concomitanter* se se habeat ad illud; uti videre est in *Lib. VIII. De Dispensat. Matrimon. Disp. 2. num. 23.* & *Decalog. Lib. IV. cap. 53. n. 20.*

Utri ergo partium adhærendum in hac quæstione?

R. Licet argumenta posterioris sententiæ non leve præseferant probabilitatis pondus, nihilominus (salvo tamen meliori judicio) priorem potius sententiam præferendam, eamque amplectendam arbitrarer, qua nimirum denegatur potestas in hujusmodi vota jurata; eo præsertim ductus argumento, quod breviter sic se habet: Privilegia Bullæ Cruciatæ, aut etiam Jubilæi non sunt extendenda ad casus, de quibus merito dubitatur, an sub illarum concessionibus sint comprehensi; siquidem illa aut sunt strictæ interpretationis, ac proinde restringenda, ut quod minus est, contineant, quemadmodum §. 1. *Qu. Ult.* hujusce Appendic. docuimus: vel saltem dubium est, an latam illa privilegia possint excipere interpretationem, ac proinde

de num sint extendenda: Vide Sanchez *in Decalog. Lib. IV. cap.* 54. *num.* 7. Sed utrum vota jurata comprehendantur sub concessione facultatis in vota simpliciter, & absolute, & olim dubitatum fuit, & adhuc etiam merito dubitatur, uti colligitur ex Epistola *Encyclic.* laudat. Benedicti XIV. §. 3. *num.* 44. Ergo privilegia concessa per Bullas hujusmodi sive dispensandi in votis simpliciter, sive eadem commutandi, ad vota jurata non sunt extendenda.

Hinc Gregorius XIII. ad removendam hujusmodi dubitationem hac in reconceptis, atque expressis verbis directe concessit potestatem in ipsa vota jurata. Atque ejusdem vestigiis insistens laudat. Benedictus XIV, tum in concessione potestatis factæ Cardinali Majori Pœnitentiario circa vota in Bulla *Pastor Bonus*, tum etiam Minoribus Pœnitentiariis occasione Jubilæi Anni Sancti in Bulla *Convocatis* §. 8. hoc formula usus est: *Omnia, & singula simplicia vota . . . etiam jurata.*

Porro hæc potius opinandi gratia dicta esse velim; ceterum quisque pro suo arbitrio illam seligat, atque amplexetur sententiam, quæ majoribus rationum momentis innixa magis ad veritatem accedere videatur; hoc enim in seligendis opinionibus, quibus adhæreamus, præsertim in re Morali, semper enixe curandum est. Præclarum hac de re exstat sive monitum, sive præceptum laud. Pontificis Be-

nedict. XIV. cum in Epist. *Encycl.* ad Omnes Patriarchas & occasione memorati Jubilæi §. 21. tum Epistol. *Encycl.* de Usuris §. 8. ut quisque in selectu opinionum sibi invicem in re Morali adversantium, *eas partes suscipiat, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas cognoscat.*

Q. IX. *Quid dicendum de juramentis metu gravi extortis, vel per injustitiam, de quibus* in Cap. Debitores 6. *Et* Cap. Si vero 8. De *Jurejur. num illa possint per facultates Bullæ Cruciatæ, sive Jubilæi circa vota, dispensari, vel commutari?*

R. Negativ. Ita probabilius Suarez laud. *Lib. VI. cap.* 14. *num.* 13. & Sanchez *in Decalog. Lib. IV. cap.* 53. *n.* 13. Licet enim per hujusmodi juramenta nullum jus homini comparetur, & cum non fiant intuitu pietatis, nec Deo, nullam voti rationem induant, sed meræ promissionis humanæ, ac proinde sub nomine votorum comprehendi non solent. Contrarium docuit Trullench. laud. *Lib. I.* §. 7. *cap.* 3. *Dub.* 2. aliique; sed minime reor audiendos. Quod si per Bullas concederetur facultas in ipsa juramenta, *absque tamen tertii præjudicio*, tunc indubitanter possent hujusmodi juramenta vel relaxari, vel commutari; nullum enim per illorum relaxationem tertio censeretur inferri præjudicium; siquidem cum per illa nullum alteri jus sit comparatum, & insuper injuria inferatur illa eadem exi-

exigendo, & non remittendo, jus *tertii* minime læditur illa ipsa relaxando, vel commutando. Sanchez *loc. cit. num.* 15. aliique.

Q. X. *Utrum potestas facta dispensandi in votis, vel eadem commutandi extendatur ad vota facta in commodum tertii?*

R. Cum doctissimo Suarez. Si votum *pure* & *nude* fiat promittendo tantum Deo, & non homini, tunc sane poterit in hujusmodi voto dispensari, vel illud commutari juxta facultatem concessam, cum nullum censeatur inferri præjudicium alteri, cui nihil omnino juris comparatum est; & licet hujusmodi relaxatio redundet in aliquod incommodum alterius, seu carentiam commodi, hæc tamen valde distant a vero præjudicio, in quo constituendo interveniat oportet culpa, & injuria.

Si vero hujusmodi votum fiat promittendo simul Deo, & homini; uti cum quis promittat dotem conferre pauperi puellæ, & simul promittat Deo illam dare, seu implere promissionem suam adjungendo votum ad confirmandam humanam promissionem; atque in hac hypothesi non poterit hujusmodi votum relaxari sine consensu illius, in cujus præjudicium cederet sive detrimentum istliæc relaxatio. Prob. Cum hujusmodi votis conjungitur promissio humana, quam supponimus fuisse acceptatam. At humanæ promissionis proprium est conferre alteri

jus per acceptationem, quo quidem jure nequit quis privari per facultatem dispendi, aut commutandi. Ergo ejusdem consensus intervenire debet, ut possint hujusmodi vota relaxari. Lege laud. Suarez laud. *Lib. VI. cap.* 15. Confer huc etiam præclarum Bened. XIV. monitum circa hujusmodi vota; quod exscriptum occurrit in calce superioris §, hujusce I. Part.

Q. XI. *Num in voto reservato, quod Pontificia auctoritate fuerit commutatum in aliud opus non reservatum, possit per Bullas Cruciatæ, aut Jubilæi dispensari?*

R. Affirmat. Prob. In hujusmodi voto in allata hypothesi potest per Episcopum ordinaria sua auctoritate dispensari. Ergo & per Confessarium, cui facultas adsit collata sive per Bullam Cruciatæ, sive Jubilæi; juxta Regulam traditam in §. anteced. Commutatio siquidem extinguit antecedentem obligationem circa prius votum, eamque transfert in aliud opus, quod substituitur, adeo ut censeatur quasi novum votum, quod cum non sit reservatum, non prohibetur Episcopus in eo dispensare, & consequenter neque Confessarius ex facultate Bullæ sive Cruciatæ, sive Jubilæi. Ita Suaresius laud. *Lib. VI. cap.* 20. *num.* 15. qui propositam hanc sententiam veram, ac tutam appellat. Sanchez *in De Matrim. Lib. VIII. Disp.* 9. *num.* 20. & *in Decalog. Lib. IV. cap.* 40. *n.* 46. aliique.

Neque vero propositæ sententiæ aliquid officit

officit illud, nimirum *subrogatum sapere debet naturam ejus, pro quo subrogatur*. Istud enim effatum ex jure desumtum intelligendum est de eo, quod *per se*, & *intrinsece* pertinet ad talem subrogationem; minime vero de reservatione, quæ est quoddam extrinsecum, ac minime pertinens ad talem subrogationem. Lege Suaresium *loc. cit. n.* 13.

Q. Ultim. *Num dispensatio, aut commutatio possit fieri irrita ex caussa subreptionis, aut obreptionis?*

R. Affirmat. Prob. Ad valorem dispensationis requiritur, ut ex voluntate Prælati dispensantis procedat; est enim illa actus humanus, cui essentiale est, ut ex libera voluntate procedat. Sed error, ignoratia, aut deceptio caussant involuntarium, sive non voluntarium. Ergo &c.

Prob. II. Ex *Cap.* Postulasti 27. De *Rescriptis*, ex *Cap.* Constitutus 19. *tit. eod.* & ex *Cap. Ultim. De Filiis Presbyter.* in 6. in quibus decernitur gratiam, aut dispensationem per subreptionem impetratam *nullius valoris* esse ac *momenti*. Et licet adducti Canones de materia beneficiaria loquantur, quæ magis solet esse odiosa propter ambitionem petitorum; nihilominus, quod ibidem decernitur etiam locum habet in dispensationibus votorum, tum quia eadem utrobique occurrit ratio defectus scilicet voluntatis concedentis, tum etiam quia dispensatio in votis magis spiritualis est, magisque Jus divinum

attingit, ideoque purius, ac fidelius tractanda.

Allata porro isthæc responsio intelligenda est non solum de dispensationibus Pontificiis concessis in votis gravioribus, sed etiam de omnibus aliis dispensationibus votorum sive ab Episcopis, sive ab aliis per potestatem delegatam fuerint concessæ. Quia in omnibus æque requiritur voluntas dispensantis, quæ similiter potest impediri per deceptionem, errorem, vel ignorantiam. Lege Suarez laud. *Lib. VI. cap. 27.*

Cujusmodi sit oportet isthæc subreptio, aut obreptio, ut invalidam efficiat dispensationem?

R. Ut invalida evadat dispensatio, ejusmodi debet esse subreptio, ut reticendo veritatem, vel substantia voti non satis declaretur; vel nulla legitima proponatur caussa; sed aut impar ad dispensationem, aut non sufficiens.

Idem pariter dicendum de obreptione, quando scilicet aliquid addatur voto, vel detrahatur, quo substantia voti mutetur narrando falsum, vel negando verum, aut falsa caussa proponatur ad obtinendam dispensationem. Lege laud. Suarez *loc. cit.* qui pluribus hæc omnia illustrat.

Hinc quisque deprehendet turpiter deceptum Sambovium, Theologum alioquin insignem, qui dispensationem voti castitatis obtentam ex falsa narratione pericu-li

li incontinentiæ, & tentationum carnis validam fuisse pronuntiavit. *Tom. I. Cas.* 73. Neque verba illa, quibus caussa dispensationis exprimitur, ad purum stilum Romanæ Curiæ, ut ipse autumabat, pertinent, sed vim conditionis habent, quæ nisi subsistat, irrita evadet dispensatio. Lege Pontas *in suo Dictionar.* Verb. *dispensat. votor. in gener. Cas.* 7. At de facultate dispensandi satis superque, nunc ad cetera, quæ supersunt, properemus.

§. IV.

De facultate eligendi Confessarium per Bullam Sanctæ Cruciatæ nobis concessa.

Facultatem passivæ commutationis votorum per Bullam memoratam nobis impertitam, de qua hactenus edisseruimus, pene sequitur alia facultas itidem nobis concessa eligendi Confessarium, quæ in hunc modum sese habet: *Facultatem præterea* (concedimus), *ut ipsis in toto eorum vitæ decursu, ac etiam in mortis articulo valeant seligere sibi Confessarium ex approbatis ab Ordinario loci, qui eos &c.* De hac itaque nunc nobis sermo est habendus.

Profecto nemo unus, qui primoribus licet labiis sacræ Ethices rudimenta prægustaverit, ignorare potest, quod ad rite,

ac valide administrandum Sacramentum Pœnitentiæ tria hæc in Ministro concurrant oportet, scilicet potestas ordinis, potestas jurisdictionis, & approbatio Episcopi, quantum spectat ad Sæcularium Confessionis excipiendas. De quibus nihil hic subjiciendum arbitramur, ne actum agendo Lectori benevolo frustra fastidium creemus; quare ipsum amandamus ad *Tractat. De Sacram. Pœnitent.* qui prostat *Tom. IV.* hujusce Operis, ceterosque Theologos ubi perspicue tradita occurrunt, quæcumque in hanc rem desiderari possint, si forte hæc ipsa in memoriam revocandi lubido incessat.

Porro illa tantummodo hic præmitti oportet, quæ aliqua ratione viam sternunt ad ea, quæ hoc in Paragrapho sunt nobis dicenda.

I. Approbationem de qua hic loquimur diversam esse a delegatione jurisdictionis nemo unus ignorat; & licet utrumque simul fere semper conferatur, unum tamen non est aliud, neque aliud necessario includit. Approbatio enim est authenticum testimonium, quo approbatus declaratur idoneus, cui munus excipiendi confessiones committatur. Per quam approbationem præcise non confertur ullum jus, neque ulla jurisdictio; sed solum judicatur persona idonea, cui conferatur; & potest Episcopus tantummodo aliquem approbare *simpliciter* nulla ei delegata juris-

risdictione, aut certis tantummodo limitibus circumscripta. Lege Suarez *In De Sacram. Pœnitent. Disp.* 28. *Sect.* 4. *n.* 21.

II. Quemadmodum per approbationem factam ab Episcopo Sacerdos designatur idoneus ad Confessiones excipiendas, ita & per collationem Beneficii Parochialis, juxta Tridentini Sanctionem *Sess.* 23. *cap.* 15. *De Reform.* Qua de re, vide Suarez *De Pœnit. cit. Dis. p.* 28. *Sect.* 24. *n.* 2.

III. Istam approbationem alterutro modo factam ad Sacramentum Pœnitentiæ recte ac valide administrandum esse necessariam non solum esse necessitate præcepti, quod per se patet; sed etiam necessitate Sacramenti. Agitur enim hic de jurisdictione homini communicanda; potuit autem Ecclesia præscribere modum communicandi hanc jurisdictionem, & statuere conditionem aliquam, sine qua talis persona sit inhabilis ad jurisdictionem suscipiendam, seu, quod perinde est, sine qua collatio jurisdictionis esset irrita, ac nullius momenti. Quod hic Concilium fecisse satis aperte per se patet. Vide laud. Suarez *loc. cit. n.* 14.

IV. Concilium generaliter, atque indiscriminatim postulare hoc genus approbationis ad exercendum munus Confessarii, quocumque modo ei deleganda sit jurisdictio. Hinc cum Pontifex alteri delegat jurisdictionem suam, aut dat facultatem Confessarium eligendi, semper censetur eamdem delegare juxta formam Concilii Tridentini; facultatemque eligendi Confes-

fessarium esse intelligendam de Confessario approbato ab Ordinario. Cum enim hoc sit jus ordinarium a Concilio statutum, & sit de re gravissima, unde pendet valor Sacramenti, quoties Pontifex absolute loquitur, secundum hoc jus loqui censendus est, neque illi derogare, nisi ubi id expresse declaraverit. Imo in Bullis Pontificiis juxta communem usum hæc forma a Tridentino præscripta servatur, dum in iisdem non delegetur jurisdictio nisi Confessario approbato ab Ordinario. Idem Suarez *loc. cit. n. 9.* His itaque majoris claritatis gratia præmissis,

Q. I. *Qualis debeat esse Confessarius eligendus ex præscripto nostræ Bullæ?*

R. Debet esse approbatus ab Ordinario. Id quidem satis patet, tum ex dictis, tum etiam ex formula concessionis ipsius Bullæ, cujus verba supra retulimus.

Q. II. *A quonam Ordinario oporteat esse approbatum Confessarium istum eligendum?*

R. Sacerdos sive regularis, sive secularis eligendus in Confessarium ex facultate nostræ Bullæ Cruciatæ, oportet, ut sit approbatus ab actuali Ordinario loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt, vel ad confessiones excipiendas requirunt.

Olim quidem gravis inter Theologos fervebat controversia, cujusnam Episcopi approbatio requireretur, ut quis in Confessarium posset eligi ex privilegio Bullæ

Cru-

Cruciatæ, aliis quidem putantibus sufficere, & requiri approbationem Episcopi ipsius Confessarii, aliis vero Episcopi ipsius pœnitentis, aliis demum sufficere sentientibus cujuscumque Ordinarii approbationem, licet non esset Ordinarius nec Confessarii, nec poenitentis, uti videre est apud Trullench. *in Exposit. Bull. Cruc. Lib. I.* §. 7. *cap.* 1. *Dub.* 2. At huic controversiæ finem imposuit Innocentii XII. Constitutio, quæ incipit *Cum sicut non sine &c.* edita ann. 1700. in qua disertissimis verbis declaratum fuit Bullam Cruciatæ nihil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere, quod ad approbationem Confessariorum spectat contra formam Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum Pauli V. Urbani VIII. & Clementis X. adeo ut Confessarii tam seculares, quam regulares, quicumque ii sint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ, a pœnitentibus ad audiendas Sacramentales confessiones electi, nullatenus confessiones hujusmodi audire possint *sine approbatione Ordinarii, & Episcopi Diœcesani loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt.* Si quid porro secus fieri contingat *præterquam in casu necessitatis, in mortis articulo*, irritum, & inane ibidem decernitur. Quod etiam magis confirmatur ex formula concessionis nostræ Bullæ, in qua aperte præscribitur, ut Confessarius eligendus ex privilegio dictæ Bullæ sit *ex ap-*

approbatis ab Ordinario loci. Vide Salmanticens. *in Append. De Bull. S. Cruciat. cap. 6. Punct.* 1. §. 3.

Dixi: *ab actuali Ordinario loci &c.* Ita enim intelligendas esse jubet hujusmodi concessiones Bullæ S. Cruciatæ Innocent. XIII. in Constit. *Apostolici Ministerii*, adeo ut non sufficiat approbatio illius Episcopi, qui aliquando fuerit illius loci Ordinarius; *sed necessariam omnino esse illius, qui actu, & pro tempore ordinariam jurisdictionem in ea Diœcesi exerceat, approbationem*. Vide Bullam, quæ incipit *Indulta Apostolica* Benedict. XIV.

Hoc idem pariter, omni prorsus dubitatione, ut arbitror, semota adserendum erit de Bullis Jubilæi, in quibus etiam conceditur facultas eligendi Confessarium; nam & ipsa intelligi debet de Confessariis approbatis ab Ordinariis locorum, ubi confessiones sunt excipiendæ. Vide Salmanticens. *loc. cit. num.* 26. & Petrum Colet *in Append. De Jubilæo* §. 13. *qu.* 2. Quin imo Benedict. XIV. in Jubilæo indicto initio sui Pontificatus per Bullam *Lætiora*, & in extensione Jubilæi Anni Sancti per Bullam *Benedictus Deus*, & in alio pro pace inter Christianos Principes impetranda per Bullam *In suprema*, hoc ipsum, quod docuimus, apertissime præscribit. Legi etiam possunt hac de re Constitutio, quæ incipit *Apostolica Indulta*, & Epistola *Encyclic.* de extensione memorati Jubilæi, quæ incipit *Celebrationem*

nem a laudato Pontifice edita, ubi plenius hæc omnia confirmata occurrunt.

Q. III. *Utrum Confessarius approbatus ad certum locum, tempus, ac personas ex privilegio dictæ Bullæ Cruciatæ, possit eligi extra dictum locum, tempus, atque ab aliis, quam a designatis personis?*

R. Negat. Prob. Bulla S. Cruciatæ nullum continet privilegium circa approbationem Confessariorum contra formam Tridentini Concilii, aliarumque Apostolicarum Constitutionum, uti disertis verbis declaravit Innocent. XII. in laudata Bulla *Cum sicut*. Sed juxta Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones, Sacerdos secularis approbatus ab Ordinario cum limitatione circa tempus, locum, & personas, non potest, nec licite, nec valide præfixæ sibi limitationis confinia transilire, aut ultra progredi; siquidem jurisdictio delegata ultra intentionem delegantis, ac concedentis nihil operatur, uti constat, atque unanimi consensu nos edocent Theologicarum disciplinarum Tractatores. Ergo neque etiam ex privilegio dictæ Bullæ Cruciatæ poterit eligi extra terminos suæ approbationis. Vide Bullam *Apostolici Ministerii*, quæ est Innocent. XIII. ubi hoc ipsum apertissime decernitur, & confessiones aliter exceptæ irritæ prorsus, ac invalidæ manere jubentur. Salmanticens. *ibid.* Quod & in Bullis Jubilæi pariter locum habere rectissime docet doctissimus Colet laud. *Append.* §. 13. *n.* 3.

Hinc

Hinc satis per se, uti patet, refutatæ manent quædam hac in re minus ferendæ Theologorum opiniones, uti est illa Trullench. *in Exposit. Bullæ Cruciatæ Lib. I. §. 7. cap. 1. Dub. 2. num.* 5. aliorumque; nimirum Sacerdotem approbatum simpliciter ab Episcopo, nulla eidem omnino delegata jurisdictione posse ex privilegio dictæ Cruciatæ eligi ad excipiendas confessiones. Et illa Enriquez apud eundem Theologum docentis, approbatum ad certum locum, Oppidum, & Civitatem, aut etiam ad certas personas, modo esset simpliciter, & absolute approbatus, & sit alioquin idoneus scientia, pietate, ac moribus, posse ex privilegio Bullæ Cruciatæ eligi in alio loco, atque ab aliis personis. Et demum illa ejusdem Enriquez aliorumque, nempe approbatum pro solis viris defectu solius ætatis, cum nihil ei aliunde desit aut necessarium, aut opportunum ad excipiendas mulierum confessiones, posse ab iisdem mulieribus ex dictæ Bullæ privilegio eligi. Quam opinionem quemlibet absque ullo periculo posse sequi, decernit Diana apud laud. Trullench. *loc. cit.* Hæc enim, & consimilia opinionum placita, ex dictis satis inquam, refutata manent, atque omni prorsus probabilitatis præsidio destituta. Siquidem cum Bulla Cruciatæ nihil novi juris attulisset, neque aliquod privilegium circa approbationem contra formam Tridentini &c. uti decernit Inno-

cent.

cent. XII. in laudat. Constitutione, quemadmodum præciso privilegio dictæ Bullæ hujusmodi Confessarii eligi non poterant ultra terminos suæ approbationis; ita nec etiam concurrente memoratæ Bullæ privilegio. Vide Bullam *Indulta Apostolica* Benedict. XIV. referentem, ac confirmantem Bull. *Apostolici Ministerii*, in qua hæc omnia manifestissime patent.

Q. IV. *Num hoc idem adferendum sit de regularibus, quantum spectat ad confessiones secularium?*

R. I. Regularis sive jure, sive injuria ab Episcopo reprobatus nequit ex privilegio dictæ Bullæ Cruciatæ, aut etiam Jubilæi in Confessarium eligi.

Prob. In hujusmodi Regulari, sive jure, sive injuria ei denegata sit approbatio; deest conditio, quam Tridentina Synodus necessario requisivit, atque essentialem esse voluit pro validitate confessionum, sive pro recipienda jurisdictione delegata. (Vide quæ dicta sunt in prænotatis in hoc §. *num.* 3.) Ergo est inhabilis ad jurisdictionem recipiendam; ac proinde manet *ineligibilis*.

Insuper, qui confitetur Regulari, qui Episcopo quidem præsentatus, sed ab eo injuste reprobatus fuit, non satisfacit præcepto annuæ confessionis; quia invalida est hujusmodi confessio; uti colligitur ex Thesi ab Alexandro VII. proscripta, quæ est *num.* 13. Ergo si non potest hujusmodi Regularis, licet injuste reprobatus,

va-

valide confessiones excipere, neque etiam, uti patet, eligi poterit in Confessarium per Bullas aut Cruciatæ, aut Jubilæi.

R. II. Regularis approbatus ab Ordinario loci cum limitatione ad certum locum, tempus, ac personas, licet hoc per injustitiam factum sit, nec valide, nec licite extra illum locum, tempus, & personas eligi poterit in Confessarium neque ex privilegio Bullæ Cruciatæ, neque ex alio quocumque privilegio. Id enim luculentissimis verbis, etiam quantum spectat ad ipsos Regulares decernit Bulla *Apostolici Ministerii* supra laud. his verbis: *Declaramus Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus, non posse pœnitentiæ Sacramentum administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum, quocumque privilegio, etiam in vim Bullæ, quæ appellatur Cruc. S. competente nullatenus suffragaturo.*

Dixi: *licet per injustitiam hoc factum sit*. Cum enim laud. Constitutio indistincte, ac indefinite loquatur, immerito, ac ratione prorsus reluctante restringeretur ad approbationem ex sola justa caussa *limitate* concessam. Vide Salmanticenses contrariam hac de re sententiam, quam alibi multis suadere conati fuerant, conceptis ac solemnibus verbis recinentes *in*

Ap-

Append. laud. *De Bulla S. Cruciat. cap.* 6. §. 3. *num.* 30. *& seqq.*

Idem quoque dicendum de Regularibus approbatis ab Ordinario ad excipiendas confessiones monialium: Uti si fuerint approbati cum limitatione ad certum Monasterium, ac personam etiam sine justa caussa, non poterunt ultra terminos approbationis confessiones excipere, nec per Bullam eligi, licet Monasteria sint ipsorum regimini subjecta. Vide laud. Salmanticens. *Cap. 6. Punct.* 2. §. 1. *n.* 71. in hac implexa, ac satis gravi controversia.

Q. V. *Num Parochus ratione solius Beneficii Parochialis approbatus, possit ex privilegio Bullæ, sive Cruciatæ, sive Jubilæi eligi in Confessarium, tam intra ejusdem Diœcesis confinia, quam alibi, ubicumque forte diversetur?*

R. Ut incerta in hac satis gravi, atque implexa quæstione a certis seponantur, Dico. I. *Parochus ratione solius Beneficii Parochialis, approbatus, ab omnibus suis ovibus, ac subditis juxta privilegia Bullæ sive Cruciatæ, sive Jubilæi eligi poterit in Confessarium, tum intra suæ Diœcesis confinia, tum etiam ubique terrarum, nulla etiam petita, aut obtenta Episcopi Diœcesani approbatione.*

Hanc primam assertionem extra omnem dubitationis aleam positam esse arbitramur, tum quia Parochus, ubicumque sit, Pastor est suarum ovium, atque in

in easdem retinet jurisdictionem ordinariam sibi competentem ratione Beneficii, quam non amittit per recessum a loco ejusdem beneficii; ac proinde, cum sit *voluntaria*, & non contentiosa, saltem semoto scandalo, illam in suas oves, sive subditos, ubicumque reperiantur recte poterit exercere, ac proinde ubivis etiam ab iisdem eligi. Hinc scite Suaresius loquens de hujusmodi Parrochi jurisdictione, docet illam *terminari personis, & non localibus terminis*. Ita communiter Theologi. Lege Salmanticens. *loc. cit. n.* 49.

Illud etiam hic adjicimus, sub vocabulo *Beneficii Parochialis* comprehendi etiam superiora beneficia, quæ habent ordinariam jurisdictionem in foro Pœnitentiæ, seu curam animarum adnexam, uti sunt non solum Episcopi, sed etiam aliqui Abbates, aliqui Archidiaconi, Archipresbyteri &c. Quia in his omnibus eadem omnino, vel major ratio occurrit. Suaresius laud. *Disp.* 28. *Sect. IV. num.* 2. Trullench. laud. *Exposit. Bull. Cruc. Lib. I.* §. 7. *cap.* 1. *Dub.* 4. *n.* 4.

Dico II. *Parochus hujusmodi, qui beneficium Parochiale sponte dimiserit, aut eodem fuerit per sententiam privatus, aut ab officio, vel sola etiam jurisdictione fuerit suspensus, nequit valide confessiones excipere, nec in Confessarium a quibuscumque eligi ex privilegio tum Cruciatæ, tum Jubilæi.*

Isthæc secunda Assertio etiam mihi

cer-

certa, atque explorata videtur, licet contrariam hac in re sententiam quidam apud Dianam probabilitatis præsidio tueri conati sint.

Prob. In his, quæ sunt de jure positivo, standum verbis ipsius legis. Sed Tridentinum decernit neminem posse confessiones excipere, aut ad id idoneum reputari, nisi ab Episcopo approbationem obtinuerit, *aut beneficium Parochiale habeat*; h. e. nisi actu habeat beneficium Parochiale, & usum ejus, ut explicat doctissimus Suaresius mox laudandus; Parochus autem, qui illud dimisit, aut eodem est privatus, aut a jurisdictione suspensus, aut beneficio, ipso caret, aut usu illius. Ergo hac in hypothesi nequit idoneus reputari ad confessiones excipiendas, nec a quovis eligi quocumque privilegio sive Cruciatæ, sive Jubilæi Ita laud. Suarez laud. *Disp.* 28. *Sect. IV. num.* 20. Trullench. *loc. cit.* Salmanticens. *loc cit. num.* 52. Colet laud. *Append. De Jubil.* §. 13. aliique fere innumeri Theologi.

Utrum vero Parochus iste, de quo quærebatur, approbatus nimirum ratione solius beneficii Parochialis possit non solum, in universo suæ Parochiæ districtu, verum etiam alibi ubicumque forte commoretur, quorumvis secularium confessiones excipere, aut a quovis eligi per Bullam sive Cruciatæ, sive Jubilæi, gravis, atque implexa quæstio est inter Theologos.

Utrum-

Utrumque affirmat Cl. Suaresius *loc. cit.* 16. 17. *&* 18. suamque sententiam gravibus rationum momentis fulcire videtur, & post ipsum Trullench. ac Salmanticens. *loc. cit.* aliique; quorum argumenta, ut brevitati, quoad ejus fieri poterit, consulatur, hic referre supersedemus.

Hisce tamen minime obstantibus, Dico III. *Parochus ratione solius beneficii Parochialis approbatus saltem in hac nostra Neapolitana Diœcesi, extra suam Parochiam, aut a sibi non subditis in Confessarium eligi non poterit ex privilegio Bullæ sive Cruciatæ, sive Jubilæi.*

Prob. Sacerdos ad confessiones excipiendas approbatus cum limitatione ad certum locum, & personas, nequit confessiones excipere, aut in Confessarium eligi extra terminos approbationis ex privilegio hujusmodi sive Cruciatæ, sive Jubilæi, uti Q. 3. hujusce §. ostensum est, & communi consensu docent Theologi. Atqui hujusmodi est Parochus ex nostra Synodali Constitutione. Ergo &c. Siquidem nostra Synodus apertissime decernit: *Parochos non esse pro tota Diœcesi approbatos: sed tantum pro Parochia sua, & ut possint extra Paræciam suam (aut aliorum, quam sibi subditorum) confessiones audire, indigere peculiari facultate. P. II, cap. 5. de Sacram. Pœnit. n. 7.*

Dixi: *Saltem in hac nostra Neapolitana* &c. Neque enim desunt Theologi, qui idem juris ubique etiam esse servandum

dum doceant; cum Parochus iste, de quo loquimur, neque de facto sit approbatus ab Ordinario suo pro tota Diœcesi, neque a jure pro toto orbe terrarum, quidquid in contrarium sentiat Suaresius cum aliis laudatis, qui contendunt hujusmodi Parochum habere aut ab Ecclesia, aut a jure universalem approbationem; licet unde sit eruendum, non satis indicant.

Imo proferunt prædicti Theologi nostræ propositæ sententiæ faventes, quamdam declarationem Cardinalium, in qua decernitur: Parochum nec intra, nec extra Diœcesim esse virtute Cruciatæ eligendum a fidelibus in Confessarium, sed tantum in sua Parochia, quæ licet vim legis minime habere concedamus, uti innuunt Salmanticens. *loc. cit. num.* 50. tamen satis indicat, ut arbitror, quæ sit mens Romanæ Sedis in hujusmodi concessionibus. Legatur Petrus Colet in laudat. *Append. De Jubilæo* §. 13. *qu.* 6. qui hæc eadem, quæ nos protulimus, tradit de Parochis hujusmodi, quantum ad facultates Jubilæi.

At nobis satis fuit, quæ certiora dumtaxat visa fuere, selegisse, atque in medium protulisse: cetera porro, quæ hoc in genere indicavimus ex laudat. Theologis prudentiorum judicio discutienda committimus.

Q. VI. *Num Sacerdos generali tantum facultate approbatus ad audiendas confessiones secularium utriusque sexus possit in*

Confessarium eligi a Monialibus perdurante privilegio Bullæ Cruciatæ?

In antecessum porro supponendum tamquam certum, quod & neminem, etiam ignorare arbitramur: Quoslibet Confessarios sive Seculares, sive Regulares ab Episcopo generaliter approbatos ad audiendas confessiones omnium secularium tam virorum, quam etiam mulierum, non censeri eo ipso approbatos pro Monialibus, sive Episcopis, sive Regularibus ipsæ sint subjectæ, sed indigere pro Monialibus speciali Episcopi approbatione. Quod sane pluribus Pontificum Constitutionibus sapientissime statutum, atque sancitum occurrit. Vide Salmanticens. laudat. *Append. Cap.* 6. De Approbat. requisita pro Confess. *Punct.* 2. §. 1. *n.* 60.

Hoc posito ad Quæst. Resp. Negat. Nullum scilicet Confessarium sive Secularem, sive Regularem, generali tantum approbatione instructum posse eligi a Monialibus ex privilegio Bullæ Cruciatæ ad excipiendas earumdem confessiones, nisi habeat specialem pro iisdem approbationem.

Prob. Nullus Sacerdotum poterit eligi in Confessarium ex privilegio Bullæ Cruciatæ, nisi illam consecutus sit approbationem, quam Apostolicæ Constitutiones omnino exquirunt; sed istæ in Confessario sive Seculari, sive Regulari, pro Monialium confessionibus excipiendis eligendo, specialem omnino exposcunt approbationem,

nem; ita ut non sufficiat generalis. Ergo nullius Confessariorum per Bullam memoratam eligi poterit ad confessiones Monialium, cujuscumque sint jurisdictionis, si speciali illa ad id requisita fuerit approbatione destitutus. Vide Salmanticensi. *loc. cit. n.* 62.

Hinc quam rectissime Augustinus Barbosa in Collectan. ad *Cap.* 10. Trident. Concil. Sess. 25. de Regularib. ait: *Moniales vigore facultatis Bullæ Cruciatæ (quatenus ad eas pertinet gratia ex dicta Bulla) non possunt alios Confessores eligere, præter eos, qui ad audiendas ipsarum Monialium confessiones ab Ordinario fuerint approbati.*

Idem quoque patet esse dicendum de Bulla Jubilæi concedente consimilem facultatem eligendi Confessarium; quidquid in contrarium opinetur Diana cum aliis. Lege Salmantic. *loc. cit. n.* 65. *& seqq.* & Bullam *Benedictus Deus*, pro extensione Jubilæi Anni S. §. 14. quæ est Benedict. XIV. in qua & illud indulget, ut potestas eligendi Confessarium occasione ejusdem Jubilæi Monialibus concessa intelligatur de Confessario approbato *pro Monialibus in genere*, licet approbatus esset *pro alio Monasterio*. §. 11. *Epist. Encycl.* De Extensione ejusdem Jubilæi.

Q. VII. *Num Confessarius censura irretitus, aut irregularis eligi poterit a pœnitente, ut privilegia Bullæ eidem attribuat?*

R. Affirmat. Modo valide ipsum pœnitentem absolvere poterit; neque peccet pœnitens illum eligendo, aut eidem confitendo; secus vero si pœnitens absque novo peccati mortalis reatu nequeat eidem confiteri. Bulla siquidem deferens facultatem Confessario, supponit ipsum posse valide confitenti Pœnitenti absolutionem impertiri, atque esse a jure idoneum, cujusmodi non est Confessarius in casibus in quibus non potest valide absolvere, aut Pœnitens eligendo, aut eidem confitendo peccat. Hinc quandoque in hujusmodi Bullis adjici solebat hæc clausula; *Ut possint eligere Confessarium idoneum*, h. e. neque censura irretitum, neque irregularem. Ita recte Trullench. in Exposit. B. S. Cruc. *Lib. I. §. 7. Cap. 1. Dub. 11.*

Dixi 1. *Modo valide absolvere &c.* h. e. ut hujusmodi Confessarius censura irretitus, aut irregularis non sit vitandus, aut denuntiatus. Hujusmodi enim carent jurisdictione ad validam absolutionem impertiendam, excepto tantum mortis articulo vel periculo. Vide Cuniliati De Irregularitate §. 1. *n. 6.* Verum hæc notiora sunt, quam ut monitore indigeant.

Dixi. 2. *Neque pœnitens peccet ipsum eligendo &c.* h. e. modo concurrat justa, ac legitima caussa petendi ab ipso absolutionem, & Sacramenti administrationem. Quænam porro sit censenda justa ac legitima caussa petendi ab hujusmodi Confessariis Sacramenti administrationem perspi-

ſpicue traditum id ocuurrit in *Tract. De Sacram. Tom. IV.* hujus Oper. Conſule ibid. dicta ceteroſque Theologos. Non enim fas eſt longius protrahere hanc Diſſertatiunculam, quam res ipſa neceſſario expoſcat.

Q. VIII. *Num facultas eligendi Confeſſarium conceſſa per Bullam noſtræ Cruciatæ ſuffragari poterit Regularibus, ut a Caſibus reſervatis per Confeſſarium eligendum abſolvi poſſint?*

R. Negat. Id enim apertiſſime liquet ex Conſt. *Indulta Apoſtolica*, quæ eſt Benedicti XIV. §. 7. Bullam ſcilicet Cruciatæ, *quantum ad articulum eligendi Confeſſarium, ſeque a Caſibus reſervatis abſolvi faciendi, nequaquam Regularibus ſuffragari.*

Cui ſane tum Bened. XIV., tum aliorum retro Pontificum declarationi nequaquam derogavit Pius VI. in conceſſione noſtræ Bullæ Cruciatæ; licet enim in poſteriori Bulla, ſive Brevi, edita An. 1778., quæ incipit *Quamvis Paſtoralis*, gratias, tam ſpirituales, quam temporales extendit ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios inferiores Prælatos, & Presbyteros ſeculares, qui in priori Bulla præcedentis anni fuerant excluſi, nullo tamen modo loquitur de Regularibus; imo & aperte videtur ipſos excludere, dum ait in laud. poſteriori Bulla, quæ eſt prioris extenſio: *Necnon & Presbyteris ſecularibus tantum.*

Non ita tamen sese res habet in Bulla Jubilæi; siquidem plures, magnique nominis Theologi docuere tempore Jubilæi licere Regularibus etiam sine Superiorum suorum licentia eligere Confessarium, sive Secularem, sive Regularem alterius Ordinis ab Ordinario approbatum. Quorum sententiæ aperte inhærere videtur ipse Benedict. XIV., siquidem id specialiter indulgens Regularibus, loquendo de Pœnitentiariis Rom. Urbis per Bullam *Convocatis num.* 4. editam pro Jubilæo Anni Sancti, &. in Bulla *Benedictus Deus*, pro extensione ejusdem Jubilæi §. 4. aperte declarat se nihil velle per id eorum juri detrahere; *sed tantum, ut dici solet, jura juribus addendo, ad unicum dumtaxat finem, ut tutiores conscientiæ redderentur*. Lege *Epist. Encyclic.* ejusdem Pontificis sæpius laud. §. 36.

Q. Ultim. *Num Confessarius complex cum Pœnitente in peccato turpi poterit ab eodem Pœnitente ex privilegio nostræ Bullæ Cruciatæ eligi, ut ejusdem peccati absolutionem eidem impertiatur?*

R. Negat. Quia hujusmodi Confessarius in allata hypothesi manet prorsus *ineligibilis*. Quod quidem apertissime decernit Sum. Pontifex Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis* sæpius laud. loquens de facultate concessa per Bullam Jubilæi: *Omnem* (scilicet (*Confessarium respectu hujusmodi complicum esse omni, tum jurisdictione, tum approbatione destitutum, & prorsus* ineli-

ineligibilem, cujuscumque Jubilæi sive Indulti Beneficio; laud. Bull. n. 23.

Insuper Confessarius in hujusmodi peccati, & pœnitentis genere etiam ex privilegio Bul. S. Cruciat. non est habendus uti legitimus, & approbatus. Sed facultas concessa per Bullam eligendi Confessarium non est intelligenda nisi de approbatis, uti antea docuimus, & patet ex verbis nostræ Bullæ. Ergo &c. Hæc constant ex Bull. *Sacramentum Pœnitentiæ*, quæ est ejusdem Bened. XIV. *Declarantes* ait laud. Pontifex, & *decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bull., quæ appellatur Cruciatæ S., aut alterius cujuslibet indulti, confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri, cum ad hunc effectum, & in hoc casu nullus Confessarius .... habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato.*

Quale autem sit oporteat peccatum istud, in quo Confessarius complex caret jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam opportunius in hac ipsa elucubratiuncula alibi discutietur: interim consule Salmanticens. qui in laud. *Append. De Bull. S. Cruciat. cap.* 6. *Pun.* 4. laud. Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, fusius commentantur. Vide etiam, quæ hanc in rem inseruimus *in Tractat. De Sacram. Pœnit. Tom. IV.* hujusce *Op. Sect. 6. Prop.* 3. *Qu.* 1. At jam de electione Confessa-

rii per Bullam nostram concessa satis, uti arbitror, dictum est. Age vero quæ reliqua sunt inspiciamus.

§. ULTIMUS.

De facultate absolvendi a reservatis per Bullam nostræ Cruciatæ concessa.

JAm ad metam nostri cujuscumque laboris in hac Prima Parte hujusce nostræ Dissertationis Deo dante, devenimus, h. e. ad postremum hunce §. ubi de facultate absolvendi a reservatis superest nobis dicendum, ut facultatum omnium ad Confessarios pertinentium, quæ per hanc nostram Bullam iisdem impertiuntur, promissa elucidatio omni ex parte completa maneat. Hoc enim ab initio nobis primo peragendum proposuimus.

Verum antequam quidquam de postrema hac facultate absolvendi a reservatis dicere incipiamus, formulam ipsam hujusmodi concessionis fidelibus lectorum oculis subjiciamus oportet, unde totus ordo, & ratio dicendorum desumenda sunt. En itaque verba nostræ Bullæ.

Facultatemque præterea, ut ipsi bis in toto eorum vitæ decursu, ac etiam in mortis articulo valeant seligere sibi Confessarium . . . . . qui eos a peccatis Sedi tan-

tum

tum Apostolicæ, non autem Ordinariis locorum respectivè reservatis, nisi eorumdem Ordinariorum licentia accedat, absolvere libere pariter, ac licite possit, auctoritate, & tenore præfatis tribuimus, & impertimur. Hoc idem etiam in nostra Bulla Itala *num.* 5. sapientissime inculcatum occurrit.

In hac porro concessionis formula duæ gravissimæ suboriuntur quæstiones, quæ nobis expediendas primo sese exhibent; quarum prima est; num in facultate concessa absolvendi a peccatis Sedi Apostolicæ reservatis intelligatur etiam concessa facultas absolvendi ab iisdem peccatis, quando adnexam habeant censuram. Altera vero, quænam sint illa peccata Ordinariis locorum reservata, quæ a prædictæ concessionis formula apertissime excluduntur. Sit itaque.

Q. I. *Num facultas facta hic per nostram Bullam absolvendi a peccatis Sedi Apostolicæ reservatis complectatur etiam facultatem absolvendi ab iisdem peccatis, cum censuram habeant adnexam eidem Apostolicæ Sedi reservatam?*

R. In hac gravissima magnique momenti quæstione, quæ diu multumque animum torsit, & in qua prudentiores etiam nostræ ætatis Theologos dubios deprehendi, quæ verosimiliora visa sunt, & fortasse etiam probabiliora, in medium proferemus, peritiorum judicio illa submittendo. Sed antequam mens nostra hac

in re aperiatur, quædam erunt nobis præmittenda.

I. In Ecclesia sæpe reservari peccata sine ulla prorsus censura, quod certo certius constat per reservationes ab Episcopis subinde factas, & in Religionibus a Prælatis Regularibus approbantibus etiam Romanis Pontificibus, uti patet ex Decret. Clement. VIII. quod refert clarissimo Suaresius *in De Pœnit. Disp.* 29. *Sect.* 3. *num.* 11. aliique passim. Quod vero spectat ad reservationes Pontificias illud etiam compertum est, regulariter, & quasi jure ordinario peccata sine censura non solere reservari per Summos Pontifices.

Diximus *regulariter &c.* quia quædam sunt peccata, quæ etiam nulla adjuncta censura ab iisdem reservata fuere, quod nemini non latet, de iisque inferius recurret sermo.

II. Per reservationes Pontificias non minus censuras, quam peccata ipsa *in se*, & *immediate* reservari: quod multis adductis auctoritatibus efficacissime probat Suaresius *loc. cit. Sect.* 2. *n.* 8. *& seqq.* atque inde varia deducit corollaria, quorum postea meminisse juvabit: licet autem utrumque reservatur *in se*, & *immediate*, unum tamen sine altero non reservatur; unde fit, ut in Pontificiis reservationibus hæc duo, culpa nimirum, & censura secundum commune jus, & praxim Ecclesiæ ordinariam, sint maxime conjuncta. His positis.

Ad-

Adsero: *Facultas concessa per nostram Bullam absolvendi a peccatis Sedi Apostolicæ reservatis secum fert etiam facultatem ab hisce peccatis absolvendi, licet adnexam habeant censuram reservatam.*

Adsertio isthæc communis est, & indubia apud antiquiores Theologos. Vide Navarr. *in suo Manual. cap.* 27. *num.* 261. Trullench. *in Exposit. Bull. Cruc. Lib.* I. §. 7. *cap.* 2. *Dub.* 1. *num.* 3. Pontas *Verb.* Cas. Reserv. *Cas.* X. aliosque passim: quia tamen propter posteriores reservationes, ac Pontificias Constitutiones, aliquid dubitationis in illam est injectum, idcirco in illa probanda immoramur.

Prob. I. In reservationibus, quæ fiunt per Pontifices Summos peccatum & censura sunt maxime conjuncta, uti dictum est. Ergo etiam in concessionibus factis ab iisdem absolvendi. Sicut enim a principio hanc connexionem habent, quasi *in fieri*, ut ita loquar, ita etiam *in conservari*, seu in duratione: Suarez *loc. cit. num.* 11. & post eum Trullench. *loc. cit.*

Atque inde fit, ut ablata censura censeatur etiam reservatio culpæ sublata, ut unanimi consensu docent Theologi; & concessa facultate absolvendi a censura, censeatur etiam concessa facultas absolvendi a peccato; & vice versa concessa facultate absolvendi a peccato censeatur etiam concessa facultas absolvendi a censura. Utraque enim jurisdictio simul ac

 con-

conjunctim in his confertur in foro interno. Lege laud. Theologos.

Prob. II. Concedente Pontifice facultatem absolvendi a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, omnes ad unum Theologi fatentur, ac docent, inde etiam intelligendam esse concessam facultatem absolvendi a censuris eidem Apostolicæ Sedi reservatis. Ergo etiam concedente Romano Pontifice facultatem absolvendi a peccatis Sedi Apostolicæ reservatis, ut fit per Bullam nostræ Cruciatæ, intelligenda est concessa facultas absolvendi a censuris iisdem peccatis adnexis, ac Sedi Apostolicæ pariter reservatis. Casus enim reservati, ac peccata reservata synonima sunt, ac promiscue hac in re pro eodem usurpantur. Vide Navarr. *in suo Manual. cap.27. num.259.* & Trullench. *loc. cit.*

Prob. III. Si ita intelligenda esset allata concessionis formula, ut a solis peccatis Apostolicæ Sedi reservatis sine censura absolvi posset; esset quædam solemnis illusio, cum nihil aut ferme nihil concessum in ea contineretur. Ergo ut tam enorme absurdum evitetur, dicendum profecto est, per adductam concessionis formulam potestatem nobis conferri absolvendi etiam a peccatis, cum adnexam habeant censuram Apostolicæ Sedi reservatam.

Antecedens mirifice patebit discurrendo leviter per casus reservatos sine censura. Et sane quatuor enumerari possent hujusmodi casus reservati.

Pri-

Primus est, quem sibi reservat Benedictus XI. In *Extravag.* Inter cunctis, *titul. De Privilegiis*. de Parocho mendaciter dicente, aut in dolum, vel fraudem suum parochianum confitentem Mendicantibus fuisse excommunicatum, aut notorium peccatorem, de quo ita decernitur: *Si hoc egerit, a tali delicto, nisi plane satisfecerit, præterquam in morte, absolvi nequeat, nec de illo ad pœnitentiam aliter admitatur*. Sed memorata *Extravag.* Benedict. XI. aut omnino expuncta fuit per Clementinam relatam *in Cap.* Dudum *De Sepultur.* uti legenti patet, aut nulla ibi decernitur reservatio, cum tantum præcipiatur, ut hujusmodi Parochus minime absolvatur, donec actu plane satisfecerit; quemadmodum & *in Cap.* Quamquam *ult. De Usur. in 6.* præcipitur, ne quis manifestum usurarium absolvat, antequam actu restituerit, aut cautionem de restituendo exhibuerit; prohibitionem autem hujusmodi reservationem esse nullus adhuc docuit.

Secundus est, quem sibi reservat Sixtus V. in Constitut. quæ incipit *Sanctum, & Salutare* edita Ann. 1589. ubi pœnam suspensionis intulit adversus Clericos male promotos ad Ordines & simul hujusce censuræ absolutionem & peccati sibi reservat. Sed hic casus parum, aut potius nihil ad rem facit, cum habeat adjunctam censuram suspensionis, uti patet. Præterquam quod allata Constitutio reda-

ćta

cta est ad terminos juris communis a Clement. VIII. Vide Trullench. laud. *Lib. I.* §. 7. *cap.* 2. *Dub.* 2. *num.* 8. & Cieram *in De Casib. Reserv. Dissert.* 1. *qu.* 3. *n.* 24. Quod tamen est intelligendum exceptis pœnis adversus simoniace promotos ad ordines, quas Clemens VIII. non abstulit, sed in suo robore jussit permanere. Bonacina *De suspens. un. in Particul. Disp.* 3. *Q.* 1. *Punct.* 3.

Tertium est peccatum recipientis munera a Regularibus utriusque sexus *ultra valorem decem scutorum monetæ* ex Constitut. Clementis VIII. quæ incipit *Religiosæ Congregationis* edita Annis 1594. confirmata, & explicata ab Urbano VIII. in sua Constitutione, quæ incipit *Nuper* Ann. 1640. Verum in hoc casu ante impletam restitutionem soli Majori Romano Pœnitentiario concessum est, concurrente tamen impotentia restituendi, ejusmodi peccati absolutionem impertiri, juxta laud. Bullam *Nuper* Urbani VIII. & Bullam *Pastor Bonus* Benedicti XIV. edit. Ann. 1744. Post illam vero impletam evanescit omnis reservatio facta reali restitutione munerum acceptorum; adeo ut per quemlibet Confessarium in allata hypothesi nulla etiam Pontificia facultate pro eo casu instructum peccatum illud possit absolvi. Uti non pauci docuere Theologi, teste Ciera *Dissert.* 23. *num.* 6. quod etiam satis aperte innuitur in laud. Clement. VIII. Constitut. de qua lege, si lu-

jubet, Natal. de Alexandr. *in Append. ad Tom. I. suæ Theolog. Dogmat. & Moral. Epistol.* 70. & Bonacin. *De largitione Muner. Regularib. interdicta Tom. I. suor. Oper.* Licet memoratæ opinioni refragari videatur laud. Bulla *Pastor Bonus* ut videre est §. 26.

Quartus casus est peccatum illorum, qui *innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant*; juxta Bullam *Sacramentum Pœnitentiæ* ejusdem Benedicti XIV. Qui profecto casus controverti videtur inter Theologos, num absolvi possit per facultatem nostræ Bullæ S. Cruciatæ, (de qua quidem controversia, qui veluti probabilius tenendum sit, suo loco aperiemus). Laudata ergo concessionis formula in nostra Bulla Cruciatæ, si de solis peccatis reservatis sine ulla prorsus censura esset intelligenda, solemnis esset illusio, cum nihil, aut ferme nihil concederet; quod de Summo Pontifice suspicari maxime nefas.

Me sane non latet in Bulla Cruciatæ Hispanica, quam referunt Hispani Scriptores, & in illa Regni Siciliæ ultra Pharum, & in Bullis Jubilæi Benedicti XIV. alibi allatis, quas accurate percurri, diserte, atque expresse mentionem fieri de facultate non solum absolvendi a peccatis, verum etiam a censuris reservatis; hoc tamen propositæ nostræ adsertioni uti nos edocent Theologi, minime officit; siquidem privilegia non sem-

semper operantur contra, seu præter jus; sed aliquando continere noscuntur idem, quod in jure habetur; clarius, tamen, quam in jure habetur, ad removendos scrupolos, ut sine ulla prorsus dubitatione id fieri possit, quod in opinione tantum erat positum. Quam agendi rationem in multis tenuit laud. Pontifex Benedict. XIV. hujus generis privilegia concedendo, *ut tutiores conscientiæ redderentur*. Lege *Epist. Encyclic.* quæ incipit *Inter præteritos* occasione Jubilæi Anni Sancti §. *præsertim* 36.

Q. II. *Quinam sint illi casus Episcopis reservati, a quibus per facultatem nostræ Bullæ Cruciatæ absolvere Confessarii prohibentur, non accedente eorumdem licentia?*

R. Esse casus illos Episcopis per statuta particularia, ac propria singularum Diœceseon reservatos, quos vulgo dicere solemus *ab Episcopis*, sive *a Nobis reservatos*; siquidem sæpissime, ac fere semper per *casus Episcopis reservatos*, hujusmodi, quos diximus, indigitantur in jure. Id sane patet ex *Cap.* Si Episcopus 2. *De Pœnitent. & Remissionib.* ex *Extravag.* Inter Cunctas Benedicti XI. inter *Commun. tit. De Privileg.* ex Bulla *Superna* Clement. X. qui hujusmodi casus, quos diximus modo *ab Episcopis*, modo *Episcopis reservatos* appellat. Vide Pontas *Verb. Casus Reservati cas.* 6. ac demum ex Prop. 22. proscripta ab Alexandr. VII. Atque ad hunc etiam modum loqu-

un-

untur Theologi quamplures. Vide Pontas verb. *Casus Reservati* laud. *cas. 6. & cas.* 10. aliosque ab ipso laudatos, Colet *in Append. De Jubilæo* §. 14. *De Potest. Confess. circa censur.* Cabassutium *in Theor. ac praxi Jur. Can. Lib. I. cap.* 13.

Licet autem verba, quibus hanc in rem nostra utitur Bulla ampliorem excipere possint interpretationem, atque intelligi *tam de casibus ab Episcopo reservatis, quam de illis*, quos dicere solemus *Episcopis reservatos*: hic tamen putamus non aliter esse intelligenda, quam *de casibus ab Episcopo reservatis*, quod profecto ita suadetur. Casus *respective* Ordinariis locorum reservati illi videntur esse, qui ab Episcopis per statuta particularia, & propria singularum Dioeceseon sunt reservati. Atqui hujusmodi sunt casus, qui excipi jubentur ex concessionis formula in nostra Bulla; uti patet ex ejusdem verbis. Ergo &c. Qui enim ex jure communi iisdem Ordinariis locorum sunt reservati, cum ubique jus commune hac in re, quod novimus, vigeat, dici non possunt, uti patet. *respective* iisdem reservati.

Huc etiam accedit, quod caussa allatæ exceptionis in nostra Bulla, & consimilibus, illa profecto est, ne videatur derogari juri, atque auctoritati Ordinariorum, quibus, uti ex Tridentino compertum est, competit, ut graviora quædam crimina suo tantum judicio reservare possint, pro quorum absolutione, pœnitentes, qui iisdem sunt

sunt innexi, ad illos, excepto tamen mortis articulo, sunt remittendi. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. Atqui non censetur derogatum nisi per concessionem hujusmodi casuum, quos Episcopi suo judicio reservaverint, quosque dicere solemus *ab Episcopis reservatos*. Ergo isti tantum ex concessione nostræ Bullæ videntur excepti.

Hinc haud temere sentire viderentur, qui dicerent per facultatem nobis concessam in Bulla nostræ Cruciatæ posse absolvi pœnitentes ab illis casibus, qui ex jure communi Episcopis reservati fuere, cujusmodi est abortus fœtus animati ex Constitut. Gregor. XIII. quæ incipit *Romana Sedes*: Percussio levis Clericorum ex *Cap.* Pervenit 17. *De Sentent. Excommunicat.* Casus Summo Pontifici reservati, qui ex caussa impedimenti ad ipsum accedendi fiunt Episcopales, sive Episcopis reservati in illa rerum circumstantia: & omnes casus Pontificii occulti ex *Cap. Liceat*. Trident. de quibus in peculiaribus Appendicibus, uti III. & IV. Additionum *ad Element. Theolog. Practicæ Tom. V.* abunde a nobis dictum est. Non solum quia in nostra Bulla cum non videantur excepti, nisi casus illi, qui dicuntur *Ab Episcopo reservati*, recensiti, qui hujusmodi non sunt in concessione dicendi sunt comprehensi; verum etiam, quia licet hujusmodi casus concurrente aliqua circumstantia fiant Episcopales, non desinunt tamen esse Pontificii, sive Pontifici reservati,

vati, ac proinde concessi Confessariis per facultatem nostræ Cruciatæ, quibus per ipsam jus factum est absolvendi a peccatis Sedi Apostolicæ, sive Summo Pontifici reservatis.

Nec obstare videtur vocula illa taxativa *tantum* apposita in concessione in hunc modum: *a peccatis Sedi tantum Apostolicæ &c.* quæ videtur a concessione excludere quævis alia, quæ non sunt Pontifici reservata, cujusmodi sunt reservata Episcopis. Hæc inquam non obstare videntur; tum quia, uti diximus, ista non desinunt esse Pontifici reservata, licet propter aliquam circumstantiam committantur, sive reserventur Episcopis; tum etiam quia dicta vocula *tantum* videtur referri ad casus exceptos a concessione, uti patere satis arbitramur formulam concessionis, quam initio hujusce §. attulimus, accurate legenti; ac proinde videtur intelligenda pro ratione exceptionis. Sed non sunt excepti, uti probavimus, nisi casus illi, qui dicuntur ab Episcopis reservati. Ergo ab istis tantummodo absolvere Confessariis interdictum est per Bullam nostræ Cruciatæ non obtenta eorumdem Ordinariorum licentia.

Verum licet hæc, quæ huc usque attulimus, summum probabilitatis pondus præseferre, imo fortasse etiam probabiliora videantur; nihilominus rectius sese gerere nobis viderentur, qui tutius, atque cautius agentes, ad absolvendos hujusmodi ca-

casus, qui proprie, & stricte dicuntur *Episcopis reservati* non accedent, nisi prius postulata, & obtenta Ordinariorum facultate. Quod sane non solum maximopere commendamus; verum etiam ut fiat, etiam atque etiam suademus; tum quia cum res isthæc omnino extra controversiam non sit, pars, quæ videtur magis consulere Sacramenti validitati, ac securitati conscientiarum, semper præferenda est, cum possit sine incommodo; tum etiam quia ita apertissime olim sentire visus est noster Eminentissimus Commissarius. At de hac etiam quæstione consule quæ dicentur in hac Dissertatione *Tom. II. Appendic. I.* Dub. XVIII.

Q. III. *Num hujusmodi facultas concessa absolvendi a censuris possit exerceri extra Sacramentum Pœnitentiæ?*

R. Ita quidem sensisse plures ex Theologis cuivis compertum est, ut hujusmodi absolutio a censuris possit impertiri extra actum Sacramentalis Confessionis. Vide Trullench. *in Dxposit. Bul. §. Cruciat. Lib. I. §. 7. cap. 2. Dub. 13.* Sanchez. *Lib. VIII. De Dispens. Matrim. Disp. 15. num. ult.* Imo quidam inter ipsos longius progressi sunt, ut docerent posse nihilominus absolvi a censuris etiam extra actum Sacramentalis Confessionis, licet in concessione hujusmodi privilegii absolvendi a censuris adjiciatur clausula illa, quæ interdum apponi solet, *auditis diligenter confessionibus*; cum isthæc clausula; ut ipsi

ipsi autumabant, solam absolutionem a peccatis, quæ præviam exposcit confessionem, minime vero absolutionem a censuris respiciat. Trüllench. *loc. cit. num.* 6. Layman, *De Sacram. Pœnit. cap.* 10. *num.* 21. At hæc plane non persuadent.

Quare potior, ac probabilior nobis videtur sententia Colet, qui *in Append.* sæpius laud. *De Jubilæo* §. 14. *qu.* 1. docet hujusmodi absolutionem a censuris minime impendi posse extra Sacramentalem Confessionem. Quin imo adserit Pontificia definitione, & oraculo concertationi Theologorum finem impositum, omnemque addubitandi ansam amputatam; cum Benedict. XIV. in sua Bull. *Convocatis* edita occasione Jubilæi Anni Sancti §. 25. edixerit *prædictas absolutiones* (scilicet non solum a peccatis, verum etiam a censuris) *commutationes, dispensationes non posse exerceri extra actum Sacramentalis Confessionis*. Et licet ibidem loquatur de Pœnitentiariis Romanæ Urbis, idem tamen judicium ferendum est de ceteris Confessariis propter rationes, quibus permotus Pontifex ista decrevit. Lege quæ docet laudatissimus idem Pontifex *in Epist. Encyclic.* quæ incipit *Inter præteritos. De Quæstion. &c.* §. 63.

Idem quoque dicendum arbitramur de hujusmodi facultate concessa per Bullam S. Cruciatæ; cum eædem prorsus rationes, ac argumenta hac in re urgeant pro Bulla quoque S. Cruciatæ, non secus ac

pro

pro Bulla Jubilæi. Lege Navarr. *in suo Manuali cap. 26. num. 31.* aliosque apud Sanchez *loc. cit.*

Verum loquendo de nostra Bulla Cruciata in particulari, proposita Navarri aliorumque sententia, non solum tutior est, uti indicat. Navarr. ac probabilior, imo uti videtur, unice probabilis, ac omnino nobis sectanda. Quod sane hoc evincitur argumento.

Potestas absolvendi a censuris per nostram Bullam Confessariis electis non defertur *principaliter, ac in ipsa*, ut in Bulla Cruciatæ Hispanica, quam referunt laudati Scriptores, sed veluti quid accessorium; ac per consecutionem ad absolutionem a culpa reservata; non enim nobis illa competit nisi ratione connexionis ad culpam reservatam; quia in reservationibus Pontificiis censura, & culpa reservatæ maxime conjunctæ sunt & connexæ. Ergo & in eodem foro Pœnitentiæ facultas absolvendi a censuris exercenda est, non secus ac facultas absolvendi a peccatis. Accessorium enim naturam sui principalis sequi oportet. Uti constat ex *Reg. Jur. 42. & cap. 1. De Consectat. Eccl. & Alt. in 6.*

Præterea id probari etiam posset hoc alio argumento: facultas enim absolvendi a censuris hic maxime per nostram Bullam nobis non conceditur, nisi tamquam dispositio ad absolutionem a peccatis; cum enim conceditur aliquid, omne il-

illud, quod est necessarium, aut requiritur ad illud peragendum, pariter concessum censetur, uti communiter docent Theologi Juris sanctionibus innixi argumento *Cap.* Sane 11. *De Offic. ac Potest. Judic. Deleg.* Sed absolutio a peccatis exposcit antecedentem confessionem. Ergo & absolutio a censuris; ac proinde nequit illa impertiri ex facultate nostræ Bullæ extra actum Sacramentalis Confessionis. Ita Navarr. *loc. cit.*

Q. IV. *Quonam pacto sit intelligendum illud*: Bis in toto vitæ decursu, atque etiam in mortis articulo valeant seligere sibi Confessarium, qui eos a peccatis Sedi Apostolicæ &c.

R. Fuere quidam Theologi, qui docuerunt posse fideles perfruentes Bullæ privilegiis juxta modum concessionis *semel*, aut *bis* absolvi ab unoquoque reservato; adeo ut, si quis forte incidat in centum distincta reservata, centies ac pluries etiam juxta modum concessionis, uti diximus, intra annum publicationis ejusdem Bullæ ab iisdem possit absolvi; atque illum definitum numerum *semel*, aut *bis* se tenere adserunt ex parte cujuslibet peccati. Verum istæ non tam differentium, quam somniantium Theologorum opinationes, quam merito sint rejiciendæ, nemo unus non videt.

Quapropter dicendum ex communi sententia illam numeri definitionem in Bulla, *semel* nimirum, ut in Bulla Hispanica, *bis*

bis vero in nostra, se tenere ex parte absolutionis; adeo ut *semel* aut *bis* intra annum publicationis ejusdem Bullæ possit quis absolvi, sive uni, sive pluribus reservatis sit impendenda absolutio; non vero singulæ singulis. Hic est enim planus, rectus, atque obvius sensus verborum Bullæ; *semel* enim, aut *bis* ex facultate Bullæ absolvi a reservatis illud plane significat, unicam, aut bis iteratam recipere absolutionem a reservatis.

Ad hæc si numeri definitio, *semel* nimirum aut *bis*, referenda esset ad peccata reservata; inde sequeretur, quod si quis simul pluribus reservatis ejusdem speciei esset oneratus non posset ab iisdem absolvi; cum semel ab unoquoque intra annum publicationis Bullæ absolvi permissum esset. Quod plane absurdum nemo non persentiscit. Ita Trullench. laudat. *Lib.* *I.* §. 7. *cap.* 2. *Dub.* 3. Salmanticens. *Tract.* 10. *De Cens.* *cap.* 3. *Punct.* 7. *num.* 85. ceterique communiter.

Animadvertendum est porro discrimen inter formulam concessionis quantum ad absolutionem a reservatis Bullæ nostræ, atque Hispanicæ. Etenim ista, prout referunt Trullench. & Salmanticens. *loc. cit.* tantummodo elargitur, *ut semel in vita* quis absolvi possit a reservatis Pontifici, *& semel in morte*. Per nostram vero nobiscum indulgentius agi videtur: siquidem nostra permittit, ut *bis* ab iisdem quis absolvi possit, & in decursu vitæ, & in ar-

articulo mortis; id enim magis proprie, ac naturaliter significare videntur allata Bullæ verba: *Bis in toto vitæ decursu, atque etiam in mortis articulo.*

Dicam planius, id nobis per facultatem nostræ Bullæ concessum est, ut a peccatis Summo Pontifici reservatis pœnitentes absolvere possimus, & bis in toto vitæ decursu, ac præterea intercurrente mortis articulo, intra annum tamen durationis uniuscujusque Bullæ. Adeo ut vocula illa *atque etiam &c.* non sit *restrictiva*, sed potius *ampliativa* extendens memoratam absolvendi facultatem a casibus prædictis etiam ad articulum mortis; adeo ut in eo quis constitutus possit toties ab hisce reservatis juxta facultatem nostræ Bullæ absolvi, quoties incurrerit hujusmodi periculum, aut inciderit hujusmodi mortis articulus; aut saltem *bis* quemadmodum in ipso vitæ decursu, vel etiam *semel*, ut aliqui volunt.

Q. V. *Quamodo intolligendum illum erit, ut* bis in toto vitæ decursu *quis possit per facultatem nostræ Bullæ a reservatis Summo Pontifici absolvi?*

R. Hac ratione allatam formulam esse intelligendam, ut per quamlibet Bullam durantibus tamen ejusdem privilegiis intra annum promulgationis *bis* quisque in vita, atque insuper in mortis articulo possit absolvi ab hujusmodi reservatis Romano Pontifici. Quodque hisce argumentis persuadetur, I. Unaquæque Bulla suos effe-

ctus operari debet, modo quis uti velit; sive qualibet Bulla sua secum privilegia ferat oportet, quibus recipiens uti possit, eum ei opus sit. Ergo quemadmodum privilegium, ut quis possit dispensari in votis simplicibus, toties ille sortitur, atque adipiscitur, quoties quis Bullam desumserit; ita & privilegium, ut possit absolvi ab hujusmodi reservatis. Hoc tamen interposito discrimine, quod in facultate dispensandi nulla adjicitur limitatio, aut restrictio, quare eodem dispensationis privilegio uti quisvis poterit, quoties opus habuerit etiam intra annum promulgationis ejusdem Bullæ. At vero in privilegio absolvendi ab hujusmodi reservatis hæc apponitur limitatio, ut *bis tantum in vitæ decursu*, atque *etiam in articulo mortis* pro qualibet Bulla absolvi possit.

II. Indulgentia plenaria *semel* in vita concessa per Bullam Cruciatæ Hispanicam nihil impediebat, quominus quis iterum Bullam recipiendo aut intra eundem annum, aut insequenti iterum illam lucrifacere posset, & sic deinceps aliis annis sibi invicem succedentibus. Qua de re vide inter ceteros Salmanticens. *Append. ad dict. Bull. cap.* 3. *Punct.* 4. Ergo neque etiam privilegium concessum per nostram Bullam, ut absolvi quivis possit a reservatis Summo Pontifici *bis in toto vitæ decursu*, *atque etiam in mortis articulo*, prohibere debet, ut recepta ne-

nostra Bulla anno insequenti, & sic deinceps per eam iteram *bis* in decursu vitæ, atque etiam in mortis articulo ab iisdem, aliisve hujusmodi reservatis absolvi possit.

III. His etiam accedit, quod maxime ad rem facere videtur; nempe Eminentissimum nostrum Commissarium, tum per me ipsum, tum per alios hac de re interrogatum, ita respondisse, quemadmodum & nos hic docuimus. Ergo. Neque dicas tantam veniæ facilitatem in hujusmodi reservatis incentivum præbere, ac stimulum in eadem crimina licentius relabendi. Siquidem huic malo, quod facile inde obveniret, opportune consultum est adjuncta *clausula*, ut si quis hoc eodem privilegio abutatur peccando *in confidentiam Bullæ*, ab eodem consequendo arceatur. Vide *Bull. Italam num.* 5. & illa quæ docuimus *in Quæstion. Prælimina-rib.* ad hanc nostram *Dissert. qu.* 7.

Q VI. *Quid peculiare nobis elargiatur nostra Bulla permittens, ut in articulo mortis quis absolvi possit a reservato?*

R. Licet ex notissimo Tridentini decreto *Sess.* 14. *cap.* 7. (in quo non tam jus novum conditum, quam vetus ex Apostolica traditione descendens custoditum est, mortis articulo perurgente omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris possint absolvere; haud tamen frustra est & inane, quod hic nobis per Bullam eadem temporis circumstantia recurrente conceditur.

Et sane duplex reservationum genus, sive peccata duplici ratione reservari solere compertissimum est, vel conjuncta cum censura, vel sine ulla prorsus censura, quod & in Apostolicis reservationibus etiam aliquando locum habere satis constat ex dictis.

In peccatis reservatis, quæ nullam habent adjunctam censuram, cum pro mortis articulo nullo modo reserventur, neque ulla sit, uti loquitur Tridentin. in illo articulo reservatio, idcirco absolutio, quæ pro iisdem in illo datur articulo, quantum spectat ad forum sacramentale *simpliciter*, & *absolute datur*, nullo prorsus relicto onere comparendi coram superiore reservante. Secus vero sese res habet in reservatis, quibus censura est adjuncta. Etenim cum censura pœna sit Ecclesiastica pertinens ad forum contentiosum, noluit Ecclesia illam omnino absolute auferri ab inferiori Sacerdote; propter solum instantem mortis articulum, id enim neque necessarium erat ad animæ salutem, neque expediebat ad vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ. Lege cl. Suaresium *in De Sacram. Pœnit. Disp.* 30. *Sect.* 3. *num.* 7. & Sanchez *in Decalog. Lib. II. cap.* 13. *num.* 24. Quapropter in hujusmodi reservatis adnexam censuram habentibus ex Canonici juris sanctionibus Pœnitenti absoluto in mortis articulo impositum est onus sese præsentan-

tandi coram Pontifice reservante, cum primum hujusmodi impedimentum desierit (quod & a Confessario pariter sub juramento erit injungendum,) licet etiam parti læsæ jam fuerit satisfactum. Vid. Suaresium *De Pœnit. Disp.* 30. *Sect.* 3. *num.* 5. Sanchez *in Decalog. Lib. II. cap.* 14. *num.* 29. Hoc autem idcirco sancitum est, non ut iterum Pœnitens a censura absolvatur, cum ab illa plane fuerit absolutus: sed ut superior medicinam adhibeat, ac satisfactionem imponat, si quam imponendam judicaverit. Lege *Cap.* Ea Noscitur 13. *De Sentent. Excomm. Cap.* Quamvis 58. Quod si penitens hujusmodi solutus impedimento, ac morris cessante periculo, quam cito commode poterit sese præsentare contemserit in eamdem recidet censuram, in eamdem inquam non numero, sed specie *Cap.* Eos qui 22. *De Sent. Excommunicat. in* 6. Hinc hujusmodi absolutionem in adducta hypothesi collatam *ad reincidentiam* vocare solent Theologi.

Si quis porro etiam instante mortis articulo a reservatis cum censura absolvatur non per solam facultatem a jure collatam ratione necessitatis, sed per potestatem absolvendi in hujusmodi circumstantia factam ab ipso Superiore reservante ex privilegio, tunc hac ratione, qui absolutus fuerit, immunis erit ab hujusmodi onere sese præsentandi. Lege *Cap.* Ex tenore 10. *De Sentent. Excommunicat.*

Quapropter qui absolvetur ex facultate

nostræ Bullæ ab hujusmodi reservatis, quibus adjuncta est censura, in mortis articulo constitutus, immunis erit ab hujusmodi onere sese sistendi coram Pontifice reservante; quia non ex necessitatis caussa, sed potius ratione privilegii absolutio isthæc collata est, proinde ac si illa data fuisset ab ipso Pontifice reservante, sive delegante hujusmodi facultatem. Delegatus enim gerit vices delegantis auctoritate in negotio sibi commisso procedit, & quodammodo est unum cum ipso delegante. *Cap.* Sane 11. & *Cap.* Præterea 5. *De Offi. & Poteſt. Jud. Deleg.*

Insuper isthæc absolutio collata eo temporis articulo ex Bullæ nostræ privilegio *absolute* confertur, neque *ad reincidentiam*; nullum ergo superest onus comparendi coram Pontifice reservante, quemadmodum etiam nec ullum imponitur.

Atque in hoc sane sita est ratio privilegii per Bullam nostram concessi. Lege Trullench. laud. *Lib.* I. §. 7. *cap.* 2. *Dub.* 5. *num.* 12. Salmanticens. in laud. *Append. De Bull. S. Cruc. Lib. VI. Punct.* 3. *num.* 196. & Sanchez *in Decal. Lib. II. cap.* 13. *num.* 31. & Suarcsium *De Pœnit. Disp.* 30. *Sect.* 3. *n.* 6.

Excipiunt inde Hispanici Scriptores Hæreticum externum, cui si Bullam habenti in mortis articnlo collata fuerit absolutio, ab onere sese præsentandi minime liberabitur. Quia Bulla Hispanica, non

non secus ac nostra, nihil decernit, atque indulget circa absolutionem hujusce criminis. Sed hanc exceptionem minime necessariam reputamus; siquidem Hæretici vere *formales* Bullæ privilegiis, quæ pro solis fidelibus concessa fuere, non perfruuntur. Vide Salmanticens. *Append. laudat. cap.* 1. *Punct.* 77.

Insuper Confessarius absolvens ex facultate nostræ Bullæ a reservatis, potest ab iisdem absolvere etiam præsente Summo Pontifice reservante, quia absolvit, uti diximus, ratione privilegii, quod sane secus accidit in Sacerdote, vel Confessario approbato absolvente in articulo mortis in necessitate; siquidem Superiore reservante præsente a reservatis nequit absolvere; tunc enim cessat necessitas. Lege Sanchez *loc. cit.* & cl. Suaresium *De Pœnitent. Disp.* 26. *Sect.* 4. *num.* 4.

Tertio adjungunt etiam Trullench. & Salmanticens. *loc. cit.* Confessarium absolventem ex facultate Bullæ Cruciatæ in mortis articulo absolvere posse ab omnibus censuris; at vero Sacerdos, sive Confessarius approbatus absolvens in eadem temporis circumstantia, ab illis tantum censuris potest absolvere, quæ pœnitentem a receptione Sacramentorum, atque Ecclesiastica sepultura repellunt. Qua de re lege Sanchez *loc. cit.* & Trullench. *loc. cit. n.* 7.

Advertendum tamen est Bullam Hispanicam *directe*, ac *per se* a censuris re-

servatis absolvendi facultatem concessisse Confessariis electis; at in nostra non conceditur hujusmodi facultas nisi ratione connexionis ad culpam reservatam, quia nimirum in reservationibus Pontificiis hæc duo secundum ordinarium jus sunt maxime conjuncta; uti supra ostendimus.

Q. VII. *Num articulus, ac periculum mortis pro eodem sint reputanda, & quod nostra Bulla concedit pro articulo mortis, sit etiam pro periculo intelligendum?*

Hic primo animadvertisse juvabit, hæc duo articulum nimirum, ac periculum mortis inter se differre, & quamvis articulum mortis contineat in se periculum, non tamen contra accidit. Periculum itaque mortis est, quando mors ita immineat, ut tamen vitari possit; communis enim ratio periculi per se hoc exposcit, ac proinde respicit *contingentiam* utriusque partis. Articulus vero mortis erit, quando mors ita imminebit, ut moraliter inevitabilis judicetur, sive ex caussa naturali illa proventura, uti ex morbo, sive ex caussa extrinseca, & violenta; ac proinde articulus mortis secum fert *inevitabilitatem*.

II. Per articulum mortis non solum intelligendus est *verus* articulus mortis, sed etiam *præsumtus*. Verus itaque mortis articulus erit, quando mors habet veras, ac reales causas, unde *inevitabiliter* mors sit secutura. Præsumtus vero, quando judicio prudentum hujusmodi censentur

tur adesse caussæ, ut mortem imminere validis conjecturis affirmari possit, quamvis reipsa hujusmodi caussæ non adsint. In iis enim quæ difficilis sunt probationis, aut cognitionis, præsumtiones habendæ sunt pro liquidis probationibus, uti & legibus cautum Jurisconsulti tradunt.

III. Periculum, & articulus mortis habent suam latitudinem; nam periculum potest esse majus, vel minus, prout magis vel minus mors immmere censeatur, habita ratione caussarum, ac circumstantiarum. Sic etiam mortis articulus; nam pensatis omnibus circumstantiis potest mors censeri magis, vel minus inevitabilis. Quare morali modo consideranda sunt, & secundum latitudinem quamdam atque æstimationem moralem, modo prudenti ratione id fieri contingat.

IV. Cum omnibus perspectis dubium incidat, num adsint periculum revera, ac articulus mortis, censenda sunt adesse; atque in illorum favorem judicandum. Ita Suaresius *De Pœnit. Disp. 26. Sect. 4.* Sanchez *in Decalog. Lib. II. cap. 13.* Trullench. *in Exposit. Bul. Cruc.* laud. *Lib. I.* §. 7. *Dub.* 4. & præsertim Pasqualig. *De Jurib. Obligat. & Privil. eorum, qui in articulo mortis constituuntur. Qu.* 1. & 2. His itaque adnotatis ad quæsitum.

R. I. Periculum, atque articulus mortis non sunt unum, & idem, sed inter se differunt. Pro eodem tamen utrumque

accipitur, quantum spectat ad absolutionem Sacramentalem, modo periculum prope sit, & *in fieri*. Ita laud. Theologi.

Prima pars hujusce Responsionis satis patet ex definitionibus superius traditis, nec probatione indiget.

Prob II. Pars. In *Cap.* ex Si quis 29. *Causs.* 17. *q.* 4. Clerici percussorem nonnisi per Romanum Pontificem decernitur absolvendum, *nisi mortis urgente periculo*, ad ipsum nequeat accedere; & *in Cap.* Non dubium 5. & *Cap.* Ea noscitur 13. & *Cap.* Quod de his 26. & *Cap.* Quamvis 58. *De Sentent. Excomm.* hoc idem servandum præscribitur *in mortis articulo*. Unde satis patet hæc duo articulum nimirum, ac periculum mortis in jure confundi quantum ad absolutionem a reservatis, atque pro eodem reputari. Quod sane apertius adhuc patet ex *Cap.* Eos, qui 22. *De Sentent. Excommunicat. in 6.* ubi articulus, ac periculum mortis, promiscue usurpantur. Ergo &c.

Prob. III. Pars. Quotiescumque in jure exceptio occurrat articuli mortis, eadem quoque, & recte, & secundum jus extenditur ad periculum. Atqui ex Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. quilibet Sacerdos instante mortis articulo habet jurisdictionem ad absolvendum in foro Pœnitentiæ, & valide, ac licite hoc Sacramentum administrandi. Ergo etiam instante mortis periculo. Ita Navarr. *in suo Manual.*

nual. Cap. 26. *n.* 31. Suarez laud. *Disp.* 26. *Sect.* 4. *n.* 1. Sanchez, ceterique communissime.

Dixi: *Modo periculum prope sit, & in fieri*; si enim non tam cita mors imminere videatur, aut etiam diutius sit differenda, tunc sane hujusmodi periculi ratio nulla habenda est, cum facile ea in hypothesi possit occurrere opportunitas Sacerdotis legitima facultate instructi ad absolvendum.

R. II. Quod in Bulla nostra concessum legitur pro mortis articulo est pariter de periculo intelligendum. Hoc satis patet ex dictis; nam illa duo æquiparantur in jure; ac promiscue usurpantur, ac de uno ad aliud recte, & secundum jus fiet extensio, uti probatum est. Lege Navarr. laud. *Cap.* 26. *num.* 31. & Trullench. laudat. *Lib.* 1. §. 7. *Cap.* 2. *Dub.* 4. *num.* 6.

Q. VIII. *Num per facultatem nostræ Bullæ crimen hæresis licet occultæ absolvi possit per Confessarium electum?*

R. Negat. Atque ita sane colligendum arbitrarer ex iteratis declarationibus Summorum Pontificum; uti præsertim ex illa Alexand. VII. apud Benedict. XIV. in sæpius laud. *Encycl.* §. 85. edita Ann. 1656. in qua decernitur facultatem absolvendi ab Hæresi, in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus non censeri, comprehensam, *nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi*. Et ex illa

 etiam

etiam Bened. XIV. declarantis quorumdam opiniones colligentium hujusmodi facultatem absolvendi ab hoc crimine ex quibusdam generalibus, sive etiam specialibus concessionibus, minime subsistere posse: *Cum hujusmodi facultas*, ut ipse ait, *expresse semper nominari debeat, nec unquam vigore cujusvis verborum amplitudinis concessa dici possit*. Laud. *Encycl. loc. cit.*

Huc etiam accedit, quod in Bulla Cruciatæ Hispanica ex illa amplissima facultate absolvendi, crimen Hæresis diserte sit exceptum, licet de eo in Bulla Cruciatæ latina pro eadem Hispanica regione concessa nihil ediceretur; idque propter declarationem Gregor. XV. qui expresse declaravit, nec esse suam mentem, nec aliorum unquam Pontificum ad crimen Hæresis absolvendum per hujusmodi Bullam facultatem præbere. Lege Salmanticens. *Tract.* 10. *De Censur. Punct.* 7. *Cap.* 3. *n.* 88.

Utrum vero Episcopi in hujusmodi crimine Hæresis, ubi occultum fuerit, facultate absolvendi illud potiantur juxta concessionem *Cap. Liceat*. Tridentini, consulantur quæ per nos dicta fuere in peculiari *Appendice De facultatib. Cap. Liceat* Tridentini, ubi & quæcumque ad hoc argumentum faciebant, diligenter, ac pro virili discussa fuere.

Ab aliis vero criminibus, quæ hæresim circa versantur, uti sunt fautores Hæretico-

corum, receptatores, legentes, imprimentes, retinentes libros hæreticorum &c. si ad hæresis malitiam minime pertingant, uti cum nullo intellectus errore committantur, per facultatem nostræ Bullæ Cruciatæ Confessarium electum posse absolvere, si qui contenderet, haud illum a veritate longius aberrare arbitrarer.

Huc accedit etiam, quod ita apertissime docet doctissimus Colet loquens de facultatibus concessis in Bulla Jubilæi. Legesis laud. Theol. Append. De Jubilæo.

Q. IX. *Quid ex juris præscripto servandum erit Confessario absolventi ex facultate nostræ Bullæ?*

R. I. Cum absolutio ab Excommunicationis censura impertienda erit, tunc exhibenda erit a pœnitente cautio juratoria: hujusmodi autem nihil aliud est, nisi juramentum præstitum ab eodem pœnitente obtemperandi mandatis Ecclesiæ; de quo in *Cap.* Ex tenore, 10. & *Cap.* De cetero. 11. *De sententia Excomm.* Hoc sane juramentum idcirco exigendum decernitur, ut reus religione præsertim jurisjurandi in hujusmodi crimina, unde excommunicationis pœna est innexus, iterum prolabi reformidet, uti aperte colligitur ex laud. Canonibus.

Hoc porro juramentum (quod ab impuberibus, licet beneficium absolutionis exquirant, postquam pubertatis ætatem sint adepti, exigi non solet) non in omni cen-

censura excommunicationis exigendum erit; sed in ea solum, quæ propter enormia crimina perpetrata fuerit contracta, uti est crimen incendii, & manifestæ percussionis personæ clericalis, quemadmodum docent Sanchez laud. *Cap.* 13. *n.* 17. *Lib. II.* in Decal. & Trullench. *in Exposit. Bull. Cruc. Lib. I.* § 7. *dub.* 5. *n.* 8. licet per Excommunicatum parti jam satisfactum sit, uti *ex Cap.* Cum desideres. 15. *tit. laud.* & Gloss. ibid. licet colligere Legesis laud. Theolog.

II. Cum perpetratione hujusmodi scelerum damnum alteri fuerit importatum, Excommunicato absolutio non erit a Confessario impendenda, donec parti læsæ, si hoc fieri possit, jam satisfecerit. *Cap.* Porro 7. & *Cap.* Parochianos. 9. *tit. laud.* Hujusmodi porro satisfactio adhuc erit exigenda, licet in concessione privilegii absolvendi, nullum verbum fiat de satisfactione exigenda: quod & in nostra Bulla accidit, uti recte docet Trullench, *loc. cit. Dub.* 12. *n.* 6. cum Pontifex ad solam juris formam absolvendi facultatem concedere censendus sit.

Dixi: *Si hoc fieri potest.* Etenim si satisfactio realis exhiberi per pœnitentem non possit, non erit ei deneganda absolutio, modo præstet sufficientem juris cautionem, i. e. pignoratitiam, sin minus fidejussoriam, aut saltem præstet juratoriam, si hanc tantummodo poterit. Quod docet etiam Benedictus XIV. in sua Bul-

la

la *Convocatis n.* 27. ad impossibile enim nemo per leges adstringi poterit. *Leg.* Impossibilium 180. *ff. De diversf. Reg. Jurif.* Ita Navarr. *il. suo* Manual. *Cap.* 27. *n.* 45. *&* 46. *&* Trullench. *loc. cit. Dub. X. n.* 6. & Cabassut *in sua Theor. & Prax Jur. Can. Lib. V. Cap.* 14. *n.* 10. Quæ huc usque dicta fuere locum habent, licet in articulo, vel periculo mortis impendatur absolutio, nisi forte urgens mortis necessitas aliud exposcat. Lege Sanchez laud. *Lib. II. Cap.* 13. *n.* 17. *& seqq.*

Q. X. *Quid si Confessarius nullis hujusmodi exhibitis juris cautionibus a censura Excommunicationis absolveret, num peccet, atque invalida sit absolutio?*

R. Et dico I. Absolutio, quæ data fuerit a Confessario nullo exhibito juramento obtemperandi mandatis Ecclesiæ, sua validitate non inde carere dicenda est; cum hujusmodi juramentum non sit de necessitate absolutionis. Vide Trullench, *loc. cit Dub.* 5. *n.* 8. aliosque ab ipso laudatos & Gloss. in laud. *Cap.* Cum desideres. Haud tamen a peccati reatu immunis abibit Confessarius, qui nulla necessitate cogente, aut circumstantia excusante hujusmodi formam a jure præscriptam intervertat, aut intermittat. *Forma enim Ecclesiæ*, ait Gloss. ibid. *in absolutione est necessaria*, nec sine peccati reatu poterit præteriri.

R. Et dico II. Absolutio a censura ex-

excommunicationis collata a Confessario nulla exhibita satisfactione, aut alia juris cautione satisfaciendi parti læsæ, etiam valida censenda est. Ita Sanchez *loc. cit. n.* 37. Trullench. *loc. cit. Dub.* 12. *n.* 7. aliique. Cum enim *absolute*, ac nulla adjecta limitatione defertur hujusmodi absolvendi potestas, intelligenda erit juxta commune jus. Sed ex jure communi omissio prædictæ formæ non inducit invaliditatem actus. Ergo &c.

At vero Confessarius, ex cujus negligentia, aut imperitia hujusmodi forma omissa est; h. e. qui in absolutione non curet, ut pœnitens realem exhibeat satisfactionem, aut si isthæc exhiberi minime possit, ut saltem præstet cautionem juris; juxta modo dicta, mortalis peccati reatu se se involvet, atque injuriam parti læsæ inferet, nisi pars ipsa jam condonaverit. Trullench. *loc. cit. Dub.* 10. *n.* 6. Gabassut. *in sua Theor. ac Praxi Juris Can. Lib. V. Cap.* 14. *n.* 10.

Q. XI. *Quid si in concessione privilegii absolvendi a censura adjecta sit clausula illa* satisfacta parte; *num absolutio hac in hypothesi collata a Confessario, nulla exhibita satisfactione reali, aut saltem juris cautione, cum illa exhiberi non possit, valida sit censenda?*

R. I. Partis nomine, cui satisfactio exhibenda imperatur, non intelligitur Judex, sed ille, cui damnum illatum fuerit ex admisso crimine, uti communiter docent

cent Theologi, & suo confirmat oraculo Benedict. XIV. in sæpius laud. *Encycl.* edita occasione Jubilæi Anni Sancti. Vide Salmanticens. *Tract.* 10. *De Censur. Cap.* 2. *Punct.* 2. *n.* 20. & Trullench. *loc. cit. n.* 1.

R. II. Absolutionem a censura collatam in adducta hypothesi non exhibita reali satisfactione, aut saltem juris cautione, cum illa præstari haud potuit, nullius momenti reputandam esse docuerunt Suarez, Sotus, aliique. Vide Trullench. *loc. cit. Dub.* 10. *n.* 11. quia ille casus obliquus, sive ablativus absolutus *Satisfacta parte*, designat conditionem, *Leg.* A testatore 109. *ff. De Condition. & Demonstrat.* qua non servata tota corruat necesse est delegata potestas, atque in irritum cadat, si contra delegantis voluntatem fuerit exercita. Quam quidem sententiam innuere, ac sectari videtur Benedict. XIV. laud. *Encycl. loc. cit.*

Contrariam hac porro in re sententiam tutari student Salmanticens. *loc. cit. num.* 25. aliique ab iisdem laudati. Verum a communi, quam supra proposuimus, haud temere recedendum putamus.

Q. XII. *Utrum excommunicatio contracta propter omissionem denuntiationis, ut in crimine sollicitationis, possit ex facultate nostræ Bullæ dimitti per Confessarium electum.*

R. I. Neminem latere putamus, omnes, ad quos pervenerit notitia admissi crimi-

nis

nis sollicitationis, illos præsertim, quibus sollicitatio fuerit intentata, adstringi ad denuntiandum ipsum sollicitantem, idque intra spatium unius integri mensis, uti putat Ligorius infra laudandus, ita ut qui intra statutum tempus huic imposito oneri denuntiationis minime satisfecerit, excommunicationis latæ sententiæ pœna plectendus decernatur. Qua de re consule Illustrissimum Ligorium *in Append. De Confess. Sollicitant.* §. 3. *n.* 693.

R. II. Ante impletum onus denuntiationis neminem posse a censura excommunicationis inde fortasse contracta absolvere, veluti certum reputamus *regulariter loquendo*. Quamdiu enim huic oneri denuntiationis minime satisfactum sit per eos, qui illud implere recusaverint, manent ipsi inobedientes, contumaces, indispositi, ac proinde absolutionis incapaces, non tam ratione reservationis, sed quia illi satisfacere negligunt, cui ex jure adstringuntur; ideoque inhabiles reputandi sunt ad absolutionis beneficium consequendum, non solum a peccatis, verum & ab ipsa censura: hæc enim dimitti haud poterit, dum in contumacia, atque inobedientia obstinate permaneant.

Diximus autem *Regulariter. &c.* Etenim si post contractam memoratam excommunicationem appareat justa, ac legitima caussa differendi denunciationem, aut si obligatio denunciationis omnino extincta, quia nimirum Confessarius sollici-

tans

tans e vivis ereptus est, tunc posse Confessarium electum ex facultate Bullæ nostræ absolvere a prædicta censura minime dubitandum credimus. Vide Trullench. laud. *Lib. I.* §. 7. *Cap.* 2. *Dub.* 8. *n.* 8.

R. III. Postquam satisfactum est oneri denuntiationis posse pœnitentem ex facultate nostræ Bullæ absolvi a prædicta censura minime etiam dubitamus.

Et sane aut prædicta excommunicatio reservata est Summo Pontifici, uti quidam docent apud Ligorium *loc. cit.* atque hac in hypothesi per facultatem in Bulla Cruciatæ concessam potest dimitti, ut docet laud. Trullench. *loc. cit. num.* 10. Quod & in Bulla pariter nostra locum habere censendum est. Siquidem & in nostra Bulla facultatem nobis conferri ad relaxandas censuras Summo Pontifici reservatas ratione connexionis ad peccata reservata fuse ostensum est. Vide *Quæst.* 1. hujusce postremi §.

Imo recte sentire videtur Bonacin. *Tom.* 1. *De Oner. & Obligat. denuntiand. Disp.* 6. *Punct.* 1. §. 10. docens posse ex facultate facta per Trident. Episcopis in *Cap. Liceat &c.* hujusmodi censuras, si occultæ sint, relaxari; etenim probabilius saltem videtur hoc jus absolvendi concessum Episcopis per laud. *Cap. Liceat* in casibus Pontifici reservatis locum habere non solum in reservationibus antea constitutis, sed etiam posterioribus, modo nulla expressa derogatio memoratæ concessioni ob-

obsistat. Vide quæ in hanc rem dicta per nos fuere *in Append. IV.* harum Additionum, ubi de facultatibus *Cap. Liceat* fusius pertractatum.

Quod si demum memorata excommunicatio minime sit reservata: quod satis probabile putat Ligorius, aliique periti Theologi ab eodem consulti, quem vide *loc. cit.* tunc secluso etiam privilegio nostræ Bullæ per quemcumque Confessarium approbatum posse absolvi comperta res est; uti auctoritate *Cap.* Nuper 29. *De Sentent. Excommunic.* unanimi consensu nos edocent Theologicarum rerum Tractatores.

Q. XIII. *Utrum absolutio a censuris reservatis ex facultate nostræ Bullæ collata pro Foro exteriori, ac contentioso prodesse censenda sit?*

R. Negative, idque etiamsi parti, cui injuria, vel damnum fuerit irrogatum, satisfactum jam sit.

Prob. Facultas isthæc absolvendi a censuris per Bullam nostræ Cruciatæ confertur Confessariis prout Confessariis, sive quatenus sunt hujusmodi, ac proinde pro solo Foro interno. Ergo absolutio per facultatem Bullæ ab iisdem Confessariis electis impertita pœnitentibus, sive a peccatis, sive a censuris pro solo Foro interno suffragatur, non vero in Foro externo, pro quo nihil facultatis concessum occurrit.

Id etiam aperte colligitur ex Bulla *In* *Spe-*

Specula Militantis Ecclesiæ quæ est Urbani VIII. ubi diserte declaratur: *Concessionem Sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis hujusmodi* (eligendi scilicet Confessarium, qui a peccatis atque a censuris absolvat) ... *non nisi in Foro conscientiæ, non autem in Foro externo suffragari.* Ergo &c. Ita Sanchez *Lib. VI. in Præcepta Decalog. Cap. 17. num. 43.* aliique complures. Vide Salmanticens. *in Append. De Bull. Cruciat. Cap. 6. Punct. 3. n. 187.* Hæc preterea nostra adsertio mirum etiam in modum confirmatur præclarissimis nostri Eminentissimi Commissarii Responsionibus, quas *Append. I. Tom. II.* hujusce Dissertationis nancinancisci poterit eruditus Lector.

Hinc pœnitens ex facultate nostræ Bullæ ab aliqua censura reservata, quæ publica sit, aut deducta ad Forum contentiosum, tenetur exterius sese gerere, tamquam eadem censura adhuc esset irretitus; & Judex in Foro externo potest adversus eumdem procedere, perinde ac si absolutus omnino non esset. Consule laud. Theologos *loc. cit.*

Dixi: *non prodesse pro Foro exteriori &c.* Ceterum si jam parti satisfactum sit, nullique præjudicium inferatur, poterit Judex in foro externo si velit, hujusmodi absolutionem acceptare, si fidem præstare velit ipsi pœnitenti, atque a coercitione ipsius rei penitus abstinere. Vide laud. Salmanticens. *n. 189.*

Q. XIV. *Utrum ille, qui reservatis esset*

esset innexus, atque ab iisdem, aut per Superiorem reservantem, vel per alium ex privilegio fuerit absolutus, possit postea libere a quocumque inferiori Confessario absolvi?

R. Quando hujusmodi pœnitens *per se, & directe* absolutus est a casibus reservatis, vel immediate ab ipso Superiore, vel ab alio per potestatem ab ipso concessam, prout ab illo concessa est, non est dubium, quin possit ab iisdem peccatis absolvi a quolibet inferiori Sacerdote h. e. Confessario approbato. Hæc sane cum manifesta sint probatione non indigent.

Illud tantum hic animadvertimus, duplici ratione posse per Superiorem culpæ reservationem auferri, vel cum Sacramentaliter pœnitentem a culpa absolvit, vel non absolvendo Sacramentaliter, sed audiendo tantum, & imponendo satisfactionem debitam, præbendoque monita salutis, & reliqua remittendo inferiori. Quod postremum ab inferiori Confessario attentari nefas: siquidem iste, aut Sacramentaliter absolvit, & reservationem auferet, cum ei facta fuerit potestas, aut nihil proficiet. De quibus lege Suaresium *De Pœnitent. Disp.* 21. *Sect.* 4.

Q. XV. *Num absolutio a reservatis collata tempore Jubilæi pœnitenti, qui accessit ad Confessarium animo lucrandi Jubilæum, irrita fiet, si postea reliqua non perficiat ad consequendum Jubilæum præscripta?*

R. Negat. Quamvis enim absolutio illa fuerit collata in ordine ad futuram Jubi-

læi confecutionem, tamen non pendet ex ea, tamqnam a conditione de futuro; fic enim abfolvere nefas eft; nec abfolutio illa a cenfuris data eft *ad reincidentiam*. Suarez laud. *Difp.* 31. *n.* 5. & Sanchez *in Decalog. Lib. IV. Cap.* 54 *num.* 44.

Verumtamen gravis peccati laqueo fe fe involvet pœnitens ifte, qui opera præfcripta ad confequendam Jubilæi indulgentiam implere neglexerit; cum hæc agendi ratio in fraudem Jubilæi fit, & contra virtuale pactum inclufum in illa facultate abfolvendi ad hunc finem conceffa; & reputetur tamquam omiffio pœnitentiæ injunctæ, & acceptatæ in fatisfactionem pro hujufmodi peccatis; uti rectiffime docet Suarefius *loc. cit.* quam doctrinam probat, & confirmat Benedict. XIV. laud. *Encyc.* Quidquid in contrarium opinetur Sanchez *loc. cit. n.* 54.

Q. XVI. *Utrum per invalidam Confeffionem bona fide factam tempore Jubilæi, aut intra tempus durationis Bullæ auferatur refervatio peccati in ea Confeffione manifeftati, ut poffit illud poftea quicumque Confeffarius etiam nullius privilegii ope munitus remittere?*

R. I. & dico: Si loquamur de Confeffione invalida facta tempore Jubilæi, per ipfam non aufertur a peccato refervatio. Etenim cum Pontifex non concedat facultatem abfolvendi a refervatis in allata hypothefi, nifi hunc ad finem, ut fideles lucrentur Jubilæum; idcirco non cen-

censetur velle auferre reservationem in favorem illorum, qui Jubilæum non lucrantur. Ita rectissime Ligorius *De Sacram. Pœnit. Lib. VI. tract. 4. Cap. 2. Dub. 5. n.* 598.

R. II. Extra casum Jubilæi probabilissime docent ex communi sententia Theologi per hujusmodi invalidam Confessionem auferri reservationem. Fini enim reservationis hac ratione sufficienter satis fit, cum reus criminis reservati, coram Superiore reservante, aut alio habente hujusmodi facultatem præsentem se sistat, ab eoque monita salutaria, ac satisfactionum impositam recipiat. Quapropter manebit in hac hypothesi peccatum subjectum clavibus, ac necessario manifestandum in Confessione, cum non sit Sacramentaliter dimissum; sed immune omnino ab onere reservationis. Ita clariss. Suaresius *De Pœnit. Sect.* 4. *Disput.* 31. *num.* 10. Cabassut. *in sua Theor. ac Praxi Jur. Can. Lib. III. Cap.* 12. *n.* 3. aliique ab iisdem laudati.

Hoc etiam alia quoque ratione demonstrari potest circa Pontificias reservationes; etenim cum dimittitur censura tollitur reservatio a culpa, quemadmodum sine dubio dimittitur censura ac *directe*, relaxatur per illam communem, ac generalem absolutionem, quæ præmitti solet Sacramentali absolutioni, cum ab habente hujusmodi facultatem in censuras pronuntietur, uti colligitur apertissime ex eodem Sua-

Suaresio *loc. cit. num.* 19. Sed dimissa censura hac in hypothesi, culpa non manet reservata. Ergo &c. Hinc absolutus ex facultate nostræ Bullæ licet invalide fuerit confessus, liber manet ab onere reservationis, & censuræ, quantum spectat ad peccata manifestata in ea confessione. Vide Salmanticens. laud. *Append. cap.* 6. *Punct.* 3.

Num idem quoque dicendum erit de sacrilega Confessione?

Affirmat Ligorius *loc. cit.* sed rectius negat laud. Cabassut. Nullatenus enim præsumendum erit velle Superiores favoribus prosequi eos, qui animo sacrilego, & aperta malignitate Sacramentis abuti non verentur. Nemo quidem ex delicto meliorem suam conditionem facere potest. *Leg.* Non fraudantur. 134. *ff. De Reg. Jur.* ac nemini sua fraus patrocinari debet, ac dolus. *Cap.* Si vir. 2. *De Cognat. Spiritual.* Atque hoc ipsum iisdem ferme rationibus adductis docet Cl. Colet loquens de confessione facta tempore Jubilæi. *Append. De Jubil.* §. 14.

Q. XVII. *Utrum in confessione facta tempore Jubilæi, aut intra annum durationis Bullæ, si contigerit oblivio alicujus criminis reservati cum censura adnexa, aut sine censura, ita maneat liberum a reservatione & censura, ut possit postea a quocumque approbato Confessario etiam extra prædictas temporum circumstantias dimitti?*

R. I. Si hujusmodi peccatum reservatum censuram habeat adjunctam, & tunc dimissa censura immune erit ab onere reservationis, juxta regulam receptissimam Theologorum in Pontificiis reservationibus. Neque enim in adducta hypothesi dubitari potest, quin censuræ vinculum dissolvatur etiam circa peccata per oblivionem omissa; quia ad absolvendum a censura *per se*, *&* *directe*, non est necesse *distincte*, & in particulari cognoscere caussam censuræ; sed sufficit voluntas universalis, & potestas ab omnibus etiam reservatis censuris absolvendi; quæ duo sane non desunt etiam in Confessario delegato; non deest enim voluntas universalis ab omnibus absolvendi, quæ satis patenter exprimitur per illam communem formulam: *Absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis &c.* neque deest potestas; siquidem in prædictis temporum circumstantiis amplissima defertur jurisdictio Confessariis electis. Dimissa ergo censura excommunicationis, peccatum illud, licet per oblivionem omissum, non manebit reservatum, ac proinde elapso Jubilæi tempore aut durationis Bullæ per quemcumque Confessarium approbatum poterit dimitti. Ita laud. Suaresf. *De Pœnit. Disp.* 31. *Sect.* 4. 16. Cabassut. *Lib. V. Cap.* 24. *n.* 6. & Pontas in suo Diction. *Verb.* Casus Reservati *Cas.* 26. aliique complures.

R. II. Si hujusmodi peccatum per oblivio-

vionem omissum nullam habuerit censuram adjunctam, adhuc per hujusmodi confessionem manebit liberum a vinculo reservationis, quoties pœnitens habuerit *intentionem* saltem *virtualem* gaudendi privilegio Bullæ sive Jubilæi, sive Cruciatæ, h. e. cum eo animo accesserit ad Confessarium, ut conscientiam suam exoneraret, & veniam consequeretur & absolutionem peccatorum reservatorum. Etenim Pontifex concedens facultatem istiusmodi in favorem pœnitentis, absolvendi a reservatis, quantum est in se voluit illi auferre reservationem, si illo privilegio intra præfixum tempus uteretur, ad consequendam indulgentiam; sed pœnitens, quantum in se fuit, usus est privilegio. Ergo mansit liber a reservatione. Et licet per accidens non fuerit directe absolutus sacramentaliter a peccato reservato omisso in confessione per oblivionem intra illud tempus, tamen, ut ita dicam, acquisivit jus per ipsam Bullam sive Jubilæi, sive Cruciatæ, ut possit postea libere peccatum illud confiteri cuicumque approbato Confessario, sive consecutus est libertatem atque immunitatem ab ipsa reservatione. Ita laud. Suaref. *lcc. cit. n.* 20. Trullench. laud. *Lib. I* §. 7. *Cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 5. Pontas *Cas.* 25. *Verb.* Casus Reservat.

Dixi: *quoties pœnitens habuerit virtualem intentionem &c.* Etenim, uti bene Trullench. *loc. cit. n.* 6. si nullam pœni-

tens habuerit hujusmodi intentionem, sed absolute petat absolutionem; tunc pro certo habendum, adhuc peccatum illud manere reservatum, nec posse elapso anno durationis Bullæ, aut tempore Jubilæi absolvi a Confessario, nisi legitimo privilegio ad id munitus exsistat; quod non obscure indicare videtur idem Suares. Confer quæ docet Vir Clariss. *loc. cit. n.* 18. Atque ita intelligendos esse arbitramur reliquos Theologos, quos laudat Ligorius *l. sup. laud. n.* 597. ne quorumdam probabilitatibus adhærere cogamur.

Quid si istiusmodi criminis reservati oblivio contingat non sine culpa ipsius pœnitentis?

R. Hac in hypothesi non eximitur crimen istud a vinculo reservationis. Uti recte docet Pontas in laud. Cas. 25. & Ligorius *loc. cit. n.* 598.

Q. XVIII. *Num per facultatem Bullæ nostræ Cruciatæ absolvere liceat Confessariis electis a Sex illis Casibus, qui dici solent* Extra Urbem, intra Italiam?

R. Negat. Hanc sententiam sectati sumus, cum de illis Casibus ageremus in peculiari Appendice, quæ est V. in hisce nostris Additionibus, & etiamnum sectamur, proponimus, ac confirmamus, siquidem probabilior saltem visa est nobis, ac videtur, salvo tamen sapientiorum judicio, cui hæc omnia lubentissime sibmittimus.

Prob. In omnibus concessionibus ab Apostolica sede prodeuntibus *quomodocumque*

que, sub quibusvis tenoribus, formis, ac clausulis . . . ad cujusvis etiam Imperatorum, Regum, aut aliorum Principum instantiam, memorati Casus nullatenus includuntur, nec in iisdem facultas absolvendi censenda est concessa, nisi de iisdem facta sit specialis, & nominatim expressa mentio, uti statuitur in laud. Decr. Clement. VIII. Sed hæc specialis mentio, seu facultas ab hisce Casibus absolvendi in nostra Bulla Cruciatæ minime occurrit. Ergo. &c.

Insuper Privilegia concessa, aut concedenda sub quibuscumque *clausulis derogatoriis* minime suffragantur ad absolvendum a memoratis Casibus. Ergo neque etiam Privilegium nostræ Bullæ Cruciatæ, licet hujusmodi clausulis derogatoriis communitum fuerit. V. Joan. Cabassut., qui *in suo Theor. ac Praxi Jur. Can. Lib. V. cap. 14. n. 11.* germanam, ac rectam intelligentiam laud. Decr. Clement. VIII. breviter, ac dilucide exhibet.

Minime quidem nos latet Salmanticens. Tract. 10. De *Censur. Cap. 4. Punct. 3. n. 45.* aperte docuisse, posse omnes Confessarios ex facultate Bullæ Cruciatæ Hispanicæ absolvere ab excommunicatione contracta propter Duelli crimen semel in vita, atque in mortis articulo, juxta laud. Bullæ tenorem: at hæc minime refragantur iis, quæ diximus. Etenim præterquam quod Bulla Cruciatæ Hispanica ampliorem continet jurisdictionem quantum spe-

ctat ad facultatem absolvendi a reservatis; iisdem sane Salmanticensibus, aliisque extra Italiæ confinia scribentibus id sentire, atque edocere impune, ac tuto licuit; imo rectissime istud ipsum edicere potuere sectati ipsius Decreti Clement. VIII. exceptionem; siquidem quidquid in illo sancitum occurrit *Intra solius Italiæ extra Urbem confinia* decernitur servandum. Lege laud. *Decret.* in laud. *Append.* productam, ac Cabassut. *loc. cit.* Sed de hac Quæstione inferius iterum, & accuratius redidit sermo. Vide dicenda in hac Dissertatione *tom. II. Append. I.*

Q. XIX. *Num ex facultate Bullæ nostræ Cruciatæ poterit Confessarius electus absolvere a peccato falso denuntiantis De sollicitatione innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices, quod ex Constit.* Sacramentum Pœnitentiæ *Benedict. XIV. Summ. Pontif. est reservatum?*

Hoc ipsum etiam quæri potest de absolutione excommunicationis, quam forte incurrerit Confessarius absolvendo suum complicem; utrum etiam per facultatem nostræ Bullæ Cruciatæ impertiri poterit dictæ excommunicationis absolutio.

Celebratissimæ Constitutionis Pontificiæ, quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, verba hic exscribere operæ pretium duximus, quibus utrumque peccati genus Pontificiæ reservationi subjicitur, ut eruditi lectores illa ipsa ob oculos habendo, quid æquum rectumque, ac veritati magis consentaneum am-

amplexandum sit, decernere ipsi per se possint. *Et quaniam*, ita eloquitur Pontifex in laud. Constit, *improbi quidam homines repeiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna caussa commoti, vel aliorum impiis suasionibus . . . . . innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant. Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur: quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsum innocentes Confessarios calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Nobis, nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.*

Postea laudatissimus Pontifex gradum faciens ad Confessarium complicem in peccato turpi, postquam ei omnino interdixisset, ne extra casum extremæ necessitatis, aut mortis articulum, complicis confessionem excipere auderet, eique Sacramentalem absolutionem impertiri, sublata illi propterea ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, ita subjungit: *Si quis Confessarius secus facere ausus fuerit majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua ab-*

solvendi potestatem Nobis solis, nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciat. S. . . . . Confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri, cum ad hunc effectum, & in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, & pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate a Nobis privatus exsistat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ S. vel Jubilæi universalis, & plenarii; necnon &c. Hisce itaque opportune propositis.

R. Gravis hac de re exarsit controversia inter recentiores Theologos agentes de facultatibus Bullæ Cruciatæ Hispanicæ, uti referunt Salmanticens. mox laudandi. Quidam in illa fuerunt sententia, ut edocerent posse Confessarium electum per facultatem dictæ Bullæ ab hujusmodi reservato, quod incurrerit falso denuntians innoxios Sacerdotes, absolvere, his permoti rationibus.

I. Facultates absolvendi a reservatis per Bullam Cruciatæ concessæ, haud revocatæ dicendæ sunt per Constitut. *Sacramentum Pœnitentiæ*, cum ad illarum revocationem non sufficiat clausula generalis

ralis, cujusmodi illa est, quæ occurrit in Constitut. Benedict. XIV. ut inibi videre licet, sed requiratur de iisdem specialis mentio. Ergo &c.

II. Si in reservatione memorati sceleris derogatum vellet Sum. Pontifex facultatibus, sive privilegiis Cruciatæ, omnino id expressisset; quemadmodum se gessit in privatione jurisdictionis pro absolutione complicis; decernens, quod *nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ S.* confessionem complicis quisquam valeat excipere. Cum ergo Pontifex ab hujusmodi declaratione se abstineat in reservato, de quo agimus, in ejusdem reservatione constituenda censendus est noluisse derogare facultatibus Cruciatæ. Cum enim Legislator velit adimere facultatem ad actum aliquem, seu illum irritum efficere, hoc ipsum exprimit in lege; argumento *Cap. Inter Corporalia 2. De Transl. Episc.*

Neque ipsi negotium facessere videtur clausula illa, *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis præsertim, quæ appellantur Cruciatæ S. &c.* quæ apponitur in calce memoratæ Constitut. *Sacramentum Pœnitentiæ*; siquidem prædictam formulam respicere arbitrantur solam privationem jurisdictionis in Confessario complicem absolvente. Etenim clausula, quæ apponitur in fine Constitutionis ad omnia in eadem sancita

referenda non est, quando non est omnium accidit; eadem, & communis ratio, ut hic cum caussa privandi jurisdictione Confessarium complicem fuerit, ut removeretur quævis turpitudo e sacro Pœnitentiæ tribunali; caussa vero reservandi crimen falso denuntiantis sit, ut improba quorumdam audacia cœrceatur, atque innoxiis Confessariis calumniam hujusmodi affigendi aditus omnis tam gravis pœnæ metu præcludatur.

Hæc porro, quæ dicta fuere de facultate absolvendi falso insimulantes sollicitationis innoxios Sacerdotes, intelligenda quoque esse jubent de facultate absolvendi a censura excommunicationis contractæ propter absolutionem complicis in peccato turpi; cum & illa, ut ipsi contendunt, per facultatem dictæ Bullæ Cruciatæ dimitti, ac relaxari possit.

Alii tamen contra sentiunt, mordicus pernegantes, quidquam juris competere Confessariis electis ad hujusmodi crimina dimittenda ex facultate dictæ Bullæ. I. Quia Constitut *Sacramentum Pœnitentiæ* expresse derogat privilegiis Cruciatæ, ac Jubilæi, uti patet ex clausula nuper allata; sed isthæc tam expressa derogatio omnia recens constituta, atque sancita in ista Pontificia Constitutione *Sacramentum &c.* respicit. Ergo per dicta privilegia sive Cruciatæ, sive Jubilæi, quibus tam disertis verbis derogatum fuit, recensita crimina per Confessarios electos nequeunt dimitti.

II. Quia clausula memorata: *Non ob-*

obstantibus &c. per se, ac *principaliter* ponitur in fine laud. Constitut. cum sine derogatione contrariorum recens sancita, ac constituta nequeant subsistere. Sed clausula in hunc modum adjecta in fine cujusque Bullæ licet annullativa, licet in materia odiosa atque exorbitante ad omnia, ac singula capita præcedentia est referenda. Ergo &c.

Utriusque partis momenta in allata controversia fuso calamo proponunt Salmanticens. *in Append. De Bul. S. Cruciat. Cap. 6. Punct. 4. §. 1. num. 213. & seqq.* qui sane ab eadem resolvenda sese temperare videntur, ac lectorum judicio committere, cum utraque sententia æque iisdem probabilis videretur.

Si quis porro judicium nostrum hac in re exquiret, dicere non veremur priorem sententiam multo probabiliorem, ac veritati magis consentaneam videri; ideoque in praxi satis tutam; quod non obscure patebit adductis pro priori sententia rationes perpendenti. Quapropter poterit Confessarius per facultatem etiam nostræ Bullæ Cruciatæ absolvere a reservatione hujusce criminis, qua sese illaqueare minime verentur illi, qui innoxios Sacerdotes falso insimulant sollicitationis apud Ecclesiasticum judicem. Quod etiam satis aperte indicant, ac docent laud. Salmantic. *loc. cit. n.* 302. ut videtur.

Quod vero pertinet ad alteram quæstiunculam; num scilicet reservata ex-

communicatio, in quam forte incurrerit Confessarius suum complicem in peccato turpi absolvens; num inquam per facultatem Bullæ Cruciatæ possit etiam absolvi a Confessario electo, in negativam partem sese inclinare aperte profitentur laud. Theologi; propterea quod ut ipsi ajunt judicio sapientiorum major agnoscenda sit difficultas in absolutione concedenda hujusce reservatæ excommunicationis, quam reservati criminis impii calumniatoris; idque propter declarationem laudat. Pontif. Benedict. XIV. in Constit. *Apostolici muneris*.

At, ut verum fateamur, majorem hanc difficultatem, quod ad hanc rem spectat in laud. Bulla *Apostolici muneris* deprehendere haud potuimus, quod etiam abunde patebit cuivis relegenti memoratam Constitut. In ea enim tantummodo agitur, quomodo sit intelligenda exceptio illa, nimirum *Excepto mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui &c.* de qua in Bull. *Sacram. Pœnitent.* Quod vero ad reservationem dictæ excommunicationis attinet; nihil præterea adjungitur; sed tantum indicatur reservatio facta in Bull. *Sacram. Pœnitent.* atque iterum inculcatur.

Quare illud, uti arbitror, affirmativæ aliorum Theologorum sententiæ quod ad hanc secundam quæstionem attinet obstare poterit; nimirum formula illa *Non obstantibus &c.* apposita in fine Paragra-

phi,

phi, qua derogatum videtur facultatibus Bullæ Cruciatæ, quod spectat ab absolutionem dictæ excommunicationis. At rectius formula illa videtur referenda ad proxime dicta, scilicet ad ablationem jurisdictionis in Confessario ad suum complicem absolvendum, uti ex toto contextu patet, quod præcipue fuit Pontifici propositum in Bul. *Sacram. Pœnitent.*

Ceterum licet hæc a vero haud nimium abludere videantur, cum hic agatur de jurisdictione pertinente ad validitatem Sacramenti, rectius sese geret Confessarius, qui cautius, ac tutiori via incedet abstinendo se ab absolutione dictæ excommunicationis; nisi forte pars affirmativa moraliter ei saltem certa videatur. Hæc quidem opinari olim licebat, sed post declarationem Eminentissimi nostri Commissarii omnibus amplectenda illa erit sententia, quæ edocet nullam per Facultatem nostræ Bullæ competere potestatem absolvendi a prædicta excommunicatione. Vide, quæ dicentur in hanc rem in hac Dissertat. tom. II. *Append.* 131.

At vero; in eo quidem conveniunt laudati Theologi utriusque partis; posse nimirum Episcopos ex facultate *Cap. Liceat* Tridentini suos subditos reservationis prioris criminis falso nempe denuntiantis &c. absolvere, si delictum sit occultum; imo licet etiam sit publicum, si occurrat impedimentum accedendi ad Romanam Sedem. Salmantic. *loc. cit. n.* 226.

Hoc

Hoc ipsum quoque docent laudati Salmanticens. *loc. cit.* §. 2. *num.* 300. De excommunicatione in eadem Bulla reservata, in quam forte incurrerit Sacerdos, qui suum complicem in peccato turpi absolvere non est veritus.

Illud tamen hic animadvertisse operæ pretium ducimus, quod si quando a reservato crimine falsæ denuntiationis erit absolutio impendenda, opus erit præcedere satisfactionem partis offensæ, h. e. Confessarii, cujus famæ ac existimationi per impiam, æque ac fallam denuntiationem detractum est: quod per expressam retractationem apud eosdem Ecclesiasticos Judices perficiendum erit. Confer huc, quæ dicta fuere *Qu.* 8. & 9. hujusce §.

Q. XX. *An in hujusmodi reservatum pariter incurrant mandantes; aut consulentes injustam hanc, ac falsam denuntiationem?*

R. Affirmat. Idque satis superque patet ex verbis laud. Constitut. *Quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsum innocentes Confessarios impie calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat. . . . . impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo &c.* Quibus verbis *persuadentes, mandantes*, aut *consulentes* satis aperte indicantur. Quæ quidem intelligenda sunt; uti docent laud. Salmanticens. *num.* 131. & 132. modo persuasio, mandatum, consilium efficaciter induxerit alium ad hujusmodi scelus

lus perpetrandum, & effectus falsæ denuntiationis fuerit subsequutus. Qui plura cupit, adeat laud. Salmantic.

Q. XXI. *Num Confessariis electis per facultatem Bullæ Jubilæi, aut Cruciatæ, quidquam juris competat ad dispensandum in irregularitatibus?*

Hic primo advertendum; certum esse, quandoque Pontifices per Bullas Jubilæi aliquam detulisse facultatem ad dispensandas irregularitates; quemadmodum sese gessisse novimus Clement. VIII. in sua Bulla Jubilæi Ann. 1595. teste Trullench. *in Expos. Bull. Cruciat. Lib. I.* §. *8. cap. 2. Dub. 17. num. 6.* & Bened. XIV. pro Jubilæo ann. Sanct. 1750. qui in sua Bulla *Convocatis n.* 12. Pœnitentiariis in Romana Urbe destinandis a Cardinali Pœnitentiario ad recipiendas confessiones perdurante tempore memorati Jubilæi facultatem concessit dispensandi *super irregularitate, ob violationem censurarum dumtaxat contracta, & occulta remanente, cum Sacerdotibus, aut in Sacris constitutis, tam Sæcularibus, quam Regularibus.* Hic vero illud in controversiam adducitur; num facta generali potestate absolvendi a censuris per Bullam sive Jubilæi, sive Cruciatæ, censenda etiam sit collata potestas relaxandi vinculum irregularitatis, illius saltem, quæ oritur *ex delicto* (etenim de irregularitate, quæ oritur *ex defectu* comperta res est apud omnes, illam per hujusmodi facultates absolvendi a censuris,

suris, atque ab aliis *pœnis Ecclesiasticis* minime intelligendam esse concessam). Affirmativam sententiam olim tutati sunt Corduba, Sotus, aliique; propterea quod hujusmodi irregularitates *ex delicto* magis habent rationem pœnæ, quam impedimenti Canonici; atque idcirco nihil differant a censuris; aut si aliqua ratione a censuris discrepent, pœnæ tamen sunt Ecclesiasticæ, & per hujusmodi concessiones factas sive tempore Jubilæi, sive Cruciatæ S. facultas defertur Confessariis absolvendi a *censuris*, & *pœnis aliis Ecclesiasticis*. At negativæ sententiæ omnino, & unice adhærendum, quod subjectæ probationes per quam evidenter ostendent.

Adfero itaque? *Per facultates concessas in Bullis, sive Jubilæi, sive Cruciatæ S. nulla est omnino intelligenda facta potestas dispensandi in Irregularitatibus, nisi de istis fiat specifica, & expressa mentio.*

Adsertionem istam propugnant, & luculentissime evincunt præter alios primi subsellii Theologos Trullench. *loc. cit.* loquens De Bulla Cruciatæ Hispanica, & doctissimus Colet De facultatibus concessis Confessariis per Bullam Jubilæi circa censuras §. 14. *Append. De Jubilæo*. Argumenta ab iisdem proposita huc recidunt.

I. Irregularitas non est censura; uti manifestissime patet ex *Cap.* Quærenti, 20. *De Verb. Signif.* ubi, quæ, & quot sint censuræ ab Innoc. III. diligenter enumerantur, ac proponuntur. Ergo per hu-

juf-

jusmodi concessiones sive delegationes factas absolvendi a censuris, nulla in Irregularitates censenda erit collata potestas.

Imo licet libenter adversariis concedere velimus Irregularitatem esse censuram, alterius tamen speciei, quam quæ in memorato *Cap.* enumeratæ fuere, quod ibi tuetur Gonzalez; nihil inde extundere poterunt adversus nostram Adsertionem, contrariæ sententiæ patroni. Etenim quemadmodum Irregularitas, licet censura, non intelligitur comprehensa in Rescriptis Pontificiis nisi exprimatur: ita neque in concessionibus intelligitur concessa facultas ab eadem dispensandi, nisi in specie ibi exprimatur. Lege Gonzalez ad laud. *Cap.* Quærenti.

II. Stylus Romanæ Curiæ facit jus, uti habetur in *Cap.* Ex litteris 2. *De Constitution.* & *Cap.* 6. Quam gravi. *De Crimine falsi*. At secundum stylum Romanæ Curiæ nunquam censetur concessa facultas dispensandi in irregularitatibus, nisi de illis fiat specifica, & expressa mentio. Ergo in hujusmodi concessionibus factis per Bullas sive Jubilæi, sive Cruciatæ S. absolvendi a quibuscumque censuris, nulla intelligenda est concessa facultas dispensandi ab irregularitate. Lege Navarr. *in suo Manuali cap.* 27. *n.* 254.

III. Irregularitatis vinculum non aufertur, nisi per dispensationem, ut cuivis compertum, & constat ex unanimi Theologorum, ac Canonici Juris Consultorum

ad-

adsensu. Ergo per hujusmodi Bullas in quibus conceditur facultas tantummodo absolvendi a *Censuris*, pro dispensandis irregularitatibus nullum jus, nulla potestas concessa intelligi poterit.

His etiam accedit, quod in Notificatione edita a Cardinali Carpineo de mandato Clement. X. occasione Jubilæi, Ann. Sancti 1675. aperte edicitur, ac declaratum est per Summum Pontificem potestatem se non intelligere (etiamsi amplissimam concesserit, absolvendi a censuris, & ab omnibus Ecclesiasticis sententiis), *aut dispensare, aut dare facultatem dispensandi, habilitandi, & in pristinum statum restituendi, quæ ad irregularitatem publicam, aut occultam, vel notam, defectum, incapacitatem, & inhabilitatem quomodocumque contractam, spectant, ne quidem in foro conscientiæ*. Et Benedict. XIV. qui in sua Epistol. *Enclyc.* occasione Jubilæi edita *n.* 48. cum retulisset hanc Theologicam Quæstionem, quam tractamus, facto ipso eam diremit, separatim concessis tum potestate absolvendi a censuris, tum facultate dispensandi in quadam dumtaxat irregularitate, uti antea dictum est. Lege laud. Bullam *Convocatis*.

Hæc porro, quæ hactenus pro hac quæstiuncula expedienda, proposita fuere, locum etiam habere dicenda sunt, etiamsi in memoratis Bullis conferatur facultas *absolvendi a censuris, & ab aliis Eccle-*

sia-

stasticis pœnis, ut fieri adsolet in Bullis Jubilæi, quemadmodum & in Bulla Cruciatæ Hispanica contineri testis est Trullench. loc. supra laud. Etenim verba isthæc, *& ab aliis Ecclesiasticis pœnis*, alio spectant, ac referenda sunt; neque ad irregularitatum vincula dissolvenda ullo modo pertinent. Lege Navarr. *loc. cit.*

Atque hinc colligere quivis poterit certo certius nobis constare debere per Bullam nostræ Cruciatæ electis Confessariis nihil omnino juris, ac potestatis impertiri pro irregularitatum, cujuscumque generis illæ sint, vinculis dissolvendis; tum quia in nostra Bulla minime inserta legantur illa verba, *& ab aliis Ecclesiastici pœnis*, unde nonnulli pro contraria opinione tutanda argumentum desumserunt; tum etiam quia per nostram Bullam tantummodo facta sit nobis potestas dimittendi peccata Apostolicæ Sedi reservata; in censuras vero tantummodo jus tribui, quatenus cum reservatis peccatis connexæ sunt *tam in fieri, quam in conservari*, uti antea dictum est.

Q. XXII. *Utrùm ex iisdem Bullis, sive Cruciatæ S. sive Jubilæi ad complicem absolvendum Confessariis aliquam deferri potestatem censendum sit?*

Quæstionem hanc postremo loco in hoc Paragrapho pertractandam reservavimus, quia nonnulla quædam circa hanc rem ad praxim maximopere necessaria expendere, ac pro virili expedire in animo erat,

quæ

quæ studiosis lectoribus gratiora futura non temere speramus. Ad quæsitum itaque.

R. Extra omnem dubitationis aleam repositum esse nemo ignorat, nullam omnino Confessariis electis per hujusmodi Bullas sive Jubilæi, sive Cruciatæ S. licet in ipsis amplissima soleant impertiri privilegia, nullam inquam omnino deferri potestatem ad suum complicem, quod spectat ad illud peccati genus (h. e. contra sextum Decalogi præceptum, uti mox dicemus) Sacramentali absolutione donandum. Hæc porro manifestissime elucent ex ipsa Constitutione, quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*; ubi postquam Pontifex sapientissimis permotus rationibus Confessariis omnibus interdixisset, "ne quisquam illorum Sacramentalem confessionem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum excipere auderet, sublata illi propterea ipso jure, quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; adeo quidem ut, absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit; postea opportune adjungit, quod facit ad rem nostram: *Declarantes etiam, ac decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ S. aut alterius cujuslibet Jubilæi Confessionem dicti complicis hujusmodi, quisquam valeat exci-*

cipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri.

Imo, ne fortasse quidam, qui in ipsa meridiana luce cæcutire in deliciis habent, ex adductis verbis, licet luculentiore loquendi genere supremi legislatoris mens, ac præceptum aperiri haud posset, ex adductis inquam verbis, aliquam de hac re subdubitandi ansam arripere possent; laudatissimus Pontifex occasione Jubilæi Anni Sancti sua ætate celebrati editis Constitutione *Convocatis*, & Epist. *Encycl.* ad Pœnitentiarios, quæ incipit *Inter præteritos*, hanc ipsam rem semel atque iterum declarat, præcipit, atque omnibus adamussim servandam inculcat: nimirum hujusmodi Confessarios in eo peccati genere, respectu suorum complicum esse prorsus *ineligibiles*, *inhabilitatos*, atque exutos omni prorsus auctoritate hujusmodi pœnitentes complices in peccato turpi absolvendi, non obstante cujuscumque Jubilæi, aut alterius Indulti, etiam Cruciatæ S. beneficio. Lege laud. Constitut. *Convocatis num.* 23. & *Encyclic. Inter præteritos* §. 5. *num.* 60. Confer huc etiam, quæ in hanc rem dicta per nos fuere, cum ageremus de Electione Confessarii beneficio nostræ Bullæ facienda §. 4. *Qu. ult.*

Q. XXIII. *Cujusmodi sit oportet peccatum istud, ad quod absolvendum in suo complice Confessarius instructus facultatibus sive*

sive Bullæ Cruciatæ S. sive Jubilæi omni careat jurisdictione?

R. Peccati istius genus, sive species satis aperte designatur in laud. Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*; cum ibi dicatur: *In peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum*; atque ex dictis sat etiam elucet. Quapropter societas in aliis forte criminibus Confessarii complicis absolutionem minime invalidam efficit, imo nec illicitam, si cetera concurrant ad rectam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem requisita. Lege Salmanticens. laud. *Apend. ad Bull. S. Cruciat. cap. 6. Punct. 4. §. 2. num.* 240. Illud potius sedulo investigandum erit, cujusmodi sit oportet peccatum istud inhonestum, pro quo absolvendo complex Confessarius quavis jurisdictione præditus, caret facultate; pro cujus dilucidatione sit.

Adsero: *Peccatum turpe, atque inhonestum, quod huic pœnæ subjaceat, ut a Confessario complici quavis auctorite predito, nec licite, nec valide absolvi possit, debet esse grave, externum, in suo genere perfectum, licet ad carnalem copulam non pertingat.*

Adsertionem istam per singulas partes comprobare supervacaneum ducimus; tum quia hujusmodi est, ut paullo attentius rem consideranti, illam satis patere arbitramur; tum etiam quia alibi hac de re nos edisseruisse meminimus, quapropter adeantur ibi dicta; etenim prolixita-

tati, quantum fas erit, omnino parcendum. Vide *Tom. IV. nostrar. Instit. in de Sacram. Pœnit. Sect. 6. de cas. Reservat. Prop. 3. Qu. 1.*

Illud vero, quod quidam apud Salmanticens. *loc. cit. n.* 281. acriter contendere student: nimirum per peccatum *turpe, atque inhonestum*, de quo Pontifex in laud. Constitut. illud esse intelligendum, quod per carnalem copulam sit consummatum; id quidem velut temere dictum, atque omnino contra rationem, ac Pontificiam mentem, procul a nobis esse abjiciendum nemo non dubitat. Etenim (ut cetera heic omittantur, quæ sapientissime per laudatos Theologos adversus hanc opinionem collecta fuere, quæque loco laud. legi poterunt) quemadmodum, cum reservatur in genere peccatum contra castitatem, hujusmodi reservatio complectitur sub ista sua universalitate non solum peccatum consummatum per copulam carnalem; sed etiam quæcumque alia peccata exterius manifestata, & graviter illicita adversus castitatem admissa; quia peccatum contra castitatem est quiddam generale respectu omnium specierum luxuriæ, quare immerito restringeretur ad solam copulam; uti loquitur doctissimus Sylvius *de lapsu carnis voluntario opere consummato*, qui ex Constitutione Clement. VIII. connumeratur inter peccata Religiosorum reservata. Lege Pontas *in*

suo

suo Dictien. cas. Consc. Verb. *cas. Reservat. cas.* 31. licet lapsus carnis esset quiddam minus generale, uti patet. Ita quoque sese res habet in hypothesi de qua loquimur, in qua peccatum *turpe*, *atque inhonestum contra sextum Decalogi praeceptum* hac poena afficitur, ut dimitti non possit per Sacramentalem absolutionem complicis Confessarii. Etenim est quiddam generale omnes alias luxuriae species, sive turpitudinis actus sub se comprehendens. Immerito ergo, temere, ac contra rationem ad solam copulam carnalem illud esse restringendum contenditur.

At quid dicendum si peccata dubia sint, num & illa comprehendantur sub poena laud. Constitutionis?

Resp. laudat. Salmanticens. docent peccata dubia, sive dubio facti, scilicet de quibus dubitatur an adfuerint, sive etiam dubio juris, de quibus nempe dubitatur an in laud. Constitutione comprehendantur, quia forte dubitatur an sint mortalia, non comprehendi in dicta Constit. Quod non timere dictam arbitramur; imo fortasse multum probabile videtur; sive quod reservatio isthaec, ut ipsi vocant, non extenditur ad casus dubios: sive quod cum hic agatur de poena, & quidem gravissima imponenda; & *in re dubia*, cum versemur in poenis; *benigniorem sequi interpretationem non minus justius est, quam tutius*: uti ex legum praescripto edocemur. *Reg.* 192. *ff. De Divers. Reg. Jur.*

Q.

Q. XXIV. *Cujusmodi debet esse complex, ut dicta pœna sit afficiendus?*

R. Duplicis generis complicem distinguunt Salmantic. *materialem* unum, alterum *formalem*. *Materialem* vocant, quando unus tantum peccavit sive Confessarius, sive Pœnitens, altero renuente, vel non consentiente, aut non advertente. *Formalem* vero, quum uterque tam Confessarius, quam pœnitens peccaverit, & peccati, sive luxuriosæ rei uterque particeps fuerit.

II. Docent laudatam Pontificiam Constitutionem, de qua nunc agitur, intelligendam esse de complice *formali*; minime vero de *materiali*. Etenim vox *Complicis*, ut ex Juris peritis constat, atque etiam ex ipsius latinæ vocis significatione, designat *socium in crimine*; sed ille qui renuit, non adsentitur, repugnat, cum ad turpia sollicitatur, socius in crimine profecto non est, cum malitiæ ejusdem criminis formaliter particeps non sit. Ergo &c.

III. Atque hinc profecto deducunt hanc generalem regulam, nimirum quacumque in hypothesi Confessarius simul, ac pœnitens non sint participes criminis contra sextum Decalogi præceptum, non illigari pœna memoratæ Constitutionis. Quapropter si ipse Confessarius mulierem ad se accedentem provocare ad turpia, atque allicere conaretur, ipsa constanter repugnante; aut si contra accideret, quod

 fœ-

fœmina provocante, atque alliciente ipse Confessarius repugnet; hujusmodi peccati absolutio non esset per Benedictinam Constitutionem interdicta Confessario memorato, nec impediretur, quin possit mulierem hujusmodi valide absolvere: Lege laud. Theolog. laud. *Append. cap. 6. Punct. 4. §. 2. num.* 241. Recensitam hanc Salmanticensium hac de re sententiam absolute reprobare non audemus, non levem enim præseferre videtur intrinsecam probabilitatem. Duo tamen hac in re benignos lectores monitos volumus.

I. Caveat hujusmodi Confessarius, ne dum temere, inconsulto, ac nulla rationabili caussa suadente mulierem illam, quam renuentem, ac minime adsentientem ad turpia sollicitare conatus est, ad confitendum iterum admittit, in nova peccandi pericula se se conjiciat.

II. Ob oculos etiam hac in re habendæ Synodales nostræ hujus florentissimæ Neapolitanæ Diœceseos Constitutiones, per quas Confessariis sollicitantibus, si fuerint Regulares, censura infligitur reservatæ suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto incurrenda. Uti videre licet in cas. VII. inter reservatos in hac nostra Neapolitana Diœcesi cum censura. Vide quæ adnotavimus hac in re in Append. II. quæ est de casibus hic Neapoli reservatis in Additionibus &c.

Quapropter hujusmodi Confessarius Regularis licet jure communi ex Benedicti-

næ

næ Constitutionis ordinatione minime prohibeatur audire Confessionem illius mulieris, de qua in allata hypothesi loquimur, eique Sacramentalem absolutionem valide impertiri, uti ex Salmanticensibus edocuimus; jure tamen nostro Neapolitanæ Diœceseos, id omne cum ei interdictum sit, licite præstare non valet, nisi rogatus in id consentiat, cum propter sollicitationis crimen ex nostræ Diœcesis Constitutionibus, uti ediximus, illigatus sit censura suspension s ab audiendis Confessionibus. Imo cum isthæc vera censura sit, uti patet, haud dubitandum, quin ipsam violando per Sacramentalis absolutionis collationem, irregularitatis laqueo semetipsum obstringat; juxta *Cap. 1. De Sentent. & re judicat. in 6.* & *Cap.* Apostolicæ *9. De Cleric. Excomm. Interd. Susp. ministrant.*, & communissime adserta per Theologos, & Canonum Interpretes. Huc faciunt, quæ docet Cl. Pontas *in suo Dict on. cas. Consc. in Respons. ad cas.* 18. Verb. *Irregularitas* (licet *in Respons. ad cas.* 22. sibi contrarius videatur) & Sambovius *in Resolut. casuum Consc. tom.* I. *cas.* 35.

Hic vero dissimulandum non erit, quod mihi postea a laudato viro fide digno nuntiatum fuit; nempe Eminentissimum nostrum Archiepiscopum declarasse hanc suspensionem ab audiendis Confessionibus, esse accipiendam, atque intelligendam pro censura *ferendæ sententiæ*. Quod si

ita se se res habet, neque peccabitur adversus nostras Synodales Constitutiones, atque omnis Irregularitatis metus evanescet.

Q. XXV. *Num cessante fine hujusce Constitutionis in casu aliquo particulari, cesset etiam ejusdem Constitutionis, quod spectat ad hanc rem praescriptum?*

Ante Responsionem animadvertatur oportet, quinam finis Pontifici Summo fuerit propositus, quo permotus ad hanc Constitutionem saluberrimam edendam animum adjecerit. Id quidem non aliunde melius addisci poterit, quam ex verbis ipsis laud. Constitutionis, in qua Pontifex hunc in modum eloquitur: *Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii, & S. Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemtum, & Ecclesiæ injuriam, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus animarum periculis occurrere*. Quæ quidem omnia ex hujusmodi confessione complici Sacerdoti facta absque dubio evenirent, cum istiusmodi confessio semper habeat adjunctum periculum in nova peccata prolabendi potius, quam spem Deo animas reconciliandi; præsertim cum in ipsa, inhonesti facinoris ab utroque, Confessario nempe, ac Pœnitente admissi, memoria refricanda esset.

II. Animadvertatur oportet, hujusce Con-

Constitutionis finem, quemadmodum & omnium aliarum legum duplici ratione cessare posse, vel *negative*, vel *contrarie*. Tunc igitur dicetur cessare *negative* finis hujus Constitutionis, quando nullum exstat relabendi periculum ex eo quod Sacerdos confessionem complicis in peccato turpi exciperet. *Contrarie* vero, quando ratione alterius gravioris præcepti, deficiente tamen periculo relapsus, teneatur Confessarius complicis confessionem audire. His itaque adnotatis.

Adsero: *Cessante* negative *tantum in aliquo particulari casu fine hujusce Constitutionis, minime cessat hujusmodi præscriptum; secus vero si cesset* contrarie.

Prob. Cessante *negative* in casu aliquo particulari fine alicujus legis, non cessat ejusdem legis dispositio, uti communissime docent Theologi duce D. Thoma 2. 2. *Qu.* 154. *art.* 2. *in corp.* Ergo neque etiam cessante *negative* in particulari casu fine hujusce Constitutionis, cessare ejusdem præscriptum dicendum erit. *Etenim id, quod cadit sub determinatione legis, judicatur secundum id, quod communiter accidit, & non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere;* uti docet D.Th. loc. laud. Qua in re & jus etiam mirifice consentit, uti videre est in *Leg.* Jura. 3. *ff. De legibus &c.* Cum igitur excipiendo confessionem complicis communiter hujusmodi periculum relabendi in idem crimen sit timendum, qui est finis adæ-

quatus hujusce laud. Constitutionis, eo perseverante, Constitutionis ipsius vis, & obligatio perseveret necesse est; licet fortasse in aliquo casu particulari nihil hujusmodi periculi formidandum esset.

Hinc rectissime deducendum, Confessarium hujusmodi, cum admittit ad confessionem personam complicem, eique Sacramentalem absolutionem in eo peccati genere, in quo & ipse complex fuit, impertitur, licet ex parte utriusque nullum relabendi in illa confessione periculum pertimescendum esset, non solum invalide agere, ac nulliter absolvere; verum etiam uti violatorem hujusce saluberrimæ Sanctionis pœna reservatæ excommunicationis illigatum manere.

Dixi quoque in Adsertione, *secus vero si cesset contrarie*. Etenim si forte casus adveniat, ut mortis urgente periculo nullus præsto sit neque Confessarius approbatus, neque alius Sacerdos, qui Confessarii munus obire possit: aut etiamsi præsto sit, nolit accedere ad excipiendam confessionem: aut etiam si nequeat accedere sine gravi aliqua exoritura infamia, aut scandalo; hac in hypotesi Confessarius criminis socius non prohibetur accedere, ejusque confessionem audire, eique Sacramentalem absolutionem valide impertiri ab illo etiam crimine, in quo ipse complex fuit; tunc enim naturali, divinoque jure jubente ad id adstringitur complex Confessarius. Imo hoc ipsum

sa-

ſapientiſſime ſancitum, ac conſtitutum occurrit in alia ejuſdem Pontificis Conſtitutione, quæ incipit *Apoſtolici muneris* edita ann. 1745. ubi nonnullæ dubitationes exortæ circa mortis articulum, in priori etiam Conſtitut. exceptum, ne incertis paterent conjecturis, aut cerebroſis quorumdam interpretationibus in alienum ſenſum detorquerentur, pro tanti Pontificis ſapientia opportune reſolutæ fuere, atque diſcuſſæ. Lege laud. Conſtit. *Apoſtolici muneris*, quam referunt etiam Salmanticenſes *loc. cit.* eamque illuſtrant.

Et licet ibidem Pontifex loquatur de ſolo *mortis articulo*; idem tamen locum habere in mortis periculo docent la. d. Salmanticenſes. Quapropter, qui morbo periculoſo gravantur, in quo tenentur recipere Sacramentum Pœnitentiæ, poſſunt abſolvi a Sacerdote complice in peccato turpi, atque inhoneſto, ſi non adſit quilibet alius Sacerdos, qui munus Confeſſarii poſſit obire, vel licet adſit, non poteſt exercere ſuum officium ſine infamia & ſcandalo, quia cum ſint in periculo mortis, reputantur verſari in ipſo articulo. Salmantic. *ibid.*

Q. XXVI. *Num extra articulum, vel periculum mortis poſſit Sacerdos complex in peccato luxuriæ valide & licite audire confeſſionem pœnitentis; ſi ex una parte urgeat neceſſitas confitendi, & ex alia ſequeretur infamia, & ſcandalum, ſi ab alio Confeſſario excipienda eſſet confeſſio?*

R. Quæstiunculam istam iisdem omnino verbis proponunt sæpius laud. Salmanticens. *loc. cit. num.* 262. eamque ita resolvunt, ut dicant, posse Confessarium complicem absolvere *indirecte* ab eo peccato, in quo socius fuit, minime vero *directe*. Quemadmodum enim ajunt in ceteris casibus reservatis, quoties urgeat necessitas implendi præceptum Confessionis, aut Communionis, ita ut non possit omitti sine gravi infamia, vel scandalo, & tunc temporis non pateat aditus ad Superiorem, potest Sacerdos inferior habens jurisdictionem circa peccata non reservata illa *directe* absolvere, & *indirecte* peccata reservata: Ita licet Sacerdos complex in peccato turpi careat jurisdictione *directa* in hoc peccati genus, in quo est complex, dummodo illam habeat pro aliis, valebit *indirecte* absolvere etiam ab hoc scelere suum complicem; modo ex omissione confessionis præcepti, vel ex confessione facienda apud alium sequatur scandalum, sive infamia. Ita laud. Salmanticenses, qui in ea sunt sententia, ut credant, memoratam Constitutionem prohibentem confessionem complicis, atque auferentem a Confessario jurisdictionem necessariam ad illum valide absolvendum, esse puram putamque reservationem.

Verum circa recensitam Salmanticensium hac de proposita Quæstiuncula sententiam nonnulla nobis dicenda occurrunt;

quæ

quæ etiam ſapientiorum, ac prudentiorum judicio expendenda committimus, qui melius profecto hac in re, quid æquum rectumque ſit, ac Pontificæ Conſtitutioni magis conſonum decernere valebunt.

I. Quamvis amplecti velimus illam Theologorum ſententiam de indirecta poteſtate abſolvendi reſervata in caſu neceſſitatis extra mortis articulum; quam docet ac tuetur eximius Suarez *in* 3. *Part.* D. Thom. *tom. IV. Diſp. De Abſolut. a caſib. Reſerv. Sect.* 3. quem fere communiter ſequuntur noſtri Theologi, eique etiam adhæret Auctor noſtrar. Inſtit. vide *tom. IV.* in *De caſ. Reſerv. Qu. IV.* (licet in ipſam acriter invehatur Cl. Pontas *in ſuo Diction. caſ. conſc.* verb. *Caſ. Reſerv. in Reſponſ. ad caſ.* 18.) ſummopere tamen verendum eſt, ne hoc ipſum, quod docent laud. Salmanticenſes Pontificiæ Conſtitutioni ſit maxime contrarium. Cum enim ibidem decernat Pontifex abſolutionem in complicem collatam *nullam, atque omnino irritam* eſſe, profecto intelligendus eſt, uti arbitror, tam de poteſtate abſolvendi *directa*, quam *indirecta*. Nam ſi in eo neceſſitatis caſu *directe* poſſet Confeſſarius relaxare cetera peccata, *indirecte* vero turpe illud, in quo exſtitit complex, abſolutio non eſſet *omnino nulla, atque irrita*.

II. Expoſita, ac fere communis iſthæc Theologorum ſententia veluti neceſſarium

supponit, quod Confessarius jurisdictione potiatur in aliqua peccata pœnitentis, sive in alia non reservata, ut possit ab istis *directe* absolvere, & *indirecte* a reservatis; uti apertissime docent laud. Suaref. & Salmantic. *loc. cit.* At in hypothesi, in qua versamur, aliter sese res habet. Etenim Confessarius in personam complicem nihil omnino jurisdictionis obtinet, nondum dimisso peccato, in quo ipse socius exstitit; nihil inquam, non solum quod attinet ad peccatum illud, in quo complex fuit; verum etiam quod ad reliqua; ideoque absolutio complici collata, etiam quod spectat ad cetera peccata, nulla erit, atque irrita, ut apertissime docet Illustrissimus Ligorius *De Sacram. Pœnitent. Cap.* 2. *Dub.* 2. *num.* 555. & non obscure insinuatur in ipsa Bull. *Sacram. Pœnitent.* ubi complex Confessarius carere dicitur jurisdictione, non solum in *hujusmodi peccati*, in quo complex fuit, sed *etiam pœnitentis genere*.

III. Ordinatio isthæc Ecclesiastica, quam præfert. laud. Bulla, aut non est vere, ac proprie dicta reservatio, aut multum a communi discrepare dicenda est; tum quia non hoc decernitur directe in odium peccati pœnitentis, sed potius Confessarii, tum vero quia nullum imponitur onus sistendi se coram Superiore, uti fit in ceteris reservationibus. Quare potius illam dixerim *positivam reprobationem* ipsius Confessarii, uti scite docet

Bo-

Bonacina de consimili statuto Mediolanens. *De Sacram. Pœnit. Disp.* 15. *Q.* 7. *Punct.* 5. *num.* 10.

IV. Demum hujusmodi Confessarius complex manet omnino *ineligibilis*, non obstante quavis etiam amplissima concessione, *inhabilitatus*, *&* *exutus auctoritate complicem in peccato turpi absolvendi*, uti decernit ipse Benedict. XIV. *Encycl. Inter præteritos* §. 5. *num.* 60. Sed qui hujusmodi est, ipsum posse in eo necessitatis casu a ceteris peccatis *directe*, & a turpi, in quo fuit complex, *indirecte* absolvere, affirmare non ausim, quidquid dicant Salmanticenses.

Atque hæc sane nobis impedimento fuere, quominus in laud. Salmanticensium sententiam pedibus iremus: quod si nullius penitus momenti ista cuique videantur, ut ut velit, amplectatur recensitam opinionem Salmanticensium.

Q. XXVII. *Quamdiu isthæc inhabilitas perduret in complice Confessario?*

Perdurare donec peccatum illud turpe, in quo Confessarius socius exstitit, per validam absolutiooem dimissum fuerit ab alio Confessario collatam, tunc enim ait Cl. Ligorius *loc. cit.* cum peccatum illud fuit rite confessioni subjectum, & dimissum per validam absolutionem, cessat ratio dispositionis, quæ profecto est, ne ex manifestatione ejusdem peccati facienda Confessario complici, novum peccandi periculum inde enascatur.

Hinc quamdiu peccatum illud turpe, in quo societas interfuit Confessario cum Pœnitente, manet materia necessaria confessionis, tamdiu perdurabit isthæc inhabilitas Confessarii ad suum complicem Sacramentali absolutione donandum. Quare si peccatum illud in alia confessione apud alium Confessarium facta, aut prætermissum fuit, aut non satis, prout alioqui debuit, manifestatum, aut non sine culpa omissum, aut nullatenus remissum, quia confessio nulla fuit, atque informis, aut etiam si ex innocua, & inculpabili oblivione clavibus subjectum directe non fuit, nequibit profectò Confessarius complex in hisce adductis, aut similibus casibus suum Pœnitentem in confessione audire, eique Sacramentalem absolutionem valide impertiri. Lege laud. Salmantic. *loc. cit. n.* 297. *& seqq.*

Q. XXVIII. *Num Confessarius, qui complicem minime absolvit, sed tantummodo audit in confessione, prædictæ excommunicationi subjaceat?*

R. Circa hujusmodi dubium testatur Cl. Ligorius se consuluisse S. Pœnitentiariam, unde hoc responsum recepit die 9. Julii ann. 1751. *Non vitari excommunicationem a prædicto Confessario per fictionem absolutionis*: cui quidem sententiæ sese diu adhæsisse fatetur. Sed postea ait oppositum satis declaratum reperisse in *Encycl. Inter præteritos num.* 59. ubi hæc habentur. *Non minus Sacerdoti com-*

plici,

plici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit pœnitentis, eumque absolvit, vel qui in articulo mortis absolvit, cum alius Sacerdos non desit . . . . . Excommunicationis majoris pœna a Nobis in citatis Constitutionibus imposita fuit. Hactenus itaque, uti videtur, satis superque immorati sumus in hisce enucleandis, quæ pertinebant ad priorem partem hujusce nostræ elucubratiunculæ. Jam itaque ad alia properandum, quæ nec minoris momenti quæstiunculas exhibebunt, quas ordinatim pro modulo expedire satagemus.

PARS

PARS II.

In qua De Indulgentiarum Concessionibus per Bullam Nostræ Cruciatæ exhibitis agitur, ac simul de conditionibus ad eas comparandas necessario requisitis.

Piaculi loco quivis fortasse, nec immerito duceret, si hanc partem Bullæ, quæ ingentes Indulgentiarum divitias fidelibus exhibet atque offert, indictam relinqueremus. Ecquis enim æquo animo ferre posset, si nihil operæ, aut curæ per nos conferatur ad hanc partem illustrandam, quæ cuique Fideli magis accepta esse debet, quam cetera omnia per Bullam concessa? Nihil enim optabilius homini Christiano, qui sine peccato vitam ducere non potest (*non enim est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Eccles. VII. v. 27. Et in multis offendimus omnes. Jacob. III. v. 5. Vide Trident. Sess. 6. can. 23.*) contingere poterit, quam ut poenæ peccato debitæ, quæ in altera præsertim vi-

vita luendæ nos manent, Indulgentiarum concessionibus redimantur, si minus in hac vita congruis satisfactionibus expungere illas valemus. Quare & rei dignitas, & maxima præsertim utilitas, quæ ex isthac tractatione redundare poterit in incolas nostri hujus felicissimi Regni, qui tantis tamque insignibus muneribus per Apostolicam Sedem cumulati fuere, nos coegit pauca quædam pro ingenii nostri modulo de hoc argumento edisserere. Quod & Deo dante nunc aggredimur. Verum antequam quidquam circa istud argumenti genus attingamus, operæ pretium ducimus, ipsius Pontificiæ concessionis, qua parte Indulgentias spectat, hic in medium proferre, atque fidelibus studiosi lectoris oculis subjicere; siquidem omnis isthæc tractatio, & rei argumentum inde desumendum nobis erit. Verba igitur Pontificiæ concessionis in hunc modum sese habent. *Atque insuper de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, eisdem Christi fidelibus utriusque sexus, ut ipsi de cetero perpetuis futuris temporibus de omnibus, & singulis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus, quibusvis Confraternitatibus, Sodalitatibus, & Congregationibus in dictis Regnis exsistentibus alias jam per Sedem Apostolicam concessis, veluti si illarum essent Confratres, & respective Consorores, illisque personaliter*

liter reperientur adscripti, seu adscriptæ; atque eaedem Indulgentiæ, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, ut etiam Animabus Christifidelium Defunctorum, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, plene, & libere fruantur auctoritate, & tenore similibus concedimus, itidem & indulgemus.

Et insuper Christifidelibus prædictis in singulis diebus stationum Almæ Urbis Nostræ, quinque Ecclesias, seu altaria, aut in illorum defectu quinquies unum & idem altare: Monialibus vero cujusvis Ordinis, & Instituti Regularis existentibus, ac in ætate prædicta constitutis, necnon mulieribus, & puellis in quibusvis Monasteriis, & respective Conservatoriis degentibus, si forte Ecclesias non habuerint, Capellas ab eorum legitimis Superioribus designandas devote visitantibus, & in eis pias ad Deum preces pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione effundentibus, omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes alias Ecclesiis, tam intra, quam extra mœnia præfatæ Urbis, ad quas dictæ Stationes fixæ existunt, concessas, eadem Apostolica auctoritate misericorditer in Domino concedimus, quas tam pro se, quam pro Defunctis, pro quibus visitaverint, consequi valeant. Atque præ-

præmissa omnia, excepto tamen privilegio vescendi ovis, & lacticiniis Christifidelibus præfatis, etiam extra Regna hujusmodi commorantibus, suffragari debere volumus, & declaramus.

His autem præmissis quatuor nobis expedienda sese nobis exhibent in hac secunda Parte. I. Quæ sit Indulgentiarum natura, quis effectus, quodnam fundamentum, cui innitantur. Quisque Ecclesiæ thesaurus, unde pro redimendis satisfactionibus pretium hauriatur. II. Quænam necessario requirantur conditiones ad percipiendos Indulgentiarum fructus. III. Quænam sint conditiones statutæ, & opera præscripta ad lucrifaciendas Indulgentias per Bullam nostræ Cruciatæ concessas. IV. Demum quænam sit Indulgentia Stationum, quidve præstet illam lucrifacientibus. Hæc quidem omnia, cum distinctis Paragraphis exsolvenda curemus, opportunas quæstiunculas proposito argumento, vel cum maxime conducentes, simul pro re nata passim excutiemus.

§. I.

§. I.

De Indulgentiarum natura, effectu, fundamento, atque Ecclesiæ thesauro.

INdulgentiæ vocabulum, quod ab antiquioribus usque temporibus huic notioni, sive significationi accommodatum fuisse probat Estius, idem valet ac *remissio*, *relaxatio*; unde titul. Decretal. prodiit de *Pœnitentiis, & Remissionibus*. Hinc Alexand. III. *in Cap.* Quod autem 4. Indulgentias vocat *Remissiones*. *Cum a non suo judice*, inquit, *nullus ligari valeat vel absolvi, remissiones prædictas prodesse tantummodo arbitramur, quibus ut prosint proprii Judices specialiter indulserunt*. Quod vocabulum derivasse videtur Ecclesia ab usu veterum Imperatorum ac Jurisconsultorum, apud quos Indulgentia vocatur generalis *remissio* criminum, unde in Cod. Thedos. tit. *De Indulgent.*

Q. I. *Quomodo definitur Indulgentia?*

R. Indulgentia sic passim ac communiter a Theologis ferme definitur: *Remissio, seu Relaxatio pœnæ temporalis, quæ post remissionem peccatorum luenda superest, extra Sacramentum facta ab eo, qui spiritualem jurisdictionem habet cælestem Ecclesiæ thesaurum dispensandi*. Definitionem propositam per partes breviter explicemus

mus oportet, ut Indulgentiarum natura, ac ratio clarius possit innotescere.

Dicitur 1. *Relaxatio*. Id enim designat vocabulum, uti dictum est; Indulgentiæ, *relaxationem* scilicet, *remissionem*, *absolutionem*: Etenim ille, qui Indulgentias elargitur, clavium potestate utitur, non ad ligandum, uti patet. Ergo ad absolvendum, sive ad solvendum.

Dicitur 1. *Pœnæ temporalis*, nimirum non solum injunctæ, verum potius injungendæ juxta præscriptum antiquorum Canonum; nec solum quantum ad forum Ecclesiæ, verum etiam quantum ad Judicium Dei, uti loquitur D. Thomas mox laudandus. Etenim cum nunc temporis, nonnisi levissimæ pro gravissimis criminibus injungantur Pœnitentibus satisfactiones spectata antiquorum Canonum severitate, ac multo quidem graviores revera essent imponendæ, nisi rigorem illum Christiani populi hac nostra præsertim ætate recusaret infirmitas, uti docet Pelagius Pontifex in *Cap.* Fraternitatis 7. *Distinct.* 34. hinc fit, ut Indulgentiæ nunc concessæ, vel potissimum respiciant pœnitentias injungendas. Vide Estium *in Distinct.* 25. §. 1. Nec porro per Indulgentias liberatur pœnitens solum a pœna in foro Ecclesiæ, verum etiam quantum ad Judicium Dei: juxta Christi promissionem: *Quæcumque solveritis &c. Mat. cap.* 18. quod optime probat Angelicus Præceptor *in IV. Sentent. Distinct.* 20. *Qu.* 1. *Art.* 3. *Qu.* 2. adeo ut

ut opposita sententia, testante laud. Estio, sit graviter erronea, ac recensenda inter errores Lutheri, aliorumque Hæreticorum ab Apostolica Sede proscriptos. Lege Estium *Distinct.* laud. §. 3. ac Natal. Alexandr. *il suo Theolog. Dogmat. & Moral. De Indulgent. cap.* 2.

Dicitur 3. *quæ post remissionem peccatorum superest luenda.* Sæpius enim imo sæpissime culpa dimissa virtute clavium in Sacramento Pœnitentiæ temporalis pœnæ debitum remanet pœnitenti persolvendum; quod sane licet præfracte pernegaverint Romanæ Communionis hostes, rectissime tamen, uti fide credendum proponit Trident. *Sess.* 14. *can.* 12. atque invictis argumentis tum ex Scripturarum, tum ex Traditionis fonte petitis passim probant Theologi. Vide laud. Estium, ac Juveninium *in de Pœnitent.*

Dicitur 4. *Extra Sacramentum.* Etenim licet Indulgentiarum elargitio usus sit clavium, atque ex illarum potestate promanet, omnino tamen extra Sacramentum est, cum Sacramentum non sit, neque per modum partis integrantis in ratione satisfactionis ad Sacramentum constituendum ingrediatur. Claves porro Ecclesiæ per Christum concessæ non ad solum Pœnitentiæ tribunal sunt coarctandæ. Lege Natal. Alexandr. *In De Sacrament. Pœnitent. cap.* 5. *art.* 4. *De Clavibus Ecclesiæ &c.* & Cl. Navarr. *Comment. De Jubilæo, & Indulgent. Notabil.* 14. *De Indul-*

dulgentiarum thesauri dispensatione sine Sacram. applicatione.

Dicitur 5. *Ab eo, qui spiritualem jurisdictionem habet cælestem Ecclesiæ thesaurum &c.* Thesaurus enim Ecclesiæ conflatus ex meritis potissimum, Christi, ac Sanctorum, eorumque satisfactionibus pertinet ad bonum commune totius Ecclesiæ, uti probat D. Thom. *Ea autem, quæ sunt multitudinis alicujus communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus, qui multitudini præest* D. Thom. *In Supplem. ad. 3. Part. q. 25. art. 1. in corp.*

Hinc profecto patet facultatem elargiendi Indulgentias non solum Summo Pntifici competere; verum etiam Episcopis, quibus in persona Apostolorum dictum est apud Matt. *Quæcumque solveritis &c.* juxta mensuram tamen, ac limitationem in sacris Canonibus definitam. Lege *Cap.* Cum ex eo, & *Cap.* Quod autem? *De Pœnitentiis*, ac *Remission.* & *Cap.* Romana 1. & *Cap.* Indulgentiæ 3. *in 6. tit. eod.* Imo Episcopi solum electi, ac confirmati, licet nondum consecrationis munere decorati, idem juris obtinent, cum hæc potestas ad solam pertineat jurisdictionem. Vide Natal. Alexandr. *In De Indulgent. cap.* 3.

Q. II. *Quomodo dividitur Indulgentia?*

R. Indulgentias in plures species dispertiri cuique compertum est; illas omnes

nes recensere supervacaneum minime ducimus, licet passim prostent apud Theologos, aut satis per se non nullæ internoscantur, ne scilicet vel in levibus rebus nostro muneri deesse videamur, de quibus si lubet, vide Salmanticens. *in Append. ad Tract. VI. De Bulla S. Cruciat. Cap. 2. Punct.* 1. §. 3. celebriorem itaque primo, æque ac magis necessariam attingemus.

Dividitur itaque Indulgentia in illam, quæ est *per modum absolutionis*, & illam, quæ est *per modum suffragii*, quam divisionem luculentissimis verbis expressit Leo X. in Bulla ad Gard. Cajetanum suum in Germania Legatum inquiens: *Romanum Pontificem thesaurum meritorum Jesu Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsum conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse*; inter utrumque Indulgentiarum genus plura discriminis capita intercedunt, quæ cursim delibabimus.

I. Prioris elargitio, quæ est *per modum absolutionis* est actus jurisdictionis, ideoque in solos homines in mortali hac vita adhuc constitutos, eosque subditos exerceri potest; confer huc *cap. Quod autem 4. De Pœnit. & Remission.* etenim Prælatus Indulgentias elargitus non solum solvit de thesauro Ecclesiæ, quidquid requiritur ad delendam pœnam pro admissis peccatis statutam; verum etiam tamquam Dei minister, ejusque vice fungens ab-

absolvit lucrifacientem illas a reatu pœnæ temporalis peccatis debitæ. Posterior vero nullam exquirit jurisdictionem in eum, cui confertur, nec per illam iste absolvitur a pœna, cum sit solutio quædam, & oblatio facta Deo æquivalentis satisfactionis juxta modum pœnæ commeritæ abeo, qui potestatem habet dispensandi Thesaurum satisfactionum Christi, ac Sanctorum. Etenim per mortem quisque constituitur extra jurisdictionem fori Ecclesiastici, & solum Deum agnoscit Judicem, ac proinde a Prælatis Ecclesiæ nequit via jurisdictionis a pœnis commeritis absolvi.

Hinc patet II. Indulgentias *per modum suffragii* prodesse defunctis *non via justitiæ*, velut illæ, quæ conferuntur *per modum absolutionis*, viventibus prosunt, sed *tantum via misericordiæ*; nequeunt enim a Prælatis, uti dictum est, via jurisdictionis absolvi a reatu poenæ, cui manent obnoxii; sed solius Dei miserantis expectanda benignitas est, uti suffragia, seu subsidia satisfactoria pro Defunctorum Animabus oblata benigne velit suscipere, atque accepta habere ad illarum liberationem. Vide Estium *loc. cit.* §. *ult.* & Natalem Alexand. *De Indulgent. Reg. XV.* qui post Cajetanum perducte hujusce discriminis rationem exponit. Aliter tamen hac in re Petrus Colet post Bellarm. sed alibi posthac fusius argumentum, istud excutietur.

III. Animadvertendum, *quod Regula sit*,

se, quod Indulgentiæ vivis concessæ per modum suffragii mortuis applicari non possunt, nisi id in concessione exprimatur; uti testatur, ac docet Benedict. XIV. Epistol. Encyclic. ad Pœnitentiar. & Confessar. pro Anno Sancto in Urbe deputatos, §. 24.

Hinc ex speciali privilegio propius Defunctorum Animabus, concessum est primum a Benedict. XIII. an. 1725. ac postea ab eodem Bened. XIV. an. 1750. uti videre est in ejusdem Constitut. pro suspensione Indulgentiarum perdurante tempore Jubilæi Anni Sancti §. 3. specialiter, inquam, concessum est, ut possent a vivis Indulgentiæ, perdurante tamen Anno Sancto in beneficium ipsarum Animarum applicari, etiamsi in concessione facultas, ut eaedem pro Defunctis applicari possent, expressa non esset; nec eodem Anno Sancto perdurante Animabus in Purgatorio detentis opportuna suffragiorum subsidia subtraherentur. Vide laud. *Encycl. loc. cit.*

Porro id etiam nobis Apostolica munificentia collatum, ut Indulgentiæ Nobis per Bullam nostræ Cruciatæ concessæ adjuvandas Defunctorum Animas piacularibus flammis addictas transferri possint, quod apertissime patet ex verbis ejusdem Bullæ antea propositis.

IV. Indulgentiarum subsidia pro mortuis impertiri nemo alius potest, nisi solus

lus Summus Pontifex; adeoque nequeunt Episcopi concedere, ut Indulgentiæ, quas ipsi elargiri possunt, per modum suffragii Defunctis applicari possint. Ita sentit doctissimus Navarr. *Comment. De Jubilæo, & Indulgent. Notab.* 22. *num.* 4. quem sequuti sunt Suaresius *in* 3. *Part.* D. Thom. *Disp.* 55. *Sect.* 3. *num.* 3. & Barbosa *De Offic. & Potest. Episcop.* 3. *Part. Allegat.* 83. *n.* 24. Quæ quidem sententia, licet forte non omnino indubia videatur, in exteriori tamen regimine præferenda est, ut ait Colet *Append.* 1. *De Indulgent. cap.* 5.

Verum circa utrumque Indulgentiarum genus, quædam alia scitu digna, & maximopere necessaria opportunius suo loco reservantur excutienda; cum scilicet §. 3. hujusce Secundæ Part. De Indulgentia edisserendum erit.

Dividitur II. Indulgentia in illam, quæ dicitur *totalis*, ac *plenaria*, & in illam, quæ *partialis* vocatur; quam divisionem etiam Apostolica auctoritas nos edocuit, uti patet ex *Extravag.* Unigenitus, quæ est Clement. VI. *inter Extravag. commun. tit. De Pœnit. & Remiss.* per hæc verba: *Ecclesiæ thesaurum per B. Petrum ejusque successores, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere pœnitentibus,*

liter reperientur adscripti, seu adscriptæ; atque eaedem Indulgentiæ, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, ut etiam Animabus Christifidelium Defunctorum, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, plene, & libere fruantur auctoritate, & tenore similibus concedimus, itidem & indulgemus.

Et insuper Christifidelibus prædictis in singulis diebus stationum Almæ Urbis Nostræ, quinque Ecclesias, seu altaria, aut in illorum defectu quinquies unum & idem altare: Monialibus vero cujusvis Ordinis, & Instituti Regularis existentibus, ac in ætate prædicta constitutis, necnon mulieribus, & puellis in quibusvis Monasteriis, & respective Conservatoriis degentibus, si forte Ecclesias non habuerint, Capellas ab eorum legitimis Superioribus designandas devote visitantibus, & in eis pias ad Deum preces pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione effundentibus, omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes alias Ecclesiis, tam intra, quam extra mœnia præfatæ Urbis, ad quas dictæ Stationes fixæ exsistunt, concessas, eadem Apostolica auctoritate misericorditer in Domino concedimus, quas tam pro se, quam pro Defunctis, pro quibus visitaverint, consequi valeant. Atque præ-

præmissa omnia, excepto tamen privilegio vescendi ovis, & lacticiniis Christifidelibus præfatis, etiam extra Regna hujusmodi commorantibus, suffragari debere volumus, & declaramus.

His autem præmissis quatuor nobis expedienda sese nobis exhibent in hac secunda Parte. I. Quæ sit Indulgentiarum natura, quis effectus, quodnam fundamentum, cui innitantur. Quisque Ecclesiæ thesaurus, unde pro redimendis satisfactionibus pretium hauriatur. II. Quænam necessario requirantur conditiones ad percipiendos Indulgentiarum fructus. III. Quænam sint conditiones statutæ, & opera præscripta ad lucrifaciendas Indulgentias per Bullam nostræ Cruciatæ concessas. IV. Demum quænam sit Indulgentia Stationum, quidve præstet illam lucrifacientibus. Hæc quidem omnia, cum distinctis Paragraphis exsolvenda curemus, opportunas quæstiunculas proposito argumento, vel cum maxime conducentes, simul pro re nata passim excutiemus.

§. I.

§. I.

De Indulgentiarum natura, effectu, fundamento, atque Ecclesiæ thesauro.

INdulgentiæ vocabulum, quod ab antiquioribus usque temporibus huic notioni, sive significationi accommodatum fuisse probat Estius, idem valet ac *remissio*, *relaxatio*; unde titul. Decretal. prodiit de *Pœnitentiis*, *&* *Remissionibus*. Hinc Alexand. III. *in Cap.* Quod autem 4. Indulgentias vocat *Remissiones*. *Cum a non suo judice*, inquit, *nullus ligari valeat vel absolvi*, *remissiones prædictas prodesse tantummodo arbitramur*, *quibus ut prosint proprii Judices specialiter indulserunt*. Quod vocabulum derivasse videtur Ecclesia ab usu veterum Imperatorum ac Jurisconsultorum, apud quos Indulgentia vocatur generalis *remissio* criminum, unde in Cod. Thedos. tit. *De Indulgent*.

Q. I. *Quomodo definitur Indulgentia?*

R. Indulgentia sic passim ac communiter a Theologis ferme definitur: *Remissio*, *seu Relaxatio pœnæ temporalis*, *quæ post remissionem peccatorum luenda superest*, *extra Sacramentum facta ab eo*, *qui spiritualem jurisdictionem habet cælestem Ecclesiæ thesaurum dispensandi*. Definitionem propositam per partes breviter explicemus

mus oportet, ut Indulgentiarum natura, ac ratio clarius possit innotescere.

Dicitur 1. *Relaxatio*. Id enim designat vocabulum, uti dictum est, Indulgentiæ, *relaxationem* scilicet, *remissionem*, *absolutionem*: Etenim ille, qui Indulgentias elargitur, clavium potestate utitur, non ad ligandum, uti patet. Ergo ad absolvendum, sive ad solvendum.

Dicitur 1. *Pœnæ temporalis*, nimirum non solum injunctæ, verum potius injungendæ juxta præscriptum antiquorum Canonum; nec solum quantum ad forum Ecclesiæ, verum etiam quantum ad Judicium Dei, uti loquitur D. Thomas mox laudandus. Etenim cum nunc temporis, nonnisi levissimæ pro gravissimis criminibus injungantur Pœnitentibus satisfactiones spectata antiquorum Canonum severitate, ac multo quidem graviores revera essent imponendæ, nisi rigorem illum Christiani populi hac nostra præsertim ætate recusaret infirmitas, uti docet Pelagius Pontifex in *Cap.* Fraternitatis 7. *Distinct.* 34. hinc fit, ut Indulgentiæ nunc concessæ, vel potissimum respiciant pœnitentias injungendas. Vide Estium *in Distinct.* 25. §. 1. Nec porro per Indulgentias liberatur pœnitens solum a pœna in foro Ecclesiæ, verum etiam quantum ad Judicium Dei: juxta Christi promissionem: *Quæcumque solveritis &c. Mat. cap.* 18. quod optime probat Angelicus Præceptor *in IV. Sentent. Distinct.* 20. *Qu.* 1. *Art.* 3. *Qu.* 2. adeo

ut

ut opposita sententia, testante laud. Estio, sit graviter erronea, ac recensenda inter errores Lutheri, aliorumque Hæreticorum ab Apostolica Sede proscriptos. Lege Estium *Distinct.* laud. §. 3. ac Natal. Alexandr. *il suo Theolog. Dogmat. & Moral. De Indulgent. cap.* 2.

Dicitur 3. *quæ post remissionem peccatorum superest luenda*. Sæpius enim imo sæpissime culpa dimissa virtute clavium in Sacramento Pœnitentiæ temporalis pœnæ debitum remanet pœnitenti persolvendum; quod sane licet præfracte pernegaverint Romanæ Communionis hostes, rectissime tamen, uti fide credendum proponit Trident. *Sess.* 14. *can.* 12. atque invictis argumentis tum ex Scripturarum, tum ex Traditionis fonte petitis passim probant Theologi. Vide laud. Estium, ac Juveninium *in de Pœnitent.*

Dicitur 4. *Extra Sacramentum*. Etenim licet Indulgentiarum elargitio usus sit clavium, atque ex illarum potestate promanet, omnino tamen extra Sacramentum est, cum Sacramentum non sit, neque per modum partis integrantis in ratione satisfactionis ad Sacramentum constituendum ingrediatur. Claves porro Ecclesiæ per Christum concessæ non ad solum Pœnitentiæ tribunal sunt coarctandæ. Lege Natal. Alexandr. *In De Sacrament. Pœnitent. cap.* 5. *art.* 4. *De Clavibus Ecclesiæ &c.* & Cl. Navarr. *Comment. De Jubileo, & Indulgent. Notabil.* 14. *De Indul-*

dulgentiarum thesauri dispensatione sine Sacram. applicatione.

Dicitur 5. *Ab eo, qui spiritualem jurisdictionem habet cælestem Ecclesiæ thesaurum &c.* Thesaurus enim Ecclesiæ conflatus ex meritis potissimum, Christi, ac Sanctorum, eorumque satisfactionibus pertinet ad bonum commune totius Ecclesiæ, uti probat D. Thom. *Ea autem, quæ sunt multitudinis alicujus communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus, qui multitudini præest* D. Thom. *In Supplem. ad. 3. Part. q. 25. art. 1. in corp.*

Hinc profecto patet facultatem elargiendi Indulgentias non solum Summo Pntifici competere; verum etiam Episcopis, quibus in persona Apostolorum dictum est apud Matt. *Quæcumque solveritis &c.* juxta mensuram tamen, ac limitationem in sacris Canonibus definitam. Lege *Cap.* Cum ex eo, & *Cap.* Quod autem? *De Pœnitentiis*, ac *Remission.* & *Cap.* Romana 1. & *Cap.* Indulgentiæ 3. *in 6. tit. eod.* Imo Episcopi solum electi, ac confirmati, licet nondum consecrationis munere decorati, idem juris obtinent, cum hæc potestas ad solam pertineat jurisdictionem. Vide Natal. Alexandr. *In De Indulgent. cap. 3.*

Q II. *Quomodo dividitur Indulgentia?*

R. Indulgentias in plures species dispertiri cuique compertum est; illas omnes

nes recensere supervacaneum minime ducimus, licet passim prostent apud Theologos, aut satis per se non nullæ internoscantur, ne scilicet vel in levibus rebus nostro muneri deesse videamur, de quibus si lubet, vide Salmanticens. *in Append. ad Tract. VI. De Bulla S. Cruciat. Cap. 2. Punct.* 1. §. 3. celebriorem itaque primo, æque ac magis necessariam attingemus.

Dividitur itaque Indulgentia in illam, quæ est *per modum absolutionis*, & illam, quæ est *per modum suffragii*, quam divisionem luculentissimis verbis expressit Leo X. in Bulla ad Gard. Cajetanum suum in Germania Legatum inquiens: *Romanum Pontificem thesaurum meritorum Jesu Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsum conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse*; inter utrumque Indulgentiarum genus plura discriminis capita intercedunt, quæ cursim delibabimus.

I. Prioris elargitio, quæ est *per modum absolutionis* est actus jurisdictionis, ideoque in solos homines in mortali hac vita adhuc constitutos, eosque subditos exerceri potest; confer huc *cap. Quod autem* 4. *De Pœnit. & Remission.* etenim Prælatus Indulgentias elargitus non solum solvit de thesauro Ecclesiæ, quidquid requiritur ad delendam pœnam pro admissis peccatis statutam; verum etiam tamquam Dei minister, ejusque vice fungens ab-

absolvit lucrifacientem illas a reatu pœnæ temporalis peccatis debitæ. Posterior vero nullam exquirit jurisdictionem in eum, cui confertur, nec per illam iste absolvitur a pœna, cum sit solutio quædam, & oblatio facta Deo æquivalentis satisfactionis juxta modum pœnæ commeritæ abeo, qui potestatem habet dispensandi Thesaurum satisfactionum Christi, ac Sanctorum. Etenim per mortem quisque constituitur extra jurisdictionem fori Ecclesiastici, & solum Deum agnoscit Judicem, ac proinde a Prælatis Ecclesiæ nequit via jurisdictionis a pœnis commeritis absolvi.

Hinc patet II. Indulgentias *per modum suffragii* prodesse defunctis *non via justitiæ*, velut illæ, quæ conferuntur *per modum absolutionis*, viventibus prosunt; sed *tantum via misericordiæ*; nequeunt enim a Prælatis, uti dictum est, via jurisdictionis absolvi a reatu poenæ, cui manent obnoxii; sed solius Dei miserantis exspectanda benignitas est, uti suffragia, seu subsidia satisfactoria pro Defunctorum Animabus oblata benigne velit suscipere, atque accepta habere ad illarum liberationem. Vide Estium *loc. cit.* §. *ult.* & Natalem Alexand. *De Indulgent. Reg. XV.* qui post Cajetanum perducte hujusce discriminis rationem exponit. Aliter tamen hac in re Petrus Colet post Bellarm. sed alibi posthac fusius argumentum, istud excutietur.

III. Animadvertendum, *quod Regula sit*,

sit, quod Indulgentiæ vivis concessæ per modum suffragii mortuis applicari non possunt, nisi id in concessione exprimatur; uti testatur, ac docet Benedict. XIV. Epistol. *Encyclic.* ad Pœnitentiar. & Confessar. pro Anno Sancto in Urbe deputatos, §. 24.

Hæc ex speciali privilegio propius Defunctorum Animabus, concessum est primum a Benedict. XIII. an. 1725. ac postea ab eodem Bened. XIV. an. 1750. uti videre est in ejusdem Constitut. pro suspensione Indulgentiarum perdurante tempore Jubilæi Anni Sancti §. 3. specialiter, inquam, concessum est, ut possent a vivis Indulgentiæ, perdurante tamen Anno Sancto in beneficium ipsarum Animarum applicari, etiamsi in concessione facultas, ut eaedem pro Defunctis applicari possent, expressa non esset; nec eodem Anno Sancto perdurante Animabus in Purgatorio detentis opportuna suffragiorum subsidia subtraherentur. Vide laud. *Encycl. loc. cit.*

Porro id etiam nobis Apostolica munificentia collatum, ut Indulgentiæ Nobis per Bullam nostræ Cruciatæ concessæ ad juvandas Defunctorum Animas piacularibus flammis addictas transferri possint, quod apertissime patet ex verbis ejusdem Bullæ antea propositis.

IV. Indulgentiarum subsidia pro mortuis impertiri nemo alius potest, nisi solus

lus Summus Pontifex ; adeoque nequeunt Episcopi concedere, ut Indulgentiæ, quas ipsi elargiri possunt, per modum suffragii Defunctis applicari possint. Ita sentit doctissimus Navarr. *Comment. De Jubilæo, & Indulgent. Notab.* 22. *num.* 4. quem sequuti sunt Suaresius *in* 3. *Part.* D.Thom. *Disp.* 55. *Sect.* 3. *num.* 3. & Barbosa *De Offic. & Potest. Episcop.* 3. *Part. Allegat.* 88. *n.* 24. Quæ quidem sententia, licet forte non omnino indubia videatur, in exteriori tamen regimine præferenda est, ut ait Colet *Append.* 1. *De Indulgent. cap.* 5.

Verum circa utrumque Indulgentiarum genus, quædam alia scitu digna, & maximopere necessaria opportunius suo loco reservantur excutienda ; cum scilicet §. 8. hujusce Secundæ Part. De Indulgentia edisserendum erit.

Dividitur II. Indulgentia in illam, quæ dicitur *totalis*, ac *plenaria*, & in illam, quæ *partialis* vocatur ; quam divisionem etiam Apostolica auctoritas nos edocuit, uti patet ex *Extravag.* Unigenitus, quæ est Clement. VI. *inter Extravag. commun. tit. De Pœnit. & Remiss.* per hæs verba : *Ecclesiæ thesaurum per B. Petrum ejusque successores, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere pœniten-*

 tibus,

tibus, & confessis misericorditer applicandum.

Totalis itaque seu *plenaria* est illa, quae, quantum est ex se, & ut verba ipsa pollicentur, valet ad expungendum universae temporalis poenae debitum, quo quis teneatur propter admissa crimina; adeo ut illa, uti par est, percepta, nihil omnino poenae posthac supersit luendum.

Dixi: *quantum est ex se, & ut verba ipsa pollicentur;* licet enim Indulgentia isthaec universae poenae temporalis relaxationem polliceatur, offerat, atque ex sese cuique exhibeat, illius tamen virtus, atque effectus non percipitur nisi juxta mensuram proportionis, quam praeseferunt opus injunctum, & suscipientis dispositio cum quantitate poenae, quae luenda est, uti docent gravissimi Theologi Estius *in laud. Distinct.* §. 10. Juveninius *in De Indulg. Dissert.* 12. *cap.* 3. Sed hac de re inferius fortasse uberior recurret sermo.

Rursus dividitur hujusmodi *plenaria* Indulgentia in *plenam*, *pleniorem*, sive *largiorem*, & *plenissimam*, ut apertissime insinuatur *in Extravag.* Antiquorum Bonifac. VIII. inter *Commun. tit. De poenitent. & Remission.* quae quidem Indulgentiarum species, quid sint, quidve praestent, sagaciter, acute, & late explicat Navarrus *Commen. De Jubilaeo & Indulg. Notab. Nono*. At rectius Suaresius in 3. *Part.* D. Thom. *Tom. IV. Disp.* 50. *num.* 7. sen-

7. sentire videtur, qui censet adducta verba adhibita fuisse majoris declarationis gratia ad indicandum proprium effectum Indulgentiæ plenariæ luculentioribus verbis.

Partialis vero, sive *non plenaria*, illa est, per quam *non universæ temporalis pœnæ debitum extinguitur; sed tantum illius pars relaxatur*. Hæc autem multiplex est juxta diversas formas, quibus dispensari soleat.

Alia enim dicitur *quadragena*, h. e. quadraginta dierum, cujusmodi est illa, quæ confertur ab Episcopis in Anniversario Dedicationis, aliisque etiam de caussis. *Cap.* Cum ex eo, *De Pœnitent. & Remission.* Huc etiam revocari possunt Indulgentia *centum dierum*, quam impertiri possunt Episcopi Cardinales, & Indulgentia *unius Anni*, cujus elargiendæ Episcopis per Sacros Canones facta est potestas in Dedicationibus Ecclesiarum, laud. *Cap.* Cum ex eo, *De Pœnitent. & Remiss.*

Alia est *Septena*, h. e. Indulgentia septem annorum, alia demum est *Carena*, quæ utramque complectitur, nimirum, & septem annorum, & quadraginta dierum; quæ dicta est *Carena*, aut per syncopen a *quadragena*, vel potius a *carendo*; etenim huic pœnitentiæ generere addicti quadraginta dierum spatio cibis, aut hominum commercio abstine-

bant. Vide Macri *in suo Hierolexico* V. Carena.

Hic porro animadvertisse juvat; recensitas Indulgentiarum species, *Quadragenam* nempe *&c.* sic vocitatas fuisse, non quia per hujusmodi eximerentur homines a pœna tot dierum, aut annorum in igne Purgatorio subeunda; sed quia ipsæ solvebant homines a pœnitentiis tot dierum, aut annorum per Canones, qui dicuntur hac de caussa *Pœnitentiales*, definitis; varia enim pro criminum diversitate statuta erant Pœnitentiæ tempora: ut inibi videre est. Atque inde etiam fiebat, ut per hujusmodi Indulgentias eximeretur homo ab illa quantitate poenæ in altera vita persolvendæ, a qua solutus esset, si pœnitentiæ labores tot diebus, aut annis obivisset, aut ex Canonum præscripto, aut ex præcepto Confessarii. Sive ut brevius dicam: Hujusmodi Indulgentiæ liberant ab illa quantitate poenæ, quæ responderet illis Pœnitentiis persolutis; quanta vero respondeat, ille solus novit, cujus oculis, ut ait Paulus ad Hebraeos *Cap.* 4. *omnia nuda sunt, & aperta*. Ita doctissimus Estius laud. *Distinct.* §. 10. Salmanticens. laud. *Append. cap.* 2. §. 2. *num.* 13. Navarr. *Comm. De Jubilæo, & Indulgent. Notabil. XI. n.* 8. aliique gravissimi Theologi.

III. Dividitur Indulgentia in *Localem*, *Realem*, & *Personalem*.

Localis est, quæ alicui pio loco, aut Ec-

Ecclesiæ conceditur, eique inhæret; non quia locus Indulgentiæ capax esse possit, cum illius tantum homines sint capaces; sed quia hujusmodi Indulgentia conceditur visitantibus talem locum, & in illo orantibus, aut aliud pium opus exercentibus. Ideoque certo loco adeo est affixa, ut extra illum a fidelibus obtineri non possit; siquidem tantummodo conceditur ratione loci, & per illum tantummodo percipi potest.

Realis dicitur, quæ quibusdam rebus mobilibus est adnexa, uti est illa, quæ Imaginibus, Rosariis, Agnis, & similibus; quibus proinde hujusmodi Indulgentia adhæret, & per ea hominibus communicatur, eamque lucrantur coram tali Imagine, aut per grana, aut Rosaria orantibus. Quod si hujusmodi concedantur cum respectu ad certam personam; tunc hæc tantummodo Indulgentia propter talem Imaginem lucrari poterit, ab eaque excluditur quivis alius, ad quem quacumque ratione res devenerit. Secus si concessa sit absolute, nullo habito respectu ad personam. At de his legantur, si lubet Salmanticens. *loc. cit.* & Petrus Colet *in Append. De Indulgentiis* adjecta ad calcem *Tractat. De Pœnitent. Cap.* 1. ubi non pauca ad praxim haud leviter conducibilia offendes.

Personalis demum est, quæ tantum conceditur personis facientibus hoc, aut illud opus pium respectu ad aliquem lo-

cum, aut imaginem. Hæc porro cum sit favor, aut gratia personæ inhærens, illam comitatur, eamque insequitur, quocumque demum illa perrexerit. Hujusmodi autem est Indulgentia concessa per Bullam nostræ Cruciatæ, uti patet; siquidem ipsa conceditur Chistifidelibus in Regno nostro *commorantibus*, aut ad illud *declinantibus*, qui certam quamdam eleemosynam contulerint ad naves parandas, exstruendas, instruendas contra Turcas, aliosque hujusmodi Infideles; quique diebus Stationi addictis aut quinque Ecclesias, aut quinque Altaria *devote* visitaverint; eamque etiam lucrari poterunt Christifideles prædicti extra dicta Regna commorantes. Id sane abunde liquet ex verbis ipsis Pontificiæ concessionis, quæ initio hujusce Paragraphi protulimus.

Q. III. *Quodnam sit principium, sive fundamentum hujusce Ecclesiasticæ De Indulgentiis doctrinæ?*

R. Universa hæc De Indulgentiis doctrina, quam Catholica profitetur Ecclesia, & ab ipso exordio Evangelicæ prædicationis semper edocuit, ex eo repetenda est principio, quod inconcussum est inter Catholicos, atque adeo alterum Evangelicæ Fidei caput constituit; scilicet alium esse Baptismi, alium Sacramenti Pœnitentiæ fructum. Etenim per Baptisma usque adeo Christo commorimur, & ad vitam renovamur perfecta peccatorum remissione, ut nulla omnino

O pro

pro illis pœna superſit in futuro ſæculo luenda. At in Sacramento Pœnitentiæ ita peccata quantum ad culpæ reatum dimittuntur, ut adhuc tamen reſtet terribilis quædam exſpectatio judicii, atque ignis æmulatio in futuro ſæculo, niſi dignis fructibus, atque operibus Pœnitentiæ Divinæ Juſtitiæ ſatisfacere contendamus. Hæc ſane Catholicæ Fidei dogmata ſunt, uti diximus, quæ exitioſis Novatorum erroribus eliminandis propoſuit Oecumenica Tridentina Synodus, his verbis: *Alius eſt præterea Baptiſmi, alius Pœnitentiæ fructus: per Baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam, & integram remiſſionem peccatorum conſequentes; ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire non poſſumus; ut merito Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus a S. Patribus dictus fuerit. Seſſ. XIV. cap. 2.*

Hujus porro diſcriminis duplex profertur ratio ab iiſdem Tridentinis Patribus, uti legere eſt *Cap.* 8. laud. *Seſſ.* Prima eſt: *Quia Divinæ Juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui ſemel a peccati, & Daemonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus S. dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum S.*

contristare non formidaverint . Secunda est. Ita decere divinam Clementiam, *ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putates, velut injurii, & contumeliosi Spiritui S. in graviora labamur thesaurizantes nobis iram in die iræ*. Adeantur præterea Theologi pertractantes de Necessitate satisfactionis, & præsertim Natal. Alexander *De Sacram. Pœnitent. Lib. II. Cap.* 4. ubi perpetua Patrum traditione hocce Ecclesiasticum dogma e Sacris Litteris petitum, ibique luculentissime traditum communivit adversus inanes Novatorum impetus.

Hujusmodi vero pœnæ temporalis debitum, post deletam peccati ope Sacramenti Pœnitentiæ maculam, atque æternæ pœnæ reatum expunctum, superstes, vel duris operosis æque, ac piis Pœnitentiæ laboribus redimitur, & *satisfactio* vocatur; aut hujusmodi Pœnitentiæ opera ex caussa legitima ab eo, qui spiritualem habet jurisdictionem Pœnitenti remittuntur; ac dicitur satisfactionis remissio, donatio, relaxatio, quam usu Ecclesiastico, æque ac vetusto, *Indulgentiam* vocamus.

Q. IV. *Quid circa Indulgentiarum veritatem velut ex Fidei necessitate credendum proposuit Tridentina Synodus?*

R. Cum posterioribus ætatibus Indulgentiarum, uti postea dicemus, elargitio extensa pariter fuisset ad erogationem eleemosynæ in aliquod opus pium, uti Sacrum

Bel-

Bellum adversus infideles, Ecclesiæ inædificationem, reparationem, aut Hospitalis, aut Monasterii constructionem destinandæ; adeo ut, qui pecunias ad hujusmodi opera conferrent, spiritualibus Indulgentiarum divitiis cumularentur; usus quoque invaluit designandi quosdam homines, qui eleemosynas a Fidelibus erogandas colligerent, aut etiam conducerent colligendas nomine piorum locorum, qui dicti fuere *Quæstores Eleemosynarun*, sive *Quæstuarii Prædicatores*. Cum vero ex hominum ingenio ad malum propenso concessa potestate passim abuterentur, abusus in hanc praxim invectos Conciliorum auctoritate emendari oportuit. Hinc in Concil. Lateran. IV. sub Innocentio III. ann. 12.15. *can.* 62. vetitum fuit, ne hujusmodi Eleemosynarum Quæstores admitterentur, *nisi Apostolicas, vel Diœcesani Episcopi litteras exhibeant*. Refertur hocce Decretum in *Cap.* Cum ex eo 14. *De Pœnit. & Remiss.*

Verum cum neque hac ratione malum hujusmodi extinctum esset, quin potius excresceret in maximum Christiani Orbis detrimentum, ac populi offensionem; dum ipsi Quæstores permulta circa Indulgentias mentiendo confingerent, efficacioribus remediis opus fuit, quæ parata atque injuncta fuere per Concilium Viennense sub Clemente V. ann. 1310. ubi & Lateranense Decretum confirmatum fuit; ac præterea adjunctum, ut ipsæ Apostolicæ

litteræ ad Eleemosynarum quæstus congerendos examini Ordinariorum subjicerentur, Quæstoribus hujusmodi prædicationis officio penitus interdicto, relicta tantum iisdem facultate simpliciter proponendi, quod in Apostolicis litteris contineretur. Lege *Clement. tit. De Pœnitent. ac Remission. cap. 2.*

Initio porro Sæculi XVI. h. e. an. 1514. cum Leo X. qui universalis Ecclesiæ clavo adsidebat, templum illud Vaticanum, quo nihil fulget augustius, operosius nihil, jam a Julio II. suo Decessore inceptum perficere vellet, atque ea, qua par erat, dignitate absolvere, ne immenso pecuniarum ponderi huic tanto operi destinando succumberet; atque ab incepto desistere cogeretur, illud iniit consilii, quod & antea a suis Decessoribus subinde factitatum noverat; cælestem nimirum Ecclesiæ Thesaurum Fidelibus dispensandum pro sua Pontificia auctoritate reclusit, ut qui Eleemosynarum erogatione huic tanto, tamque augusto operi adjutrices manus præberent, amplissimam Indulgentiarum segetem perciperent, atque etiam privilegiis non levibus Apostolica benignitate concessis potirentur.

Cum itaque munus istud indicendi, ac promulgandi Indulgentias concessas demandatum esset Alberto Archiepiscopo Septemviro Moguntino, delectus est Joannes Tetzelius Quæsitor Fidei ex Ordine Prædicatorum, vir doctissimus, ac concio-

na-

nator ferventissimus, qui & antea pro Equitibus Teutonicis simili promulgatione strenue perfunctus fuerat, ut hanc sibi demandatam provinciam diligenter per suo more expleret.

Atque hinc sane scaturigo malorum omnium, atque gravissimarum calamitatum, quæ ea tempestate Ecclesiam longe lateque, ac diutissime divexarunt, ac miserandum in modum dilacerarunt; cum enim Augustinianensis Familia Eremitarum S. Augustini ægerrime tulisset hoc munus Indulgentias indicendi non sibi, sed alteri fuisse commissum; Martinus Lutherus pessimo publico natus, qui jamdiu grave aliquid in humanæ societatis, ac Religionis perniciem animo moliebatur, inde occasionem nactus adversus Indulgentiarum veritatem declamare, ac debacchari occœpit; at demum eo vesaniæ ac furoris processit, ut nullum pœne catholicum dogma fuerit, quin sacrilegis erroribus aut pessumdare, aut inficere conatus sit. Legesis Natal. Alexandr. *in Synopf. Histor. Ecclesiast. Sæcul. XV. & XVI. Art. XI.* §. 1. & Cardinal. Pallavicin. *Histor. Concil. Trident. Lib. I. cap.* 4.

Sed quod ad rem nostram spectat adversus Indulgentiarum Catholicam veritatem hisce blasphemis vocibus invehi cœpit.

Papa nec potest, nec vult ullas pœnas

remittere, præter eas, quas arbitrio vel suo, vel Canonum imposuit.

Thesauri Ecclesiæ non sunt merita Christi, & Sanctorum.

Sextuplex genus hominum non eget Indulgentiis; primo mortui, seu morituri, secundo infirmi, tertio legitime impediti, quarto, qui non commiserunt crimina, quinto qui crimina, sed non publica commiserunt. Sexto qui meliora operantur.

Solum inertibus, frigide pœnitentibus, delicatis scilicet peccatoribus Canonicæ pœnitentiæ sunt impositæ; ideo solummodo duris, & impatientibus Indulgentiæ proprie concedi videntur.

Indulgentiæ sunt remissiones bonorum operum, sunt nullius pietatis, nec meriti, nec præcepti, sed licentia tantummodo quadam, videtur quæstus per eas augeri, magis quam pietas. Sunt de numero eorum, quæ licent, non quæ expediunt . . . . . Sunt vilissimum bonum omnium bonorum Ecclesiæ, nec nisi vilissimis Ecclesiæ donandum.

Seducuntur, qui passim Indulgentiae non aliter intelligunt, quam salutares, ad fructum spiritus utiles.

Aliaque his consimilia, quæ legi possunt apud Natal. Alexandr. *Histor. Ecclesiast. loc. cit.* §. 1.

Ut vero Catholicæ Religionis veritas tot tantisque oppugnata erroribus certiori ac securiori via patescere posset Fidelibus, ita ut de ea nullius omnino dubitandi locus

cus relinqueretur; neve insuper intemeratæ Fidei integritas ab hujusmodi insanis, ac sacrilegis vocibus quidquam detrimenti apud pusillos, atque incautos subire posset, juxta consuetum Ecclesiæ morem ann. 1545. indictum, atque coactum est Tridentinum Concilium, in quo hæc de Indulgentiis Catholica dogmata proposita, discussa, atque confirmata fuere.

Quod sane Decretum hunc im modum se se habet: *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet, et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. Sess.* 15. In Decret. *De Indulg.*

Demum quod spectat ad Quæstores Eleemosynarum, quorum occasione tantum incendium Reipublicæ Christianæ adeo perniciosum exarserat, atque tot hæreseon monstra tamque exitialia in Romanam, atque Catholicam Fidem furere, ac sævire, non sine Fidelium lacrymis visa sunt, statuit eadem Tridentina Synodus: *Ut post hac in quibuscumque Christianæ Religionis locis eorum nomen, & usus penitus aboleretur. Sess.* XXI. *cap.* 9. *in Decret. De Reform.* At de his lege, si lubet, Gon-

Gonzalez *Comment. in Cap.* Cum ex eo 14. *De Pœnitent. &c.* Cl. Van. Espen. *Part.* 2. *Sect.* 1. *tit.* 7. *de Indulg. cap.* 4.

Q. V. *Quisnam sit Indulgentiarum effectus?*

R. Indulgentiarum effectus sunt spirituales illæ utilitates, quæ in eos redundabunt, qui Indulgentiarum fructu potiuntur; ad quas profecto respiciendo Tridentina Synodus definivit *illarum usum Christiano Populo esse maxime salutarem*. Has itaque cursim delibabimus, uti argumenti nostri ratio postulat.

At illud primo maxime advertatur oportet,[d] Indulgentiarum fructum haud illis prodesse, qui spiritu veræ pœnitentiæ destituuntur; neque enim sufficit, ut vulgi errore creditur, præscripta opera adamussim complere, nisi simul & spiritus pœnitentiæ comitetur: quod præ ceteris ex Bullis Pontificiis maximoperr liquet; in illis enim Indulgentia conceditur iis tantummodo, qui *vere contriti*, ac *pœnitentes* sint; h. e. qui spiritu Pœnitentiæ intus animati præscriptas operum conditiones servant. Istis itaque prosunt Indulgentiæ concessæ.

I. Ad relaxandam pœnam temporalem post peccata dimissa superstitem, quæ nobis in altero sæculo subeunda manebit, nisi peropportunis pœnitentiæ laboribus hic redimatur, aut satisfactionibus Christi, & Sanctorum per Indulgentias nobis applicatas solvatur. Etenim Christus Apo-

sto-

ſtolis, eorumque ſucceſſoribus jus contulit, ac poteſtatem, ut quidquid ipſi in terra dimitterent, ſolutum maneret & in Cælis, & illorum in terris pronuntiata ſententia, rata quoque eſſet habenda in Cælis. Apud Matth. *Cap.* 17. & 18. Hinc Paulus, quem primo omnium legimus uſum fuiſſe hac poteſtate Indulgentias elargiendi cum Corinthio illo inceſtuoſo, uti concordi ſententia teſtantur Patres, atque nos edocent Theologi, ait ſe donaſſe h. e. condonaſſe pœnam illius criminì debitam *in perſona Chriſti*; veluti ſi Chriſtus ipſe in perſona Pauli illam condonaſſet. At condonatio facta a Chriſto, ut nemini addubitare licet, valet pro futuro ſæculo, & apud Judicium Dei. Ergo &c. II. ad Corinth. *cap.* 2.

Quapropter qui oppoſitum edocere auſi ſunt, non ſolum a recto fidei tramite aberraſſe deprehenſi ſunt, ac convicti, uti antea dictum eſt, verum etiam inſignem Chriſti Eccleſiæ irrogant injuriam, quaſi Eccleſia Indulgentias elargiendo enormiter nos deciperet, dum remitteret leviores quaſdam pœnas hic ſubeundas, ut gravioribus, atque acerbioribus in futuro ſæculo luendis Fideles reſervaret. Ita ſane Angelicus Præceptor *in IV. Sentent. Diſt.* 20. *Qu.* 1, *Art.* 3. *Quæſtiunc.* 2. Lege Natal. Alexandr. *Cap.* 2. *De Indulgentiarum Utilitate*, atque doctiſſimum Eſtium laud. *Diſtinct.* 20. §. 3.

II. Proſunt quoque Indulgentiæ, ut quie-

quietem ac tranquillitatem conscientiæ ei afferant, qui postquam congruis pœnitentiæ laboribus divinæ violatæ Justitiæ juribus satisfacere adlaboraverit, nihilominus non levi timore angitur, atque cruciatur, ne plura adhuc divinæ Justitiæ debeat, ac quidquid ab ipso factum sit non exæquet apud Divinam Justitiam modum pœnæ debitæ ac luendæ.

III. Prosunt etiam Indulgentiæ ad supplendos defectus, qui fere semper occurrunt in peragendis operibus pœnitentiæ, illos nempe, qui ex infirmitatis humanæ pondere, ac naturæ debilitate ortum habent, non autem ex segnitie, socordia, atque ex animo fastidiente pœnitentiæ labores.

IV. Prosunt demum Indulgentiæ ad purganda leviora, & quotidiana delicta in hominibus justis; atque ad reparandos in iisdem, uti diximus, defectus pœnitentiæ, atque ad fervorem caritatis magis excitandum. Sic E. G. Jubilæi indictio, ac promulgatio illos excitat, animat, accendit, atque in ipsis adauget fervorem Caritatis; etenim dum ipsi spiritu conjunguntur universæ Christi Ecclesiæ in humiliationibus, orationibus, jejuniis servandis, atque operibus misericordiæ exercendis, ceteraque per Bullam præscripta peragendo, renovantur in amore pœnitentiæ, Christiana vigilantia, atque in spiritu orationis; atque hac ratione ex ipso fonte divinæ misericordiæ cælestium gratiarum co-

copiosam vim hauriunt; atque ex thesauro meritorum Christi, ac Sanctorum percipiunt, unde debitum pœnæ ipsis persolvendæ expungatur, atque arctiori vinculo ferventioris Caritatis Christo capiti connectantur.

Num etiam Indulgentiarum virtus usque adeo profutura sit, ut peccati maculam, & reatum proprie dictum, sive obligationem ad pœnam æternam remittat?

R. Neg. Etenim Indulgentia quæcumque tandem illa sit, ab homine conceditur, idque extra Sacramentum, ut colligitur ex definitione superius posita. Sed macula peccati lethalis ab homine deleri non potest nisi ope Sacramenti, & per Sacramentum. Ergo &c. Macula enim peccati non tollitur, nisi redeunte gratia, quæ a solo Deo nobis infunditur, idque per Sacramenta. Idem quoque est dicendum de reatu poenæ aeternæ, quæ necessario consequitur maculam peccati.

Hæc quoque sunt intelligenda de macula imperfecta peccati venialis, uti scite Navarrus; quia per Indulgentias nulla culpa, neque macula, neque perfecta, neque imperfecta tollitur.

Dices, quod in Bulla *Antiquorum*, & alibi sæpius dicitur per Indulgentiam concedi *veniam peccatorum*. Ergo &c.

R. Verbum *peccatorum* locutione derivata ex S. Litteris intelligendum de pœna temporali peccatis debita, juxta illud Maccabh. *II. ut a peccatis solvantur:* vel

po-

potest dici, quod Indulgentia remittat maculam culpæ indirecte, quatenus remissio a pœna temporali virtute Indulgentiæ habenda, præsupponat remissionem maculæ, ac culpæ vi contritionis, vel Sacramenti habitæ. Lege Navarr. *Comment. De Indulg. & Jubil. Notab.* 12. ubi perdocte hoc argumentum expendit.

Q. VI. *Utrum hominibus negligentibus, dissolutis, atque adhærentibus a laboribus Pœnitentiæ prosint Indulgentiæ, ut debitum poenæ, cui manent obnoxii, iisdem exsolvant?*

Negative respondent Card. Cajetanus, aliique; quod sane hocce argumento probare student. Nullus indignus aliena satisfactione pro poena sibi debita consequitur fructum Indulgentiæ. Sed quilibet in gratia constitutus negligens satisfacere per seipsum est indignus aliena satisfactione pro pœna propriis peccatis debita. Ergo nullus constitutus in gratia negligens satisfacere per se ipsum acquirit fructum Indulgentiæ.

Minorem Propositionem hujusce Syllogismi probat doctissimus Cardinalis auctoritate præsertim Cypriani, qui *Lib. I. Ep.* 16. ad Martyres, seu Confessores, eos rogat, ut non alios in libellis suis nominent, atque Episcopo commendent pro consequenda poenitentiæ relaxatione, quam quorum pœnitentiam conspexerint satisfactioni proximam esse. Quo etiam illud facit, quod docet idem Sanctissimus Mar-

Martyr. *tract. De Lapf* his verbis : *Pœnitenti , operanti , roganti poteſt* (Deus) *clementer ignoſcere , poteſt in acceptum referre , quidquid pro talibus & petierint Martyres , & fecerint Sacerdotes* . Lege doctiſſim. Cardinal. *Trat.* 10. *De Indulg. ſuſcipientibus Qu.* 1.

At vero aliis, nec, etiam infimi ſubſellii Theologis recenſita opinio minime arridet; tum quia gratiæ ſtatus, in quo conſtitutus homo ſupponitur , ſi id faciat , quod ab Eccleſia præſcriptum eſt in formula Indulgentiarum , idoneum ipſum efficit, atque capacem hujſmodi influxus, qui eſt a Chriſto capite , per Indulgentias percipiendi ; tum etiam quia ille , qui injunctum pium opus exſequitur , eo ipſo curat pro parte ſua tantum ſatisfacere , quantum requiritur a Prælato ad Indulgentiarum effectum; ac proinde non omnino negligens dicendus eſt . Huc etiam accedit , quod idcirco poſterioribus temporibus uſitatiores in Eccleſia Indulgentiarum elargitiones eſſe coeperunt , quo infirmitati humanæ , per quam homines graves pœnitentiæ labores per Sacros Canones injunctos nec ſponte amplectebantur , nec libenter ſubibant , per Eccleſiam conſultum iretur , atque adjutrices manus præberentur . Vide ſi lubet , quæ docet Cl. Morinus *De Sacram. Pœnitent. Lib. X. cap.* 19. *num.* 7. At vero nobis ita controverſia iſthæc componenda vide-

detur, prout indicabit subjecta Adsertio.

Adsero: *Qui cum amore pœnitentiæ, sive cum virtute pœnitentiæ opera in Indulgentiarum formula præscripta exsequitur, licet alioquin non leviter negligens sit in aliis pœnitentiæ operibus capessendis, fructu Indulgentiarum non omnino carebit, sed illum pro modulo suæ dispositionis consequitur.*

Prob. Indulgentiarum elargitiones commensurantur juxta proportionem, quam habent cum caussa tam ex parte conferentis, quam ex parte recipientis, ut probabiliori Theologorum sententia edocemur. Atqui si ex parte conferentis excedatur proportio, adeo ut pro minima, & exigua caussa largior Indulgentia conferatur, concessio non omnino carebit effectu, sed valebit pro ea parte, quæ servat proportionem cum caussa, uti communius docent iidem Theologi. Ergo hoc idem dicendum erit ex parte recipientis. Lege doctissim. Navarr. *Comm. De Jubilæo, & Indulgentis Notab. XV. per totum*, & præsertim *num.* 15. & Petrum Colet *Append.* 1. *De Indulgent. Cap.* 4. *Qu.* 5. Sed ille qui cum virtute pœnitentiæ opus ad Indulgentiam requisitum exsequitur, pro aliqua parte proportionem servat cum Indulgentiæ concessione. Ergo pro ea parte Indulgentiarum fructum consequitur.

Prob. II. Indulgentiæ quamvis plenariæ

riæ non percipiuntur nisi juxta modum dispositionis cujusque; adeo ut plus mereatur, & *efficacius* Indulgentias consequatur, qui *amplius*, ac *devotius* præscriptis operibus incumbit, ut luculentissime definivit Bonifacius VIII. *Extravag.* Antiquorum. *Cap.* 1. *inter Communes tit. De Pœnitent. & Remission.b.* Se ille, qui comitante virtute Pœnitentiæ præscriptum opus pro Indulgentiarum adsecutione amplectitur, atque exsequitur, licet ceteroquin negligens sit, ut integre pro admissis sceleribus satisfaciat, dubitari non potest, quin *devote* saltem illud peragat. Ergo pro modo suæ devotionis, fervoris, ac dispositionis præsentis Indulgentiarum fructu non defraudabitur. Lege Clar. Navarr. *Comment. De Jubilæo, & Indulg. Notab.* XI. qui varias Glossæ interpretationes ad recensita verba Bonifacii VIII. adducit; atque ex iis secundam veluti magis germanam seligit a nostra proposita nil nisi verbis dissimilem; ac nostram sententiam insuper apertissime confirmat.

Confirmatur ex verbis D. Bonaventuræ, qui docet, Indulgentias quantum est ex potestate dantis, tantum valere, quantum per eas promittitur, nec tamen omnibus valere æqualiter; sed secundum æstimationem, quam habuit, vel habere debuit, qui Indulgentias dedit; quam æstimationem non oportuit exprimere; quia omnes Fideles debent illud in corde præsupponere, quod dona, & miserationes

S. Spi-

S. Spiritus dentur cum æquo libramine. At de his legesis, si lubet, Cl. Estium laud. *Distinct.* 20 qui pro sua sapientia nostræ huic sententiæ, quam etiam probabiliorem vocat, præluxit.

Hinc eruitur I. Vulgatum illud Scholasticorum axioma, *Indulgentias nimirum tantum valere, quantum sonant*, hoc sensu esse intelligendum; modo subjectum sit rite dispositum ad integrum illarum fructum percipiendum. Neque hoc quidquam derogat Indulgentiis, quæ *plenæ*, seu *plenariæ* vocantur; etenim Pontifex hujusmodi Indulgentias elargiendo haud legem divinam infringit; sed illa præsupposita de plenitudine potestatis Indulgentiam dispensat nulla temporis mensura limitatam, tantum videlicet largiens, quantum quisque secundum suam præparationem capere potest, & totam condonans pœnam, si integræ condonationis secundum suam præparationem capax sit Pœnitens. Ita laudatissimus Theologus loc. laud. Hinc merito laud. Petrus Colet *loc. cit.* memoratum axioma hac duplici limitatione concludit: *Indulgentias valere quantum sonant, modo nec clavis erret, nec Fidelis deficiat.*

Hinc eruitur II. Ad integrum plenariæ Indulgentiæ, etiam Jubilæi, fructum adsequendum non sufficiet, tantummodo præscriptum opus, atque utcumque perficere; sed opus est præterea, ut quisque totis viribus enitatur, atque omni studio con-

contendat ad satisfaciendum Divinæ Justitiæ congruis, & diuturnis pœnitentiæ laboribus: quod pluribus, iisque efficacibus rationibus probat Natalis Alexander in *De Indulg. Regul.* XII. Consulatur laud. Theologus.

At si vero tam ferventi Caritatis æstu, ac tam acri peccatorum displicentia opus præscriptum perficiatur, adeo ut modus ipsorum quantitati Indulgentiæ sive plenariæ, sive partialis proportionate respondeat, subjecto hac ratione disposito integrum ac promissum Indulgentiarum fructum eidem obvenire, non diffitemur, imo extra controversiam positum arbitramur. Lege Hadrianum *in IV. Sentent.* apud Pallavicin. Hist. Conc. Trident. *Lib. II. Cap.* 4. *n.* 6. Quod nec ipsum Cajetanum inficias ire posse autumamus. Lege Navar. *Comment. De Indulgent.* Notab. XI. *n.* 5. *v. Quinto.*

Q. VII. *Utrum Indulgentiarum virtus adeo sit recipientibus profutura, ut eosdem eximat ab onere debitæ satisfactionis implendæ?*

R. Non pauci fuerunt inter Theologos, qui istud opinati sint, imo quidam illorum longius progressi illud etiam edocere non dubitaverint; nimirum per Indulgentiarum virtutem liberari fideles ab onere complendæ satisfactionis a Confessario impositæ, non solum qua parte *punitiva* illa sit, verum etiam qua parte *medicinalis*. Qua de re lege Salmant.

Ap-

Append. sæpius laud. *Ad Bull. S. Cruc.* At ista nobis minime arrident, quemadmodum nec cuivis, qui avitæ Patrum doctrinæ adhærere, eorumque vestigiis insistere in deliciis habet. Ut hæc igitur omnibus amplectenda elucescat, sit.

Adsertio I. *Per Indulgentiarum virtutem non liberatur Pœnitens ab onere complendæ satisfactionis per Confessarium impositæ.*

Prob. I. Privare Sacramentum sua integritate perinde est, ac jus divinum solvere, ac violare. At si per Indulgentiarum concessiones eximeretur Pœnitens ab onere complendæ satisfactionis impositæ, absolveretur jus divinum, ac violaretur, uti patet. Ergo &c. Etenim satisfactio pertinet ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, idque ex Jure Divino, cui Indulgentiarum virtus non est contraria.

Prob. II. Ordinem Divinæ Justitiæ immutare, atque evertere nemini fas est. Sed juxta hunc ordinem Divinæ Justitiæ Pœnitentibus peccata sua deferentibus ad Pœnitentiæ tribunal satisfactiones sunt imponendæ, atque iisdem explendæ, uti patet ex Tridentin. *Sess. XIV. Cap. 8. De Satisfaction.* Ergo nequit Pœnitens repugnante hoc ordine Divinæ Justitiæ per Indulgentiarum virtutem solvi a debito complendæ satisfactionis per Confessarium impositæ.

Prob. III. Natura Sacramenti, quod in Forma Judicii exercetur, cujusmodi est Sa-

Sacramentum Pœnitentiæ, omnino exposcit, ut homini pœnitenti, qui illic sese velut reum sistit, pro qualitate criminum poenæ imponantur, atque ab eodem exsolvantur. Lege Trident. laud. *Cap.* 8. *De Satisfact.* & *Cap.* 5. *De Confess.* Sed Indulgentiarum virtus non immutat naturam Sacramenti, neque illi est contraria. Ergo &c.

Adducta isthæc argumenta satis probant per Indulgentiarum virtutem Pœnitentem non eximi ab onere complendæ satisfactionis per Confessarium impositæ, tum qua parte *vindicativa* est, tum maxime qua parte *medicinalis*. De hac controversia lege si lubet Salmantic. laud. Append. *Cap.* 2. §, 3. licet ipsi in eam descenderint sententiam, ut a satisfactione, qua parte *vindicativa* est, Pœnitentem per Indulgentiarum virtutem solutum velint. Lege etiam doctissimum Suaresium, qui eandem, ac Salmanticenses, sententiam acriter tutatus fuit, in 3. *P. D. Th. tom.* 4. *Disput.* 50. *De effect. Indulgent. Sect.* 2. *n.* 4. *&* *seqq.*

Num saltem levior satisfactio Pœnitenti tempore Jubilæi, aut alterius eximiæ Indulgentiæ imponi possit?

R. Ita nonnulli, quod me legisse memini, arbitrati fuere: sed audiatur hac de re Christianus Lupus: *Pœnitentiales Presbyteri, qui tempore Indulgentiæ pro gravibus peccatis imponunt leves pœnitentias, hallucinantur insigniter, & pecca-*

 to-

toribus plurimum nocent. Quo major eis pœnitentia imponitur, eo fiunt viciniores satisfactioni, & ad Indulgentiæ fructum aptiores. Apud Van-Espen *De Indulg. Part. II. sect. 1. tit 7. cap. 3.* Lege etiam Pontas in *suo Dictionar. Cas. Consc. Verb.* Jubilæum *Cas.* 10.

Dices: Per Indulgentiarum formulas passim remissiones fieri dicuntur de *injunctis Pœnitentiis*: ut in Decreto Conc. Lateranensis IV. sub Innocentio III. statuitur: *Quadraginta dies De injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Cap.* Cum ex eo. 14. *De Pœnitent. & Remiss.* & in Apostolicis Bullis non minus usitatior est isthæc formula: *Qui hoc, vel illud fecerit, tot dies De injuncta Pœnitentia relaxamus.* Atqui per Pœnitentias injunctas non aliæ intelliguntur, quam impositæ a Confessario. Ergo &c.

R. Per injunctas Pœnitentias in allatis Indulgentiarum formulis intelligendæ sunt illæ Pœnitentiæ, quibus juxta veteris Ecclesiæ severitatem pro criminum gravitate Pœnitentes subjiciebantur, quæ cum ex præscripto Canonum deberentur, atque essent præfixæ, nisi nostrorum temporum infirmitas ab illis abhorreret, merito censentur, ac dicuntur *injunctæ*; nihil enim, nisi sola declaratione indigebant. His etiam adde, quod si prædictæ formulæ intelligendæ essent de *Pœnitentiis injunctis* a Confessario, vix ullus Indulgentiæ locus in illis esse possit; cum enim adeo

adeo leves pro admissis peccatis nunc temporis imponantur satisfactiones, quibus si aliquid detrahatur, tota simul Pœnitentialis satisfactio enervabitur, atque divinum illud mandatum, quo dignos Pœnitentiæ fructus facere jubemur omnes, in nihilum prorsus abiret. Vide Estium laud. *Distinct.* 20. §. 1. & Juven. *De Indulgent. Qu.* 2. *cap.* 3.

Juxta allatam itaque interpetrationem exponi posse arbitror loca quædam D. Thomæ, quæ refragari videntur propositæ Adsertioni, uti cum *in Suppl.* 3. *Part. Qu.* 25. *art.* 1. *ad* 4. docet, *consulendum esse eis, qui Indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant.* Et *in IV. Sentent. Dist.* 20. *Qu.* 1. *art.* 3. *Quæstiunc.* 1. *ad.* 4.

Postquam hæc litteris exarassem, offendi in Petrum Colet. cujus lectione non sine fructu identidem oblectari me fateor, qui hanc etiam Quæstiunculam scite pro suo more pertractat. Primum quidem ingenue profitetur summos Theologos, ac ceterorum veluti antesignanos, nimirum Suaresium, Lugo, Navarr. Sylvium putasse Indulgentias eximere Pœnitentes ab officio complendæ satisfactionis per Confessarium impositæ, qua parte *pœnalis* sit. Dein ipse hasce duas hanc in rem Adsertiones proponit. I. Indulgentias non eximere a laboriosis pœnitentiæ operibus, quæ ad obtinendam cum

Deo reconciliationem aliquando prærequiruntur. Siquidem hæc sunt ad ipsam Indulgentiam adsequendam necessaria, uti patet, & inferius etiam luculentius liquet. II. Indulgentias nunquam eximere a tota pœnitentia per Confessarium injuncta. Etsi vero in controversia sit, num a parte ejus poenali eximat, curandum tamen in praxi, ut hæc tota impleatur; quia in hujusmodi controversia pars illa, quæ Sacramenti integritati magis consulit, præferenda est, præsertim cum id sine gravi incommodo adsequi quivis poterit. Isthæc laudatissimi Theologi sententia ab illa, quæ per nos paulo ante proposita fuit, parum, aut ferme nihil discrepat. At producta argumenta aliam loquendi rationem, ut sectaremur, ac proponeremus, fecere. Neque enim id tantummodo, uti tutius suadendum, hortandum, aut inculcandum visum fuit, verum etiam uti probabilius, ne dicam unice probabile omnibus, atque omnino sectandum proposuimus. Lege laud. Theolog. *Append.* 1. *De Indulgent. Cap.* 1.

Adsero II. *Pessime saltem sibi consulet, qui Indulgentiarum virtuti nimium confisus convenientis satisfactionis opera exsequi non curat.*

Hæc posterior adsertio pluribus suadetur rationibns. I. Quia plures sunt, gravissimique Theologi, qui doceant per Indulgentiarum virtutem homines pecca-

tores

tores non eximi a convenientis satisfactionis onere: scilicet Jndulgentiæ minime institutæ, atque concessæ fuere ad extinguendum spiritum Pœnitentiæ; sed ad illum fovendum, excitandum, confirmandum, atque simul ad subsidium præstandum in opus satisfactionis complendæ, ut qua parte deficeret humana infirmitas, suppetias ferrent. Vide Juven. *Qu.* 5. *Cap.* 5. adeoque, qui contrariam partem sectari vellet, nimis evidenti discrimini suam caussam committeret.

Convenientis porro satisfactionis nomine non intelligenda illa est, quæ pœnam temporalem in altero sæculo luendam omni ex parte adæquet, sic enim Indulgentiæ prorsus inutiles redderentur; sed illa, quæ aliquam cum gravitate peccati proportionem præsegerat; quæque sit quodammodo in vindictam peccatorum, & castigationem.

II. Quia fieri potest, ut facile contingit, quemadmodum opportune advertit D. Thom. *IV. Sent. Dist.* 20. *Qu.* 1. *art.* 3. *Quæstiunc.* 1. *ad* 4. ut aliquis multo plus debeat Divinæ Justitiæ, quam credat; quare haud facile sibi blandiri quisquam potest universam sibi pœnam per Indulgentiarum virtutem expunctam.

III. Quia facile est, ut multa intercurrant, unde quis, licet opera præscripta exsecutioni demandaverit, fructu Indulgentiarum carere, & vacuus abire cogatur, uti abunde patebit ex §. sequenti,

 ubi

ubi de conditionibus necessariis ad Indulgentias consequendas agendum nobis erit. Quapropter haud recte prudenterque sese geret, qui illarum virtuti nimium, quam par est, confisus, convenientis satisfactionis remedium fastidit, atque aspernatur.

IV. Quia sponte aspernatur remedium divinitus institutum, quo vulneribus peccatorum, & spiritualibus animi morbis mederi, seque ab iterum peccando cohibere possit: *Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi fraeno quodam coercent satisfactoriæ poenæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollunt*; ait Tridentin. *De Satisfact. &c. Cap.* 8. *Sess. XiV.* Porro remedium hoc, esto omne debitum poenæ expungat, non præstat Indulgentiarum virtus, uti diserte tradit Ang. *Quolib. II. Qu.* 8. *art.* 16. *ad* 3. *Indulgentia*, inquit, ... *non succedit in locum satisfactionis, in quantum est medicativa, quia adhuc remanent pronitates ad peccandum derelictæ ex priori peccato, ad quas sanandas necessarius est labor satisfactionis.*

Q. VIII. *Utrum necesse sit adesse in Ecclesia communem quemdam Thesaurum ad Indulgentiarum erogationes?*

R. Affirm. Etenim cum Indulgentiæ non sint tantum merae absolutiones a pœna

na temporali debita peccatis, quantum ad culpam dimissis; sed etiam ejusdem poenæ solutiones, uti diserte docet Angelicus Præceptor. *Ille*, inquit, *qui Indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a debito poenæ*. Et paulo post: *faciens Indulgentias solvit poenam, quam alter debet de bonis Ecclesiæ communibus*. Et doctissimus Navarr. in schola D. Thomæ apprime edoctus: *Remissionem per Indulgentias*, inquit, *longe differre a remissione Sacramentali, etiam pœnæ temporariæ; quia illa fit per compensationem solvendo de thesauro Ecclesiæ, quantum remittitur quærenti Indulgentias; Sacramentalis autem sine ulla compensatione per liberalitatem divinam*. *Notab.* X. *num.* 21. Lege Juvenin. *De Indulg. Qu.* 2. *Cap.* 1. Et eumdem Navarr. *De Jubilæo & Indulgent. Notab. VIII.* §. *Ex quo infertur*. Et doctissimum Bellarm. *De Indulg. Lib. I. Cap.* 5. Quare inde profecto sequitur adesse oportere communem quemdam in Ecclesia Thesaurum, unde pretium pro hisce solutionibus, sive compensationibus pœnarum temporalium, quæ per Indulgentias faciendæ sunt, hauriatur. Imo hoc ipsum ad Fidem pertinere diserte docet, ac probat Juvenius laud. *Qu.* 5. *Cap.* 2. nedum unanimi Theogorum omnium firmatur adsensu, si unum excipias Durandum, & Maironem, quorum primus pernegavit Indulgentiarum dispensationem secum ferre necessitatem ha-

hujusce Ecclesiæ Thesauri; alter vero merita, ac satisfactiones Sanctorum nullam omnino habere partem adseveravit in hoc Thesauro conflando. At si quid ipsi hac in re peccarunt a communi sententia discendentes, hoc eis facile indulgendum; scripserunt enim 20. circiter annis ante Constitutionem Clementis VI. De qua mox. Lege Pallavic. *Histor. Conc. Trid. Lib. II. Cap.* 5.

Q. IX. *Quid sit iste Ecclesiæ Thesaurus, unde hauriendum pretium ad Indulgentiarum erogationes?*

R. Thesaurum hujusmodi nihil aliud esse, quam immensus cumulus meritorum, ac satisfactionum Christi, cui etiam accedunt merita, ac satisfactiones Sanctorum quorumcumque. Præclare rem totam explicat, atque illustrat D. Thom. *Quodlib. II. Qu.* 8. *art.* 16. *Opus unius*, inquir, *potest esse satisfactorium pro alio, ad quem per intentionem facientis refertur: Christus autem pro Ecclesia sua sanguinem suum fudit, & multa alia fecit, & sustinuit, quorum æstimatio est infiniti valoris propter dignitatem personæ: Unde dicitur* Sap. 8. *Quod infinitus est in illa thesaurus hominibus. Similiter etiam & omnes alii Sancti intentionem habuerunt in his omnibus, quæ passi sunt, & fecerunt propter Deum, ut hoc esset ad utilitatem non solum sui, sed etiam totius Ecclesiæ. Totus ergo iste Thesaurus est in dispensatione ejus, qui præest generali Ecclesiæ. Unde Petro*

Do-

Dominus claves regni cælorum commisit. Matth. 16. Ac dein prosequitur: *Quando ergo utilitas, vel necessitas Ecclesiæ hoc exposcit, potest ille, qui præest Ecclesiæ, de ista infinitate Thesauri communicare alicui, qui per caritatem sit membrum Ecclesiæ de prædicto Thesauro, quantum sibi visum fuerit opportunum, vel usque ad totalem remissionem pœnarum, vel usque ad aliquam certam quantitatem, ita scilicet, quod passio Christi, & aliorum Sanctorum ei imputetur, ac si ipse passus esset; sicut contingit, cum unus pro alio satisfacit.*

Propositam hanc D. Thomæ doctrinam de Thesauro Ecclesiæ videtur pene ad verbum partim expressisse, partim magis explanasse Clemens VI. *Extravag.* quæ incipit *Unigenitus cap.* 2. inter *Commun. tit. De Pœnitent. & Remission.* Ubi postquam commemoravit Christum in ara Crucis immolatum non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemtione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium effudisse; postea prosequitur: *Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, Thesaurum militanti Ecclesiæ adquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem Thesaurum non in sudario*

re-

repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cæli clavigerum, ejusque successores suos in terris vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum, & propriis, & rationabilibus caussis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere pœnitentibus, & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem Thesauri cumulum B. Dei genitricis omnium electorum a primo Justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumtione, seu minutione non est aliquatenus formidandum, tum propter infinita Christi, ut prædictum est, merita, quam pro eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Hæc idcirco longiori sermone retulimus, ut Catholicæ Ecclesiæ doctrina circa hanc fidei veritatem clarius innotesceret; neque uni laud. Clementis Constitutioni illam inniti quis temere suspicetur, uti quidam absurde somniarunt. Lege Pallavic. *Histor. Conc. Trid. Lib. II.* 5. *num.* 8. Hanc porro insanis, ac sacrilegis vocibus impetere ausus est Lutherus hominum perditissimus obstinate pernegando *Thesaurum Ecclesiæ esse Merita Christi, & Sanctorum.* At hujusmodi error perinde ac alii quamplures, perquam merito anathemate confixus per Bullam Leonis X. ann. 1519.

Q.

Q. X. *Unde constetur hicce Ecclesiæ Thesaurus, & qua ratione Sanctorum merita, ac satisfactiones concurrant ad Indulgentiarum fructum capessendum?*

R. Thesaurum Ecclesiæ, unde Indulgentiarum copiosissima vis fere quotidie sine ejusdem detrimento depromitur ad Fidelium utilitatem, & liberationem, ex meritis Christi Domini, ac Sanctorum suorum conflari, ac constare, in confesso est apud omnes; quod & ex adductis locis abunde patere arbitramur, quin aliquid hic adjicere opus sit.

At vero qua ratione Sanctorum merita, ac satisfactiones in hujusmodi Ecclesiæ Thesauro repositæ concurrant ad effectum Indulgentiarum percipiendum: num scilicet *per modum suffragii*, sive *impetrationis*, an vero per modum *solutionis*, sive *pretii*, non levis quæstio est inter Theologos.

Tunc porro Sanctorum merita, ac satisfactiones in Indulgentiarum adsecutione nobis prodesse dicenda sunt *per modum suffragii*, sive *impetrationis*, quoties Sancti suis meritis, ac precibus a Deo impetrent, ut fructus Passionis Christi ad debita nostra spiritualia delenda, atque expungenda per Indulgentias applicetur.

Per modum vero *pretii*, sive *solutionis* ad Indulgentias conferre Sanctorum merita, ac satisfactiones dicuntur, quatenus satisfactiones Sanctorum, qua parte excedunt suorum delictorum mensuram, no-

bis applicatæ id præstent, ut a pœnis temporalibus, quas divinæ Justitiæ ratio a nobis exigit, peccato etiam quantum ad maculam absterso, exsolvamur ac liberemur, inde satisfactione, sive compensatione pro nobis persoluta.

Posteriorem hanc sententiam communiter propugnant Scholastici, quibus & ipse D. Thomas præivisse videtur, eamque docte sub more explicat, atque confirmat Cajetanus *in Tract. De Indulgent. Qu.* 1. *De Thesaur. Ecclesiæ*, & Navarr. *Comment. De Jubilæo*, & *Indulg. Notab. XIII.* Istorum argumenta, & probationes pro hac sententia legi possunt apud Juvenin. *Dissert.* 13. *De Indulg. Qu.* 5. *De Indulgentiar. virtut. Cap.* 1. *De Potestat. concedendi Indulg.* & cl. Estium *in Distinct.* 20. §. 4. & 5.

At priori sententiæ propositæ alii adhærent, nempe quod Sanctorum merita concurrant solum ad remissionem peccatorum nostrorum, atque ad spiritualem Ecclesiæ Thesaurum, unde Indulgentiæ profunduntur, per modum *impetrationis* sive *suffragii*. Atque istam, salva tantorum virorum pace, verosimiliorem arbitramur; (licet altera suis, iisque satis probabilibus innitatur rationibus) præsertim cum ipse D. Thom. 3. *Part. Qu.* 48. *art.* 5. *ad* 3. diserte doceat, quod *passiones Sanctorum proficiunt Ecclesiæ non per modum redemtionis; sed per modum exempli, & exhortationis*; & in Bulla Cle-

Clementis VI. laudat. nullum verbum de illa superabundantia satisfactionum, quæ quidem non omnes omnino electi potiuntur, uti per se patet; sed tantum ibi adferitur ad ejusdem Thesauri *cumulum omnium electorum merita adminiculum præstare*, h. e. uti interpetratur Nat. Alexand. *loc. cit. quatenus Sancti suis meritis, & intercessione a Deo impetrent, ut fructus Passionis Christi ad debita nostra spiritualia expungenda nobis per Indulgentias applicetur*, & nos paulo ante diximus.

Licet autem proposita Natalis Alexandri sententia verosimilior nobis visa fuit, silentio tamen præterire, atque dissimulare non possumus, quæ docet in hanc rem piissimns perinde, atque sapientissimus Episcopus Meldensis Jacobus Benignus Bossuet in Meditationibus editis in communem sui Populi utilitatem pro tempore Jubilæi concessi a Clem. XI. ann. 1702. quæ sane dignæ sunt, ut legantur ob illud præsertim, quia spiritu caritatis summopere fervent, atque ad pœnitentiæ amorem, ac studium excitandum aptissimæ. Exstant *Tom. XXII. Edition. Neapolit. Puncti autem V. De Indulgent. Veteris Ecclesiæ tempore Persecutionum. Considerat.* 3. hæc habet, quæ latine reddita sic sonant: Martyres reputantur in Veteri Ecclesia habere partem in ipso opere Redemtionis. In hac consideratione Origines scribere non dubitavit: Martyres administrare remissionem peccatorum,

rum, atque ipsorum mortem ad exemplum mortis ipsius Christi, baptismum esse, in quo peccata multorum expientur; & nos aliquo modo dicere possumus redemtos esse sanguine pretioso Martyrum, qnemadmodum sanguine pretioso Christi. In quo tamen nihil aliud facit, quam exponere loca S. Scripturæ, quæ Sanctos Christi imperio consociant. *Apocalyp.* II. 26. 27. 28. 29. & locum. Paul. ad Coloss. 1. 24. ubi ait: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.*

Quod da Martyribus scriptum, intelligendum est de omnibus Sanctis, qui omnes Martyres sunt mortificationis, & pœnitentiæ, & omnes parati ad vitam dandam pro Christo, & suis Fratribus. Hanc quoque sententiam sequitur, atque docet cl. Petrus Colet *Append.* 1. *De Indulgent Cap.* 3. inquit enim *dignum fuisse, ut quo amicos suos honoraret Christus, satisfactiones ipsorum ad poenæ nostræ remissionem acceptaret*. Quare, ut ingenue fateamur, isthæc sententia non solum est communior; verum etiam probabilior saltem extrinsece. Plurimi enim, & præclarissimi Theologi, imo & Theologorum lumina illam tradunt, atque tuentur.

Ceterum, quidquid sit de hac Theologica concertatione, Ecclesiasticum dogma in eo versatur, ut credamus, *ad cumulum Thesauri* Passionis, ac meritorum Chri-

Chrifti, *Beatæ Dei Genitricis omnium Electorum a primo Jufto, ufque ad ultimum adminiculum præftare*, uti, docet Clemens VI. laud. *Extravag.* & Leo X. qui, ut diximus, oppofitum huic veritati Lutheri errorem profcripfit; reliqua vero circa hanc rem commiffa funt difputationibus Theologorum, Deo fic volente, ac permittente, ut internofcatur fcientias noftras in hujus vitæ peregrinatione, præfertim Theologicas, quarum objectum funt *non apparentia*, incertitudinibus fcatere magna ex parte, & dubitationibus, uti fcite advertit Pallavicin. *Hiftor. Concil. Trident.*

AP-

APPENDICULA I.

Ubi vetus, & nova Ecclesiæ disciplina circa Indulgentiarum concessiones proponitur; simulque inquiritur in caussam necessario requisitam ad rectam Thesauri Ecclesiæ dispensationem servandam in erogatione Indulgentiarum.

CUm nobis de caussa necessario requisita ad Indulgentiarum elargitiones agendum hic sit, non abs re visum fuit Veteris Ecclesiæ disciplinam circa Indulgentiarum concessiones heic exhibere; ut inde cuivis pateat, quinam fuerit spiritus, quæve mens Ecclesiæ in earumdem elargitione. Quæ sane tractatio cuivis justo rerum æstimatori supervacanea videri non poterit; in hoc enim maxime incumbere debet verus Ecclesiæ filius, ut in omnibus Ecclesiasticis ordinationibus, ejusdem spiritum, ac mentem adsequatur, cui sese recte, atque utiliter conformare possit.

Huc etiam accedit, quod argumentum nobis propositum propius spectat, quod inde Indulgentiæ hujusmodi Bullæ Cruciatæ elucescet origo, antiquitas, & usus ejusdem inde pene perpetuus, quod pro-

priis

priis oculis inspectare, vel potius illorum memoriam refricari benigno lectori, uti arbitror, non insuave esse poterit.

Q. I. *Quænam fuerit vetus Ecclesiæ disciplina, & quomodo sensim deventum fuerit ad bodiernam consuetudinem circa Indulgentiarum elargitiones?*

R. Primus, quem novimus hac potestate elargiendi Indulgentias divinitus concessa usum fuisse, fuit M. ille Gentium Apostolus Paulus, qui Corinthio incestuoso, quem propter crimen gravissimum *tradiderat Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus fieret in die Domini nostri Jesu Christi*, uti ipsemet narrat ad Corinthios *Epist. I. Cap.* 5. (h. e. anathemati addixerat, atque excommunicationis pœna perculerat, ut hac tam horrenda poena, carnali concupiscentia edomita, ac debito pœnitentiali labore expleto, anima salutem consequi potuisset. Vide cl. Estium in hunc locum) postea misericordia motus, seu potius veritus ne in deteriorem exitum id ipsum emergeret, reliquum pœnitentiæ, quod illi persolvendum fuisset pro gravitate hujusmodi criminis, condonat atque relaxat.

Porro quæ fuerit caussa, quæ Apostolum impulerit, ut hujusmodi Indulgentia uteretur erga Corinthium istum tanti sceleris fontem, aperte patet ex verbis ejusdem Apostoli *II. ad Corinth. Cap.* 2. inquit enim: *Sufficit illi, qui est ejusmodi, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus: ita ut*

ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum caritatem . . . . . Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana. Ut itaque Apostolus, uti patet, hujusmodi Indulgentia uteretur erga Corinthium istum, eique debitum pœnitentiæ pensum persolvendum diminueret, in caussa fuit ejusdem *infirmitas*, ne diuturniori, atque acerbiori pœnitentia gravatus, *abundantiori tristitia absorberetur*, atque forsan in disperationem adigeretur. Hinc recte Chrysostom. *Homil.* 4. *in II. Epist. ad Corinth. Non enim*, inquit, *quod id promereatur, nec quod eam, quam par sit, pœnitantiam præstiterit; sed quia infirmus est, id peto.*

Secunda species Indulgentiæ illa est, qua Patres Apostolicis temporibus propiores Apostolico exemplo edocti usi fuere, ut nimirum Pœnitentibus designata pœnitentiæ spatia, vel contraherentur, vel diminuerentur, prout illorum studium, aut fervor in obeundis pœnitentiæ operibus illud exposcebat. Etenim semper Episcopis integrum fuit ex Canonicis pœnitentiis, quæ pro diversis criminibus imponi selebant, aliquid remittere, si eorum; Poenitentium nempe vita, & laudabilis conversatio id mereretur. Cujus quidem

rei

rei locupletiſſimum exhibent teſtimonium vetuſtiſſimi Eccleſiæ Canones, uti Canon V. Ancyranus, XII. Nicaenus, Trullanus, aliique complures, de quibus adi Morinum *Lib. I. Cap.* 15. *&* *Lib. VI. Cap.* 19. Lege Van-Eſpen *De Sacram. Pœnitent. Part. II. Sect.* 1. *tit.* 6. *Cap.* 3.

Tertia porro Indulgentiæ ſpecies illa eſt, quæ Martyrum precibus concedebatur lapſis, veluti cum mortis periculo correpti, ſi Martyrum *libellis* donati fuiſſent, tunc exomologeſi facta, & manu eis ad pœnitentiam impoſita, cum pace ſibi a Martyribus promiſſa, remittebantur ad Deum, uti loquitur Cyprianus *Ep.* 15. h. e. reconciliati ab Eccleſiæ miniſtris ad Deum dimittebantur; licet nec dum crimen Apoſtaſeos poenitentiæ laboribus expiare curaſſent. Quod ſane non exigui momenti beneficium fuiſſe lapſis intuitu Martyrum conceſſum novit quiſquis in Eccleſiaſtica eruditione plane hoſpes non erit. Lege Van-Eſpen *De Indulg. Part. II. Sect.* 1. *tit.* 7. *c.* 1. Aut etiam cum ſani obtentis *Martyrum libellis*; iiſque Epiſcopo exhibitis, ipſorum intuitu partis canonicæ poenitentiæ, prout expediens videbatur, relaxationem conſequebantur. Cujus quidem diſciplinæ teſtes locupletiſſimi ſunt laud. Cyprianus, in ſuis Epiſtolis, & Tertullianus in lib. *ad Martyres*. Qua quidem in re cum abuſus non pauci irrepere coepiſſent, graviter obſtitit Sanctiſſimus Martyr pro ſua Pontificia con-

constantia, eosque emendare curavit variis datis Epistolis, & *in Lib. De Lapsis.* Lege Van Espenium in *De Inlgent. Cap.* 3. & Juven. *Dissertat.* 12. *De Indulgent. Qu. V. cap.* 5. Hæc sane præ ceteris, uti patet, vere ac proprie dicta Indulgentia est, sive relaxatio poenæ peccato debitæ, & applicatio Thesauri Ecclesiæ facta eisdem lapsis, uti scite probat doctissimus Bellarminus in *De Indulg. Lib. I. Cap.* 3 qua vel satisfactiones Sanctorum Martyrum eis applicabantur intuitu meritorum Christi, vel potius merita, ac satisfactiones Christi, Martyrum intuitu ac precibus ipsis applicabantur in condonationem, ac solutionem poenarum, quæ per eosdem lapsos deberentur. Vide quæ in hanc rem dicta fuere superiori Paragraph. *Qu. Ult.*

Hæc porro Indulgentiæ species tamdiu in Ecclesia perduravit, quamdiu persecutionum procellæ Martyrum copiosis triumphis eamdem Ecclesiam condecorarunt; uti post Morinum advertit Van-Espen. *loc. cit.*

Atque hinc profecto cuivis patere arbitramur, quam impie, non minus ac imperite iniquissimus veterator Lutherus calumniatus fuerit Indulgentias *aliud non esse, quam meras Adulatorum Romanorum imposturas, quibus & fidem Dei, & pecunias hominum perderent*; cum potestas isthæc illas elargiendi, a Christo Ecclesiæ col-

collata ſit, earumque uſus cœpit cum ipſa Eccleſia, ac ſubſecutis deinceps ætatibus ſemper in Eccleſia viguit, ut in adductis Hiſtoricis monumentis inſpicere cuivis licet.

Quarta Indulgentiæ ſpecies fuit, cum pœnitentiarum, ſive pœnarum ſolutiones, ſive remiſſiones fieri ſolerent iis, qui opus arduum ac ſalebroſum aggrederentur propter inſignem Eccleſiæ utilitatem, quæ ſane ſpecies Indulgentiæ ab anno milleſimo, ac deinceps in Eccleſia frequentari cœpit; quæque hac formula proponi ſolebat: *Qui hoc opus egerit, aut ut peragatur, pro viribus adnixus fuerit, peccatorum omnium remiſſionem conſequatur*.

Hinc porro factum eſt, ut cum Expeditio Hieroſolymitana pro liberatione Terræ Sanctæ a Saracenorum jugo arduum ſane, ac ſalebroſæ plenum opus aleæ haberetur, hujuſmodi Indulgentia illis impertita fuerit, qui in hac Expeditione bellico diſcrimini pro Solymarum liberatione ſeſe committere non dibitarent.

Hujuſmodi Indulgentiam hac de cauſſa conceſſam primum uſurpare cœpit Urbanus II. qui anno 1096. in Concilio Claromontano eximiis propoſitis remiſſionum, & Indulgentiarum ſive præmiis, ſive ſtipendiis innumeros Chriſti Fideles ad hanc Expeditionem pro Dei gloria alacriter ſuſcipiendam accendit. Lege Morinum

Comm.

Comm. Histor. De Administr. & discipl. Sacram. Pœnit. Lib. X. cap. 19.

Hinc in eodem Concilio Claromontano hic Canon editus est: *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.*

Hujusmodi vero Indulgentia per posteriores Pontifices deinceps confirmata deprehenditur, uti a Callisto II. in Concilio Lateranensi I. anno 1122. ab Eugenio III. an. 1145. Epistola ad Ludovicum Galliarum Regem, ut ipsum ad aliam expeditionem pro Terræ S. liberatione incenderet, & a Clemente III. 100. fere annis post Urbanum II. Vide Morinum loc. cit. At de hac re Fusius infra.

Nec solum pro Terræ S. liberatione pugnantibus hæc Indulgentia concessa est, verum etiam arma sumentibus contra Saracenos alias Christiani Orbis regiones aut occupantes, aut devastantes; uti factum novimus per Victorem II. an. 1087. contra Saracenos in Africa commorantes, & per Eugenium II. an. 1148. in Concilio Rhemensi contra eosdem Saracenos, & Mauros magna ex parte Hispaniæ dominantes.

Demum anno 1509. Julius II. hujusmodi Indulgentiam Bullæ S. Cruciatæ concessit Catholico Regi Ferdinando in subsidium belli contra Turcas, & Mauros Hispanias devastantes, unde deinceps

per

per alios Pontificos pro iisdem Regnis Hispaniarum semper in annos singulos confirmata fuit. Hoc ipsum paullo ante Julium fecerat Alexander. VI. 1497. cum Regno Siciliæ. Lege Salmantic. *Append. De Bul. S. Cruciat. cap.* 1. *Punct.* 1. *n.* 4.

Verum, ut ad propositum nostrum redeamus, unde aliquantisper discessisse videmur; cum hujusmodi Indulgentia, quæ vulgo dicitur *Cruciatæ* S. concessa proficiscentibus ad Expeditionem Hierosolymitanam pro liberatione Terræ S. extensa quoque fuisset ad eos, qui cum legitimo detenti impedimento illuc accedere non potuissent, militem tamen suis sumtibus alendum illuc destinabant, hinc orta fuit alia Indulgentiæ species.

Cum enim semel invaluisset atque persuasum esset, licere integram pœnitentiam remittere, & peccatorum omnium remissionem iis impertiri, qui pecuniam contulissent in expeditionem contra Infideles, aut Hæreticos, nulla apparebat ratio, cur non liceret integram quoque, aut saltem partem pœnitentiæ illi remittere, qui eleemosynam conferret in aliud pium opus; v. g. Ecclesiæ ædificationem, aut refectionem Monasterii, Hospitalis, alteriusve ædificii Ecclesiastici.

Formula autem istiusmodi Indulgentiæ ita sese habebat: *Qui denarium in ædificationem, aut reparationem hujus Ecclesiæ, aut Oratorii contulerit, tertiam vel quar-*

quartam &c. partem pœnitentiarum imponendarum in Domino relaxamus.

Hujusmodi autem Indulgentiam circa tempora Petri Cantoris, h. e. circa medium seculum XII. ortum habuisse docet laud. Morinus, brevi tamen, licet multi contradicerent, alii vero de illis, eorumque effectu dubitarent, summos fecit progressus, & quam latissime in Ecclesiasticis ditionibus sese diffundere visa est. Neque hoc creditu difficile sit, cùm lucrum temporale. & maxima commoda in Ecclesiarum fabricam, & Episcopos hinc redundarent. Ita Morinus laud. *Lib. X. cap.* 20. qui simul advertit privatos Episcopos certatim studuisse ad hanc consuetudinem in suis Diœcesibus constabiliendam; serius vero Romanos Pontifices eandem probasse, atque adhibuisse.

Nec solum pro constructione alicujus pii operis, eique adjutrices manus per eleemosynarum erogationem præbentibus Indulgentia isthæc concessa est; sed etiam ad secularia opera paullo post extensa fuit; adeo ut, qui ad refectionem pontium, itinerum, aliarumque id genus rerum aliquid pecuniarum conferrent, ejusdem Indulgentiæ fructu gauderent.

Demum Indulgentiarum elargitio extenta pariter fuit ad quodcumque aliud pium opus, uti visitantibus quasdam Ecclesias, præsertim *Stationum*, ibique juxta mentem concedentis Indulgentias, atque ex præscripto Bullæ orantibus. Quod seculo

culo pariter XII. contigisse testatur Natal. Alexander, qui variam hanc, quam retulimus, diversis temporibus Ecclesiæ disciplinam in concessione Indulgentiarum paucis refert, atque exhibet *Hist. Eccl. Secul. IX. & X. Cap.* 1. *art.* 1. Verum de antiquitate, & virtute harum Indulgentiarum, quæ dictæ fuere *Stationariæ*, de quibus in nostra Bulla *Cruciatæ* peculiaris mentio occurrit, opportunius, ac latius suo loco.

Harum vero Indulgentiarum species, quas ultimo loco retulimus, caussam dedere integræ abrogationi pœnitentiarum Canonicarum. Ecquis enim, qui tam facili ratione, aut brevi erogato nummulo ab inviso Canonicarum pœnitentiarum rigore eripere se se possit, induci postea patietur ad easdem suscipiendas, atque subeundas? Ut est hominum genus laboris, atque rigoris fere impatiens, verba fient surdis. Lege Morinum laud. *Cap.* 20.

Q. II. *Num pro Indulgentiarum concessione caussa requiratur, & cujusmodi illa sit oporteat?*

R. Universus Theologorum cœtus duce D. Thoma unanimi consensu tradidere, ad Indulgentiæ valorem tria requiri, quæ D. Thomæ verbis placet designare, qui *Quodlib. II. Qu.* 8. *art.* 16. in hunc modum hac de re loquitur: *Ad hoc ergo, ut Indulgentia alicui valeat, tria requiruntur. Primo caussa pertinens ad honorem Dei, ad necessitatem, aut utilitatem*

Ecclesiæ. *Secundo auctoritas in eo qui facit*. *Papa enim potest principaliter*, *alii vero inquantum potestatem ab eo accipiunt vel ordinariam*, *vel commissam*, *seu delegatam*. *Tertio requiritur*, *ut sit in statu Caritatis ille*, *qui Indulgentias percipere vult.* Quæ quidem triplex conditio necessario requisita ad Indulgentiæ valorem sat aperte indicatur in quacunque fere Pontificia concessione. Legatur ibidem D. Thomas, & *in Suppl.* 3. *Part. Qu.* 25. *art.* 2.

Porro quantum spectat ad exsistentiam caussæ necessariæ ad Indulgentiæ valorem, ita facillime res suaderi poterit. Etenim I. qui communia bona temporalia dispensant, illa non possunt solo imperio donare. Ergo multo minus bona communia spiritualia, cujusmodi sunt Indulgentiæ, possunt nulla rationabili caussa suadente profundi, ac pro lubitu, cum hæc longe majoris sint pretii, atque excellentiæ. II. Pontifex Ecclesiæ Thesauri non est dominus, sed dispensator; siquidem Christi, & Sanctorum satisfactionum dominus non est nisi ipse Christus, qui illarum distributionem committit Summo Pontifici tamquam dispensatori, juxta illud Pauli 1. *Corinth. cap.* 4. *Sic nos existimet homo*, *ut ministros Christi*, *&* *dispensatores mysteriorum Dei*. Sed administrator ac dispensator, qui Thesaurum Domini sui sine caussa dispensat, non solum illicite, sed etiam invalide illud facit; cum sit dissipator potius,

quam

quam dispensator. Ergo &c. Hinc in Extravag. *Unigenitus* superius laud. rectissime adseritur, *Thesaurum Ecclesiæ dispensandum esse ex propriis, & rationabilibus caussis*. Ita universim Theologi. Lege Navar. *Comm. De Jubil. Notab. XV.* & Cardinal. Pallavicin. *Histor. Conc. Trident. Lib. II. Cap.* 4. *num.* 13.

Jam vero illud sedulo inquirere operæ pretium ducimus, cujusmodi sit oportet caussa isthæc reqnisita ad Indulgentiæ valorem.

Porro *Quæcunque caussa adsit*, ut verbis utar D. Thom. laud. *Qu.* 25. *art.* 2. *Suppl.* 3. *Part. quæ in utilitatem Ecclesiæ, & honorem Dei vergat, sufficiens est ratio faciendi Indulgentias*. Etenim bona communia spiritualia, cujusmodi sunt Christi merita, ac Sanctorum Ecclesiæ collata, & apud ipsam deposita in communem utilitatem, huc spectant, huic usui destinata fuere, ac proinde ita eroganda, ut communem utilitatem vel quærant, vel servent, vel promoveant. Ergo in illorum dispensatione interveniat necesse est caussa hujusmodi, quæ communem Ecclesiæ utilitatem respiciat. Insuper servus, cui commissa est bonorum dispensatio, ita se gerere debet in hoc munere dispensationis, ut illa expendat in gloriam, & honorem sui Domini, ad quem bona ipsa pertinent, in utilitatem ejusdem, ejusque domus. Ergo Prælati, quibus concredita fuit bonorum spiritua-

lium Ecclesiæ dispensatio, hac ratione eadem erogent oportet, ut illorum dispensatio cedat in honorem Dei, & domus ejus, quæ est Ecclesiæ, utilitatem. Ergo Indulgentiarum elargitio, quæ est dispensatio meritorum Christi, ac Sanctorum per Ecclesiæ Prælatos facienda, oportet ad illarum valorem, ut innitatur caussæ hujusmodi, quæ cedat in honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ.

Hinc I. patet, quod legitima caussa concedendi Indulgentias censendum sit temporale subsidium ad spiritualia ordinatum. Uti enim docet Angelicus *in IV. Sententiar. Dist.* 20. *Qu.* 2. *art.* 3. & *in Supplem. ad* 3. *Part. Qu.* 25. *art.* 3. *Temporalia ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia temporalibus uti debemus: & ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri Indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant; vel sicut constructio Ecclesiarum, vel pontium, & aliarum eleemosynarum collatio. Nec est ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali*. Sic rectissime Indulgentiæ plenariæ generatim primum concessæ sunt Cruce-signatis, qui contra Turcas, aut Mauros pugnaturi in Terram Sanctam, aut in Hispaniam proficiscerentur, aut iis etiam, qui pecuniæ contributione, aut qualibet pia opera tam sanctum opus promoverent. Sic etiam nunc

nunc rectissime eleemosynam erogantibus ad Bellum contra Turcas, aliosque hujusmodi infideles, eorumque impetus retundendos, Indulgentiarum beneficia conferuntur, quod fit per Bullam, quæ dicitur S. Cruciatæ nonnullis regionibus concessam, & novissime incolis nostri hujus felicissimi Regni instante Rege Nostro Ferdinando Pio, Felici, Augusto 1777. primum donatam. Sic Episcopus Andegavensis quintam partem pœnitentiæ peccatorum Confessione expiatorum relaxavit iis, qui Templi militibus beneficia obtulissent. Militum autem Templi, qui Templarii etiam dicti fuere, munus fuit terræ fines, ac vias Hierosolymitanæ ditionis ab incursionibus hostium, & latrociniis immunes servare, ut peregrini possent accedere ad loca illa invisenda. Vide Gonzalez *in Cap.* Cum deputati 16. *De Judiciis*. Sic Mauritius Parisiensis Episcopus, qui obiit ann. 1196. cum Episcopali munere potitus esset ann. 32. aut 33. ingentem illam Cathedralem Ecclesiam Deiparæ Virgini sacram a fundamentis erexit; quique quatuor Abbatias in Agro Parisiensi fundavit, exstruxit, dotavit corrogata pecunia ex eleemosynis Fidelium Indulgentiarum elargitionibus oblatis. Vide Morin laud. *Lib.* X. *Cap.* 19. Sic demum Innocentius IV. Indulgentiam contulit illis, qui eleemosynam erogarent in Ecclesiæ fabricam, quam

Anglorum Rex magnificentissime exstruebat, ut ex ejus Epistolis liquet. Lege quæ in hanc rem docet Guillelmus Episcop. Parisiens. *tract. De Sacram. Ordin. Cap.* 13. apud Van-Espen *in De Indulg. Cap.* 2.

Hinc etiam patet II. quod pro caussis mere spiritualibus multo magis Indulgentiæ concedi possunt; uti etiam docet Angel. his verbis: *Dicendum, quod etiam pro pure spiritualibus potest fieri Indulgentia, & fit quandoque, sicut quicunque orat pro Rege Franciæ, habet decem dies de Indulgentia a Papa Innocentio IV.* In *IV. Sent. Dist.* 20. *Qu.* 1. *art.* 3. *Quæstiunc.* 3. ob insignia nimirum beneficia, & officia, quæ olim erga Sedem Apostolicam Christianissimi, & piissimi Principes præstitere. Clemens quoque VII. pro Rege Christianissimo preces Deo fundentibus centum dies, & Leo V. annum Indulgentiarum concessit. Et similiter Crucem prædicantibus datur quandoque eadem Indulgentia, quæ Crucem accipientibus. Ita D. Thomas loc. laud.

Atque hac etiam ratione visitantibus quasdam Ecclesias, sive altaria, ibique juxta mentem, ac mandatum Pontificis preces fundentibus certæ quædam Indulgentiæ & promitti solent, & quam rectissime conferri. Quemadmodum & nobiscum actam videmus per Bullam nostræ Cruciatæ, uti postea dicemus.

Q. III. *Quanta sit oporteat hujusmodi caus-*

caussa? Sive utrum necesse sit, ut caussæ isthæc proportionem servet cum quantitate Indulgentiæ concessæ, ut ista rata sit, & valida?

R. Antequam propositæ Quæstioni satisfactum eamus, nonnulla præmonuisse oportet, quæ inserviunt qua rei illustrandæ magis, qua adversæ partis argumentis retundendis.

I. Ut Indulgentiarum elargitio rata sit ac valida, *rationabilis*, ac *justa* caussa intercedat necesse est. Hoc sane extra omnis controversiæ aleam positum arbitramur; siquidem id apertis verbis definivit Clemens VI. Extravag. *Unigenitus: De Pœnitent. &c.* ac Theologi ad unum omnes fatentur. Lege Cl. Estium *in IV. Sentent. Dist.* 20. §. 9.

II. Ad hanc justam caussam constituendam haud requiritur, ut opus præscriptum tantæ satisfactionis vim contineat, ut universæ pœnæ debitum compenset, quod per Indulgentias remittendum est. Etenim hac ratione Indulgentia *remissio* non esset, sed aut *redemtio*, aut *commutatio* poenitentiæ.

III. Ad justam caussam constituendam duo ut plurimum requiri; primo finem aliquem pium, ac Deo gratum, cujus adsecutio magis Deo placeat, quam pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentias relaxatur. Secundo opus aliquod, per quod revera finis ille probabiliter obtineri possit. Nam si finis quidem valde Deo

placeat, sed per opus injunctum nullo modo obtineri possit, non videtur justa caussa Indulgentias impertiendi. Ita E. G. non est justa caussa concedendi Indulgentias, quas vocant *plenarias*, recitatio solius Orationis Dominicæ pro Hæreticorum conversione; quoniam tametsi isthæc conversio res sit maxima, ac Deo gratior, quam laborum pœnitentiæ perpessio, haud tamen facile sperari poterit isthæc conversio, per hanc solam, eamque brevissimam Orationis formulam.

IV. Non requiri ad proportionem caussæ cum Indulgentia constituendam, ut opus injunctum sit in se valde meritorium, (quamvis hæc etiam spectanda sint) ac satisfactorium, vel difficile, ac laboriosum: sed requiri, ut sit medium aptum, & utile ad adsequendum finem, cujus gratia Indulgentia conceditur. Atque hac ratione fieri potest, ut propter opus in se leve, ac facilius, non levis, imo magna Indulgentiarum vis obtineri possit; quoniam opus illud leve, ac facile est medium aptum ad adsequendum finem Deo gratissimum. Hujusmodi est assistentia illa pro foribus Basilicæ S. Petri, dum Pontifex solemni ritu populo benedicit die Paschæ, pro qua assistentia conceditur Indulgentia plenaria. Etenim illa populi frequentia eo loco, ac tempore est medium aptum, ac utile ad protestationem Fidei de Capite Ecclesiæ, atque ad ho-

honorem Sedis Apostolicæ, qui est finis illius Indulgentiæ.

Huc quoque referendam arbitrarer Indulgentiam illam, quam testante Cardin. Pallavicino *Histor. Concil. Trid. Cap.* 1. *Lib. II.* concessam novimus per Leonem X. Pontif. Max. omnibus legentibus librum, quem Rex Anglorum Henricus VIII. adversus Lutheri errores conscripserat. Etenim licet forte illa lectio leve quidquam videretur, atque operis satisfactorii conditione carere posset, plurimum tamen conducebat ad finem summopere Deo acceptum; cujusmodi erat conservatio integritatis Fidei, & Lutheranæ impietatis execratio. Lege doctissimum Cardin. Cajetan. *Tract.* 15. *De Indulgent. Cap.* 8. & Pallavicin. *Histor. Concil. Trident. Lib. II. Cap.* 4. ubi doctrinam Cajetani De Indulgentiis refert, ac magis illustrat.

V. Non eodem modo judicandum erit de caussa Indulgentiæ, cum datur uni particulari, ac cum datur pluribus in communi. Etenim cum datur uni particulari, opus injunctum isti soli, oportet, ut sit proportionatum fini, pro quo datur Indulgentia. At cum datur in commune multis, non est necesse, ut opus singulorum, sed tantum ut opus omnium sit proportionatum fini. Sic E. G. conceditur Indulgentia septem, aut decem annorum, aut etiam plenaria erogantibus certam pecuniæ summam ad ædificatio-

nem Ecclesiæ, Xenodochii, quibus maxime opus sit.. Atque hac etiam ratione conferentes modicam eleemosynam, ad naves exstruendas contra Turcas, aliosqe infideles hic apud nos magnam Indulgentiarum vim, ac maxima privilegiorum commoda consequentur per Bullam nostræ Cruciatæ.

VI. Dictum est supra plerumque in justa caussa duo requiri, finem & media ad illum; quoniam aliquando solus finis satis esse videtur sine opere injuncto, cum finis non pendet ab aliquo opere, & per se sufficit ad Indulgentiam efficiendam. Sic olim ad preces Martyrum concedebatur lapsis Indulgentia, sive relaxatio Pœnitentiæ, neque ipsis ullum opus injungebatur; quia caussa justa hujusmodi Indulgentiæ concedendæ satis erat, Christifideles hac agendi ratione accendere ad supplicia, & mortem ipsam pro Christo alacritter subeundam; neque finis hic aliquo opere indigebat. Sic etiam quibusdam de Ecclesia benemerentibus conceditur in articulo mortis Indulgentia, neque ipsis quidquam operis imponitur; cum præcedentia merita in Ecclesiam conjuncta cum extrema necessitate constituunt justam caussam ad hanc Indulgentiam impertiendam. Quare dari poterit Indulgentia sine opere aliquo injuncto, at numquam sine iusta caussa. Postremo illud etiam hic animadvertisse proderit, quod in hanc quoque rem observat Cl. Bossuetius *in Me-*

Meditat. pro temp. Jubilæi consider. 5. *Punct.* 7. scilicet nihil officere ad effectum Indulgentiarum consequendum, quod opera præscripta pro Indulgentiarum adsecutione, & Jubilæi leviora videantur, & sint, quam ut rationabilem compensationem exhibere possint pœnarum alterius vitæ; quoniam innumeri prope, ac maximi nominis Doctores, quorum nonnulli Pontificio stemmate decorati fuere, edocuerunt, opera pœnitentialia, quæ præscribuntur communiter, veluti materia Indulgentiarum, illa adeo evehi propter augmentum fervoris, quem Indulgentia Sanctis Poenitentibus inspirat, ut consociata meritis infinitis Sanguinis Christi, & Sanctorum meritis per gratiam Indulgentiarum evehi possint ad producendam perfectam purgationem. His itaque præmissis ad propositam Quaest.

Respond. & dico: Ut Indulgentiarum elargitio rata sit, ac valida, opus est, ut in illarum concessione caussa adsit proportionata quantitati Indulgentiæ concessæ.

Prob. I. Christi Ecclesiæ, ejusque Prælatis concessa est prudens dispensatio Thesauri Ecclesiæ, non crudelis dissipatio, seu dilapidatio. Sed per Indulgentiarum concessionem justæ, ac proportionatæ caussæ non innixam temere profunditur, dissipatur, ac dilapidatur Thesaurus Ecclesiæ. Ergo nefas est istud moliri, sive Indulgentias sine justa, ac proportionata

caussa impertiri. Æque enim Thesaurus Ecclesiæ puosunditur, dissipatur, ac dilapidatur, cum Indulgentiæ nulla omnino justa caussa concurrente, aut cum sine ulla omnino caussa conceduntur. Qui ergo ex levi caussa ac minime proportionata magnam Indulgentiarum vim profundit, non prudens Ecclesiæ Thesauri dispensator, sed potius crudelis dissipator, ac dilapidator dicendus est; ac proinde excedendo limites delatæ sibi potestatis in irritum cadat Indulgentiarum concessio necesse est.

Prob. II. Ut Indulgentiarum elargitio rata sit ac valida, rationabilis caussa legitima, & conveniens interveniat necesse est. Id enim & antea probatum, ac disserte docet Angelicus his verbis: *Potestas faciendi Indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere prout vult, caussa tamen existente legitima. In Suppl. Qu. 26. art. 3.* Et in IV. *Dist.* 45. *Q.* 2. *art.* 3. *Quæstiunc.* 2. *Ad hoc ut Indulgentiæ valeant, requiritur caussa conveniens Indulgentias faciendi*. Sed caussa isthæc nequit esse *rationabilis*, *legitima*, *&* *conveniens*, nisi sit proportionata quantitati Indulgentiæ concessæ. Etenim caussa, quæ *rationabilis* est ad parvulam Indelgentiam, *rationabilis* non est ad magnam & eximiam, cum non sit proportionata eidem; & caussa, quæ cum suo effectu proportionem non servet, nequit censeri legitima & conveniens respectu il-

illius, uti ex verbis ipsis patet. Ergo ad valorem Indulgentiæ caussa proportionata ejusdem quantitati interveniat necesse est. Lege Bellarminum in de Indulgentiis *Lib. I. Cap. 12.* Salmanticens. *ad Apped. Bull. S. Cruciat. Cap. 2. Punct. 3. n. 45.* Juvenin. *Disp. 12. De Indulgent. Qu. 5. Cap. 3.* aliosque doctissimos, ac sapientissimos Theologorum.

Illud tamen maxime erit animadvertendum cum doctissimo Suaresio *tom. 4. in 3. P. Disp. 54. Section. 3. n. 9.* aliisque, nimirum quod si quantitas promissæ Indulgentiæ excedat debitam proportionem caussæ pro qua concessa erit, non erit invalida nisi quantum ad partem illam, quæ excedit, non vero quantum ad partem, quæ proportionem servet cum justa caussa. Etenim qui majorem Indulgentiam concedit, eo ipso minorem in illa inclusam concedere in animo habet; ac proinde licet illa major sit invalida, cum ad illam desit caussa proportionata, sua tamen validitate non carebit illa minor Indulgentia, cum non desit neque potestas, neque caussæ proportio relate ad ipsam. Vide Salmant. *loc. cit. n. 53.* Nisi etiam malis dicere cum Cl. Navarro, quod mens Pontificis concedentis maximas Indulgentias pro levibus rebus, non est, ut quicumque illas quoquo modo fecerit totam illam consequatur, sed quod intra metam Indulgentiæ illius quisque quærat, ac lucretur tantam, ad quan-

quantam concedendam illius parvæ rei executio majori, vel minori pietatis, ac religionis sensu facta sufficiet. *Not. XV.*

At dices cum D. Thom. *Caussa remissionis pœnæ in Indulgentiis, non est nisi abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ se habet sufficienter ad totam pœnam expiandam; non autem caussa remissionis effectiva est, vel devotio, aut labor, aut datum recipientis, aut caussa pro qua fit Indulgentia. Unde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ, quæ semper superabundant, & ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur.* In *Supplem. ad 3. Part. Qu.* 25. *art.* 3. Ergo ex allatis D. Thom. verbis meridiana luce clarius patet nihil opus esse ad Indulgentiarum validitatem, ut caussa propter quam impertiuntur, sit proportionata earumdem quantitati. Quare adhuc luculentius concludit. *Unde & quæcumque caussa adsit* (h. e. sive magna, sive parva, uti ex ejus verbis liquet) *quæ in utilitatem Ecclesiæ vergat, & honorem Dei, sufficiens est ratio Indulgentias elargiendi.*

℟. *Non oportet ad aliquid horum* (h. e. ad caussam pro qua fit Indulgentia &c.) *proportionare quantitatem remissionis* in sensu Guillelmi Antisiodorensis, aliorumque concedo; absolute loquendo, nego. Contendebat enim laud. Theologus, aliique, quos eo loci refellit Angelicus, ne-

necessarium esse, ut opus præscriptum ab Indulgentiarum ministro, æquivaleat quantitati remissionis, quæ per Indulgentias conceditur. Hoc autem perquam merito rejicit Angelicus Præceptor; siquidem hoc admisso, *Indulgentiæ non valerent ad remissionem; sed magis ad commutationem quamdam*, neque essent absolutiones, aut juridicæ laborum pœnitentiæ relaxationes, sed potius commutatiooes quædam, aut redemtiones. At non rejicit hanc doctrinam Angelicus in sensu, quem nos tradidimus, & Theologorum adsensu firmavimus, hoc est de proportione quadam servanda in concessione Indulgentiarum inter quantitatem remissionis cum caussa, pro qua fit, tam ex parte concedentis Indulgentiam, quam ex parte recipientis.

Quæ autem ultimo loco objiciebantur ex eodem Angelico nulla etiam ratione officiunt nostræ adsertioni. Quandoquidem, dum ait Angelicus quamcumque caussam piam esse sufficientem rationem Indulgentias elargiendi, intelligendus erit de ea caussa, quæ esset *conveniens*, & *proportionata*; siquidem ad valorem Indulgentiarum exposcit Angelicus caussam *convenientem*, ac *legitimam*, quæ idem sunt, ac caussa proportionata, uti ostendimus; alioquin sequeretur, quod *posset Prælatus pro suo arbitrio animas e Purgatorio liberare*; quod esset contra mentem,

tem, ac doctrinam Angelici Præceptoris, cum hoc ipsum disertis verbis eodem loco refellit.

Hæc sane idcirco fusiori calamo adduximus, ne quis forte suspicari posset Angelici Præceptoris doctrinam, quem omnes veluti e cœlo demissum ad erudiendam Ecclesiam novissimis temporibus pro sua sapientia merito suspicere debent, longe dissentire a proposita nostra sententia. Lege Juvenimum laud. *Cap.* 3. *Qu.* 5.

Ceterum in quavis Indulgentiarum concessione merito præsumendam esse dicemus hujusmodi proportionem caussæ cum quantitate relaxationis per Indulgentias impertitæ; nisi fortasse evidens pateat excessus; tum quia necesse non est, ut caussa reipsa, & in se sit proportionata ad dictam Indulgentiarum quantitatem, (hoc enim fere impossibile deprehenditur, æqualitatem nimirum, ac proportionem inter caussam, & Indulgentiam semper attingere, & invenire) sed tantum, ut ita esse judicetur secundum prudentem concedentis æstimationem. Tum etiam quia semper præsumendum erit, Pontificem in concedendis Indulgentiis respexisse ad caussam sufficientem; & opus præscriptum, licet alioquin in se levissimum videatur, conjunctum, tamen cum aliis operibus a Fidelibus præstandis satis conducit ad finem a Pontifice sibi propositum. Quod sane sufficere ad justam, & pro-

proportionatam caussam constituendam in Prænotatis ostendimus *num. IV.* At de his fortasse satis superque; nunc ad reliqua, quæ supersunt, quæque magis instant accedamus.

§. II.

Do conditionibus necessario requisitis ad Indulgentiarum consecutionem.

INter alias conditiones, quas universus Theologorum coetus duce D. Thoma nobis tradidere veluti necessarias ad adsequendum Indulgentiarum fructum, requiritur vel cum maxime, uti verbis utar D. Thomas *unio ejus, cui dispensatur* (Indulgentia) *ad eum, qui merebatur* (h. e. ad Christum) *quod est per Caritatem.* In *Suppl. 3. Part. Qu. 25. art. 3. in corp.* Caritas porro cum parens sit generatioque virtutum, reliquas omnes dispositiones, sive conditiones ad percipiendos Indulgentiarum fructus suo veluti fœcundo sinu complectitur, atque concludit. Etenim, ut Apostoli verbis opportune utamur: *Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ* (*Ad Philipp. Cap.* 4. 7. omnia instaurantur, & continentur in sola Caritate. Deinde cum præclari Indulgentia-

tiarum fructus per Ecclesiam non promittantur nisi *vere pœnitentibus*, & *contritis*, uti in ipsis Indulgentiarum Bullis sæpissime per Romanos Pontifices declaratum alibi diximus, & *cum pœnitentiam certam non faciat nisi amor Dei*, juxta celebratissimum Augustini effatum; nemo non videt solam Caritatem reliquas omnes dispositiones, sive conditiones necessarias ad fruendum Indulgentiarum effectibus, & efficere, atque in se continere. At licet hæc verissima sint, uti cuivis patet, non pauca tamen, quæ spectant ad hoc argumenti genus illustrandum, distincte, ac diligentius erunt nobis enucleanda; eo potissimum, quia cum praxim maxime respiciant, Fidelibus, atque conscientiarum moderatoribus utilissima fore non temere nobis pollicemur.

Q. I. *Num in quavis Indulgentiarum concessione necessario requiratur, ut sit Fidelis baptizatus, qui earumdem effectu frui exoptet?*

R. Affirmat. Etenim Indulgentiæ, uti vel ex ipsa vocis notione liquet, proprie non sunt nisi remissiones, sive absolutiones a pœna temporali debita, ac post peccata dimissa superstite, licet etiam in se contineant vim solutionis, uti antea ostendimus. Sed hujusmodi absolutiones in nullos, nisi in subditos conferri possunt, sunt enim actus judiciariæ potestatis. Ergo cum nullus Ecclesiæ subditus reputandus, nisi sit Fidelis baptizatus, atque

Ec-

Ecclesiam per baptismi januam fuerit ingressus, uti loquitur Trident. nullus etiam nisi Fidelis baptizatus Indulgentiarum fructu gaudere poterit.

II. Indulgentiarum elargitio aliud profecto non est, uti patet, quam Thesauri Ecclesiæ dispensatio, quæ a Pontifice fiat per Clavium potestatem. At isthæc in solos subditos exerceri potest, uti res ipsa per se loquitur. Ergo soli Fideles baptizati, qui sunt subditi Ecclesiæ, atque inter Ecclesia membra visibilia computantur, Indulgentias lucrari poterunt.

Hinc Alexander III. rogatus ab Archiepiscopo Cantuariensi, utrum remissiones, quæ fiebant in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus symbolam, aut eleemosynam ad ædificationem pontium, aliis prodessent, quam iis, qui Remittentibus Episcopis subessent, ita respondit: *Hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod cum a non suo judice ligari nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo, quibus ut prodessent, proprii Judices specialiter indulserunt. Cap.* Quod autem 4. *De Pœnit. & Remiss.*

Hæc autem dicta intelligantur oportet, uti patet, de Indulgentiis collatis *per modum absolutionis*. Num vero Catechumeni lucrari possint Indulgentias *per modum suffragii*, si Fide, & Caritate Christo Capiti sint connexi late disputant Sal-

Salmantic. *Append. ad Bullam S. Cruciatæ Cap.* 1. *Punct.* 7. atque in affirmativam sententiam, utpote magis piam, ac probabiliorem descendunt, eamque multis tuentur argumentis. Lege laud. Theolog.

Juxta quam sententiam poterit quis recepta nostra Bulla S. Cruciatæ; & collata eleemosyna ad destinatum opus Indulgentias per illam concessas, poterit inquam pro defuncto Catechumeno applicare *per modum suffragii*. Nobis enim per memoratam Bullam S. Cruciatæ specialiter datum fuit, ut peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes per illam concessæ, possint applicari *per modum suffragii Animabus Christifidelium Defunctorum, quæ Deo in Caritate conjunctæ ab hac luce migraverint*; e quorum numero expungendi non sunt, uti videtur, Catechumeni prædicti, si Fide, & Caritate sint ornati.

Quod quidem apertissime docent laud. Salmanticens. *loc. cit. num.* 73. loquentes De Bulla Cruciatæ Hispanica, per quam concessæ Indulgentiæ, etiam pro defunctis applicari poterant rejectis argumentis, sive dubitationibus. Suaresii, qui *Tom. IV. in* 3. *Part.* D. Thom. *Disp.* 53. *Sect.* 4. *num.* 8. oppositum non obscure sentire videbatur.

Q. II. *Num Indulgentiæ nostræ Bullæ, aliaeve hujus generis possint per modum suffragii transferri in excommunicatos tole-*

leratos defunctos, qui in gratia ex hac vita decesserint, nec per ipsos steterit, quominus ab hujusmodi censura absolverentur?

R. Affir. I. Dubium enim non est, quin pro excommunicatis hujusmodi, de quibus loquimur, possit sacrificium Missæ, aliaeque publicæ Orationes offerri, cum ipsi ad Christi corpus pertineant, & Christo Capiti, & Fide, & Caritate conjuncti ex hac luce migraverint. Ergo pro iisdem juvandis Indulgentiæ nostræ Bullæ, aliaeve poterunt *per modum suffragii* transferri. Nulla enim est potior ratio, quare dicamus illos esse admittendos ad communicationem fructus satisfactorii sacrificii Missæ pro iisdem oblati, minime vero ad communicationem fructus Indulgentiarum *per modum suffragii*. Ergo &c.

II. Indulgentiæ nostræ Bullæ possunt *applicari per modum suffragii animabus Christifidelium Defunctorum, quæ Deo in Caritate conjunctæ ab hac luce migraverint*, uti liquet ex verbis concessionis ejusdem nostræ Bullæ. Atqui hujusmodi sunt excommunicati prædicti, de quibus loquimur, uti satis per se patet. Ergo &c. Lege Salmanticenses laud. *Append. De Bull. S. Cruciat. Cap. 1. Punct. 8. n. 85. & seqq.*

Illud tamen opportune monent iidem Salmanticenses *num.* 89. nimirum, ut Indulgentiarum fructus iisdem excommuni-

catis

catis proficiant, faciendam esse specificam pro ipsis applicationem; neque enim sufficiat generalis intentio pro omnibus Fidelibus. Nam in generali intentione quisque censetur semet conformare cum intentione Ecclesiæ, quæ licet Fidelibus indulgeat, ut pro excommunicatis toleratis Indulgentias applicare possint, non tamen intendit eas applicare, neque illos ad earundem participationem admittere, nisi fidelis Indulgentiis sibi concessis uti velit, *specifice* pro illis applicando.

Dices: Constantiensis Concilii Constitutio, quæ incipit *Ad evitanda*, licet Fidelibus permittat omnem communicationem cum toleratis tam in civilibus rebus, quam in sacris, disertissimis tamen verbis expresse declarat, se nullum officium, aut beneficium ipsis excommunicatis per hujusmodi Constitutionem velle conferre: *Per hoc tamen*, inquit, *non intendimus ipsos excommunicatos in aliquo relevare, aut quomodolibet suffragari*. Atqui non exiguum beneficium eis exhiberetur contra mentem Concilii, si ipsi excommunicati hujusmodi, licet defuncti, in partem vocarentur fructus Indulgentiarum a Fidelibus, Indulgentias eisdem applicando *per modum suffragii*. Ergo &c.

R. Propositam per nos sententiam minime refragari Constantiensi Decreto, si penitius res ipsa introspiciatur. Nam I. Constantiense Decretum respicit potius excommunicatos toleratos dum in vivis

de-

degunt, ut ipsi hac privatione communium Ecclesiæ suffragiorum perterriti, quam citissime ab excommunicationis vinculo absolvi, & peroptent & curent; cum autem e corpore soluti fuerint, sicuti libera erit cuique Fideli suffragiorum pro iisdem applicatio, ita & fructus ejusdem applicationis ex solius Dei judicio dependet. II Iidem excommunicati tolerati per mortem e foro Ecclesiasticæ jurisdictionis erepti, quemadmodum in illo rerum statu censurarum vinculo per Ecclesiasticam potestatem obstringi haud poterunt; ita nec censurarum effectus sentire. III. Quidquid beneficii hac in re continetur, potius confertur Christifidelibus applicantibus suffragia, sive Indulgentias, atque in eorumdem spiritualem utilitatem primo, & principaliter redundat; licet etiam aliquo modo hoc ipsum cedat in commodum istorum excommunicatorum, qui tolerati dicuntur. Etenim Christifidelibus nostri Regni elargientibus eleemosynam ad destinatum opus concessionis Bullæ S. Cruciatæ datum est, ut Indulgentiis, quæ tum Confraternitatibus nostri Regni concessæ fuerunt, tum stationibus Almæ Urbis affixæ fuerint, potiri per se valeant, aut easdem *per modum suffragii* applicare possint animabus Christ-fidelium defunctorum. In hac porro posteriori hypothesi, cum ipsæ Indulgentiæ ad hujusmodi excommunicatos *per modum suffragii* transferuntur, præcipua uti-

utilitas est ipsius Christifidelis applicantis hujusmodi Indulgentias ratione meriti, quo cumulatur, propter opus caritatis, quod exercet: licet etiam isti excommunicati tolerati, de quibus loquimur, *indirecte*, & ipsi non leve inde spirituale commodum consequantur applicatione Indulgentiarum pro iisdem facta. Qua quidem in re nihil absurdi, nullum inconveniens deprehenditur, nec Constantiense Decretum inde evertitur, uti cuivis patere arbitramur. Lege laud. Salmanticens. laud. *Append. De Bull. S. Cruciat. Cap.* 1. *Punct.* 8. *n.* 88.

Q III. *Utrum ille, qui lucraturus est Indulgentias, oporteat ut sit in gratia, & caritate?*

R. Affir. Etenim, uti audivimus ex D. Thoma loco laud. ad consequendos Indulgentiarum fructus, *requiritur unio ad eum, qui merebatur*, h. e. ad Christum. Hoc autem non contingit nisi per Caritatem, qua Christo Capiti tamquam membra viva connectimur. Ergo &c.

Prob. II. Ratione theologica: Indulgentia nihil aliud est, uti antea diximus, quam *relaxatio pœnæ temporalis pro admissis peccatis debitæ*. Sed isthæc relaxari nequit nisi dimissa culpa. Ergo &c. Impossibile enim est hominem culpæ reatu obstringi, & non manere obnoxium pœnæ, tum temporali, tum æternæ, aut ab earundem debito posse exsolvi.

Hinc rectissime pro suo more D. Thom.

Qui

Qui non est consecutus operationes Dei in remissione culpæ, non potest consequi remissionem pœnæ a Ministro Ecclesiæ, neque in Indulgentiis, neque in foro Pœnitentiali. In *IV. Sent. Dist.* 20. *Q.* 2. *art.* 5. *Quæstiunc.* 1.

Prob. III. Indulgentia, seu isthæc relaxatio pœnæ temporalis, aliud non est, quam applicatio satisfactionis Christi homini facta. Sed hujusmodi applicatio meritorum Christi, ejusque satisfactionum non fit nisi hominibus Deo adhærentibus, ac conjunctis per gratiam, & caritatem. Ergo in homine inimico, atque a Deo averso per peccatum illa applicatio satisfactionis, aut Indulgentia locum habere non potest.

Hinc in elargitionibus Indulgentiarum Romani Pontifices semper protestati fuere sese hujusmodi Indulgentias non concedere, nisi *vere pœnitentibus*, *contritis*, ac *confessis*. Et Leo X. in quadam Decretal. declarat Indulgentias posse conferri Christifidelibus, qui caritate jungente membra sunt Christi. Huc usque dicta intelligenda etiam sunt de homine peccati vinculis obstricto, quantum ad relaxationem pœnæ debitæ peccato lethali jam remisso, si quod fuerit, per pœnitentiam. Etenim applicatio Thesauri Ecclesiæ, sive satisfactionum Christi, nec licite, nec valide fieri potest contra voluntatem Christi; ac proinde homini peccato obstricto per Indulgentiam dimitti nequit

pœna pro peccatis debita, etiamsi illa fuerint jam remissa. Lege Salmanticens. laud. *Append. Cap.* 2. *Punct.* 4. *n.* 58. & Navarr. *Comm. De Indulg. Notab. XVII. n.* 3.

Hæc sane certissima sunt, atque exploratissima, ut quisque novit; verum ut luculentius pateant, maximopere enim ad praxim conducunt, advertere opus erit cum Clar. Estio in *IV. Sentent. Distinct.* 20. §. 8. nimirum tria tempora distinguenda esse in Indulgentia, quemadmodum & tres status hominis Indulgentias percipere cupientis; scilicet primo tempus illud, cum Indulgentiarum elargitiones indicuntur, ac promulgantur: Secundo tempus illud, cum quis opus pro adsequendis Indulgentiis præscriptum exsequitur. Tertio demum tempus illud, cum quis Indulgentiarum fructus actu sit recepturus. Sic etiam in homine primo distinguendus est status peccati, seu cum quis est in affectu peccati; secundo status pœnitentiæ, seu cum quis est extra affectum peccati: tertio status gratiæ. His positis,

Dico: *Eo præcise tempore opus est, ut homo sit in statu gratiæ, & caritatis, cum actu recepturus est Indulgentiarum fructum.*

Hujus adsertionis ratio patet ex dictis; nempe quod relaxatio pœnæ non impertitur, nisi culpæ reatu prius dimisso per pœnitentiam. Atqui culpæ reatus dimitti nun-

nunquam poterit, nisi per infusionem gratiæ, quemadmodum id, uti Fide credendum proponit Tridentina Synodus *Sess. VI. cap.* 7. Ergo eo præcise tempore quo quis actu recepturus est Indulgentiarum fructum, in gratia, & Caritate sit oportet.

Hinc sequitur I. Eo temporis momento, quo Indulgentiarum elargitiones indicuntur, & promulgantur, necessarius non est in homine Indulgentias postea percipere volente, neque status pœnitentiæ extra affectum peccati, neque status gratiæ. Hujus rei ratio per se patet; licet enim aliquis eo temporis puncto sit in statu, atque affectu peccati, poterit tamen sese postea rite, & recte ad Indulgentias adsequendas disponere.

Sequitnr II. Cum quis opus exsequitur ad Indulgentias adsequendas præscriptum, sufficit, ut sit in statu pœnitentiæ, atque extra affectum peccati. Etenim nihil obstat, quominus aliquis in hoc statu pœnitentiæ, sive extra affectum peccati præscriptas conditiones pro Indulgentiarum adsecutione utiliter, atque efficaciter implere possit; dummodo eo temporis momento, quo Indulgentiarum fructum actu sit recepturus, seu cum ultimum opus ad Indulgentias adsequendas præscriptum exsequitur, sit in statu gratiæ. Ita laudatissimus Theologus *loc. cit.*

Hinc etiam colligitur III. In illa insi-

gni Jubilæi Indulgentia statis temporibus ad nos recurrente, in qua plures Ecclesiarum visitationes variis diebus, vel sese invicem consequentibus, vel interruptis perficiendæ, aliaque hujusmodi pia opera præscribuntur ad consecutionem istiusmodi eximiæ Indulgentiæ; haud opus erit, ut omnia isthæc in statu gratiæ fiant; dummodo tamen peragantur in statu pœnitentiæ, atque extra affectum peccati; atque in statu gratiæ Christifidelis constitutus reperiatur, cum ultimum ex præscriptis piis operibus exsecutioni demandetur, sive cum plenariæ Indulgentiæ fructus erit actu recipiendus. Etenim hujusmodi visitationes Ecclesiarum licet peractæ tantummodo in statu pœnitentiæ, atque extra affectum peccati, opera sunt moraliter bona, quamvis minime æternæ vitæ meritoria; licet opera sint hominis Deo inimici, illius tamen inimici sunt, qui sese ad reconciliationem cum Deo præparat, atque disponit. Quare rectissime Navarrus *Comm. De Jubilæo*, & *Indulgent. Notab.* XXXII. *n.* 44. docet, *Visitationes has Ecclesiarum fieri debere bene, & quidem recte; nam licet pro adserta cum communi non sit necessarium, ut fiant in statu gratiæ; necessarium tamen est* (& sufficit), *quod sint actus boni moraliter*.

Propositam hanc nostram doctrinam communissimam inter Theologicarum rerum Tractatores deprehendimus, cui favet etiam

etiam publica Fidelium consuetudo Pontificibus non ignota, neque ab iisdem unquam improbata; sed potius confirmata, uti mox videbimus. Et licet Natal. Alexander *in suo Theolog. Dogmatic. & Moral. Lib. II. De Indulgentiis Cap. 3. Reg. XI.* hanc ipsam in dubium revocare, atque oppositam suadere adnixus fuerit, proposita tamen ab ipso argumenta haud rem conficiunt. Imo hanc ipsam sententiam, quam modo proposuimus, laudatissimus Pontifex Benedictus XIV. illustrat, docet, atque suamet Pontificia auctoritate confirmat his verbis: *Quoniam, licet quoad nos, magis ac magis semper in votis habeamus, ut visitatio Ecclesiarum in statu gratiæ fiat, ac proinde vel post fructuosam Confessionem, vel saltem post contritionis actum; reputantes tamen non omnia quæcumque optamus posse semper contingere, humanamque fragilitatem commiserari opus esse, a fructu Indulgentiæ minime excludendos illos existimavimus, qui non præmissa Confessione visitationem Ecclesiarum incipiunt, ac prosequuntur, dummodo quando opus ultimum perficiunt, in quo Indulgentia adquiritur, in statu gratiæ sint; ac dummodo visitationes ipsæ cum sensu devotionis perficiantur. In Bulla* Peregrinantes *legitur: devote visitaverint. Ep. Encycl. De Quæstion.* olim excitat, circa opera injuncta pro acquisitione Jubilæi ad Pœnitentiarios &c. §. 8. *n. 76.* Hinc in Bulla *Peregrinantes* ab

 eodem

eodem laud. Pontifice emissa pro Indictione Jubilæi Anni S. licet vetustus ordo superiorum Pontificum servatus appareat, ut prius *Confessio*, quam visitationes Ecclesiarum peragendæ, indicetur; in Bulla tamen *Convocatis* ad eosdem Pœnitentiarios pro eodem Anno Jubilæi deputatos *num.* 44. declarat: *Confessionem*, *& Communionem pro hoc Jubilæo consequendo injunctas, non necesse est visitationibus quatuor Ecclesiarum præmittere. Satis erit vel in hujusmodi visitationum decursu, vel etiam post easdem visitationes expletas, Confessionis, & Communionis Sacramenta suscipere.*

Quapropter consilii loco habendum erit, quod præscribit S. Carolus *Act. Eccl. Mediolan. Part.* 7. quod ex ejusdem verbis satis colligitur: cum inquit: *Curent singuli omnes a Sanctitate sua impositas pro lucrando Jubilæo conditiones observare, illud alias non consecuturi, si eas omiserint. Prima est, ut vere contriti, peccata deponant, quodsane omnes, priusquam Ecclesiarum visitationem incoeperint, juvat egisse, ut Jubilæi consequendi legibus se satisfecisse, hoc modo certiores fierent.* Lege laud. *Encycl.* §. 8. *n.* 73.

Q. IV. *Num ad capessendos Indulgentiarum fructus satis erit opus præscriptum pro Indulgentiarum adsecutione, quocumque ex fine, licet pravo, exsequi?*

R. Neg. Etenim actus pravus, sive propter pravum finem elicitus, nequit ad ho-

honorem, & gloriam Dei conducere, neque ad prædictum finem ordinari, cum hac ratione Deo maximopere displiceat. Sed Pontifex, cum opera ad Indulgentiæ adsecutionem requisita præscribit, id ex motivo, & fine divini honoris facit, atque ad hunc finem in concessione Indulgentiarum illa eadem ordinat. Insuper ad Indulgentiarum adsecutionem requiritur opus, quod Deum moveat per modum intercessionis ad impertiendum Indulgentiæ effectum; ac proinde uti fiat in statu gratiæ, vel animo saltem pœnitenti. Atqui hujusmodi non possunt esse opera ex pravo fine elicita, atque malitiæ labe inde fœdata; cum ista Divinam ultionem magis provocant. Ergo &c. Hinc rectissime Navarrus docet: *Quod non sufficit quoquo modo efficere id, quod pro Indulgentia consequenda est faciendum; sed oportet illud bene moraliter facere, adeo quidem si in eo conficiendo, vel venialiter peccarent, non adquiretur Indulgentia secundum mentem Hadriani. Comm. De Jubilæo, & Indulg. Notab XIX. n. 6.*

Et laudatissimus Pontifex Benedictus XIV. laud. *Encycl. ad Pœnitent.* laud. §. 8. *num.* 76 ita ad rem nostram docet, ac præcipit: *Ad injunctum igitur visitationum opus adimplendum, necesse est, ut visitatio fiat consilio, atque animo exhibendi honorem Deo, & Sanctis ejus; ut tam in itinere, quam ad easdem ingrediendo, modeste incedatur; atque in hisce aliquis re-*

religionis actus exerceatur. Ex quo deduci potest, quod si quis nullo pio fine, sed mera ductus curiositate visitatum Ecclesias se confert, aut animi relaxandi, seu quod dicitur deambulationis habendæ gratia iter conficit, Jubilæum minime consequitur.

Hinc deducere quivis merito potest, ac debebit, minime prorsus adsentiendum Salmanticensibus laud. *Append. De Bulla S. Cruciatæ Cap. 2. Punct.* 4. *n.* 80. aliisque edocentibus, opus præscriptum pro Indulgentiarum consecutione licet ex pravo fine susceptum ac peractum, aut aliqua prava circumstantia vitiatum, ita ut moraliter peccaminosum evaderet, satis reputandum esse, ac suffiiens ad promissos Indulgentiarum fructus capessendos, modo per ipsum operantem ad hunc finem dirigatur. Neque argumenta ab iisdem depromta ad tutandam recensitam suam opinionem nihilum, aut parum proficere videntur. Si quidem neque legis præcepto satisfieri poterit per opus ex pravo aliquo fine susceptum ac peractum, aut prava circumstantia intrinsecus vitiatum; leges enim licet Ecclesiasticæ opus virtutis, atque actum honestum præscribunt, cujusmodi esse non potest opus illud ex pravo fine susceptum ac peractum, aut prava circumstantia intrinsecus vitiatum, cum ab ipsis, ac præcipue a fine proposito speciem desumat.

Q. V. *Num ad consequendam relaxationem a pœnis temporalibus, quæ pro ve-*

ne-

nialibus debentur, ab eorundem reatu solutum esse oporteat?

R. Affir. Etenim nullius peccati nisi per efficacem pœnitentiam retractati, poterit pœna eidem debita per Indulgentiarum fructum deleri, atque expungi; cum impossibile sit manente peccati macula, atque reatu, licet imperfecto, cujusmodi sunt venialia, uti docet Navarr. *Comm.* laud. *Notab.* X. *num.* 11. non manere obligationem ad pœnam illi respondentem. Necessario siquidem, atque ex divina Conditoris ordinatione, quod etiam noverat Poeta, *Culpam pœna premit comes.*

Hinc rectissime monent Theologi ad fructum Indulgentiæ, quæ *plenaria* dici solet, integrum percipiendum, opus esse, ut illam lucrifacturus, pectus, & animum ab omni etiam venialis peccati macula, & reatu immunem præ se gerat. Etenim cum isthæc Indulgentia universæ poenæ temporalis peccatis debitæ condonationem, ac relaxationem polliceatur, atque exhibeat; & cum quis a pœnis commeritis propter culpam solvi non poterit, nisi prius a peccati vinculis fuerit solutus; inde rectissime consequitur, istiusmodi Plenariæ Indulgentiæ integrum effectum obtineri non posse, nisi immunitas adsit a quocumque licet veniali peccato. Ita eximius Suaresius *Tom. IV. in* 3. *Part.* D. Thomæ *Disp.* 51. *Sect. II. num.* 4. ceterique communiter Theologi.

Q. VI. *Utrum Sacramentalis Confessio prævidat necesse sit, ut Indulgentiarum fructu quis potiatur?*

R. I. Si in formula concessionis adhibeantur hujusmodi verba, quibus Indulgentiæ impertiantur *vere pœnitentibus, & confessis*, sive *contritis, & confessis*; & tunc in hac hypothesi, non solum uti probabilius, verum etiam pro certo ac comperto habendum, actualem, sive Sacramentalem Confessionem omnino exposci tamquam opus injunctum ad promissos Indulgentiarum fructus capessendos.

Prob. I. Dispositio copulativa utriusque partis veritatem exposcit; uti constat ex *Leg.* Si heredis plures 5. *ff. De Conditionib. Institut.* & *Leg.* Si quis ita stipulatus 129. *ff. De Verb. Obligat.* Sed formula Indulgentiarum *contritis, & confessis*, quam attulimus, copulativam præ se gerit dispositionem. Ergo &c.

II. In dubio a proprietate verborum minime recedendum *Leg.* Non aliter 69. *ff. De Legat. & Fideicomm. Lib.* 3. eique tenaciter adhærendum, quoad ejus fieri potest, si nihil absurdi inde consequetur. Sed verbum *Confessis* in formula concessionis appositum, tum ex propria vocabuli notione, tum ex mente concedentis satis inde perspecta *actualem*, sive *Sacramentalem* Confessionem designat, non autem *Votum* ipsius Confessionis, quod in quovis homine vere contrito, ac pœnitente re-

reperitur. Neque inde aliquid absurdi, sed maxima potius utilitas in Christifideles Indulgentiarum fructus lucrifacturos redundabit, uti satis per se patet. Ergo per allatam concessionis formulam ad Indulgentiarum fructus percipiendos, actualem, sive Sacramentalem Confessionem requiri omnino certum ac compertum videtur.

III. Forma præscripta perquam diligenter est servanda ex *Leg.* Diligenter 5. *ff. Mandati &c.* & ex *Cap.* Pisanis 19. *De Restitut. Spoliator.* Sed formula allata concessionis Indulgentiarum utrumque præscribit, *Contritionem* scilicet, & *Confessionem*. Utrumque ergo sive conditionem, sive præceptum in forma præscripta adpositum compleri oportet, ut Indulgentiarum effectu quis perfruatur: Lege Navarr. *Comm. De Jubilæo, & Indulgent. Notab. XVIII.* & Salmanticens. *Append.* sæpius laud. ad Bullam S. Cruciatæ *Cap.* 2. *Punct.* 4. *n.* 60. *& seqq.*

His etiam accedit, quod propositam nostram sententiam magis, ac magis confirmat; quod illa non tam Theologorum, quam Sanctæ Romanæ Sedis opinio dicenda sit, quemadmodum testatur Benedict. XIV. mox adducendus. Siquidem cum in Congregatione Indulgentiarum propositum, ac quæsitum esset, num videlicet quemadmodum Missionarii, qui in regionibus infidelium morantur, licite Missæ sacrificium celebrant, præmisso

contritionis actu ob grave, aliquod, quod admiserint peccatum, cum non adsit Confessarius, nec debeant Fideles die festo Missa privari, ita consequendi Indulgentias, quæ conceduntur *vere pœnitentibus*, & *confessis*, capaces dicendi sunt facientes actum contritionis, nec præmittentes Confessionem. Congregatio respondit nequaquam eos esse capaces, verum exorandum esse Summum Pontificem, ut nova illos gratia reddat capaces, ut non facta actuali Confessione propter deficientiam Confessarii, solo contritionis actu ad Indulgentias consequendas idonei, atque habiles evadant, Clemens XII. hanc Congregationis resolutionem approbavit, & gratiam impertitus est. Laud. *Encycl. ad Pœnitent. &c.* §. 1. *num.* 6. Quapropter Navarro nullus puto adsentiri poterit, qui arbitratur, si quando in concessionis formula præscribitur Confessio, si justa caussa intercedente omittatur, ab Indulgentiarum participatione nullum inde excludi. *Notab.* XVIII. *n.* 14.

Insuper idem laudatissimus Pontifex Benedictus XIV. declarat hac formula vere *pœnitentibus*, & *confessis* actualem *Confessionem* semper intellexisse, ac semper deinceps intellecturum; quam Confessionem inter præscripta, atque adimplenda opera ad consequendas Indulgentias necessaria, repositam clare protestatur *loc. cit. n.* 7.

R.

R. II. Si in formula concessionis Indulgentiarum nulla occurrat Confessionis mentio; uti scilicet si *vere pœnitentibus* tantum, & *contritis* Indulgentiarum subsidia deferantur; tunc Confessio actualis requiretur tantum, & quatenus opus erit ad Indulgentiarum fructus capessendos; h. e. non tamquam aliquid necessarium ad illos percipiendos; uti cum præcipitur jejunium, aut eleemosyna, aut aliquid aliud hujusmodi, sed tamquam dispositio ad removendum obicem peccati, ut Indulgentia suum præclarum sortiri effectum possit; cum gratiæ status omnino sit ac necessario requisitus, uti antea abunde probatum. Quapropter si status gratiæ adsit, cum inde subjectum sit rite dispositum ad Indulgentiarum effectum adsequendum, haud erit præterea hoc onere, seu præcepto faciendi Confessionem gravandum.

Q. VII. *Num, cum præcipitur Confessio pro Indulgentiarum consecutione, istbæc Sacramentalis Confessio sit etiam præmittenda, cum quis solis venialibus gravetur?*

R. Affir. Licet enim Divinum Confessionis præceptum versetur tantummodo circa graviora, & lethalia peccata, atque hac etiam ratione Ecclesiasticum præceptum de annua Confessione facienda intelligant, atque interpretentur communiter Theologi; adeo ut adhærendo etiam sententiæ tutiori, recurrente annuæ Confe-

sessionis præcepto, illum, qui tantummodo venialium peccatorum conscientia gravetur, sufficiet se sistere proprio Sacerdoti, eique palam facere sese divina opitulante gratia a mortiferis peccatis esse immunem, & solis tantummodo venialibus obstringi; nihilominus aliter sese res habet in nostra hypothesi. Siquidem dum ad Indulgentias consequendas præscribitur Confessio, hoc præceptum intelligendum etiam illos obstringere, qui venialium tantummodo sese reos agnoverint. Oneri enim vel conditioni præscriptæ in concessione Indulgentiarum omnino est satisfaciendum, ut earundem effectus obtineri possit. Atqui hujusmodi est Confessio, quæ cum *absolute* præscripta occurrit, intelligenda erit tam circa materiam *necessariam*, & *sufficientem*, quam etiam circa *liberam*, ac *sufficientem*, qualis est Confessio tantummodo venialium. Ergo &c. Neque dubium est, quin possit Pontifex, si velit, expressis verbis injungere, ut qui Indulgentiam consequi velit, venialia peccata confiteatur, sicut injungit alia opera supererogationis; neque tamen inde consequeretur, quod venialia evaderent materia necessaria Confessionis; sed cum alias venialia sint congrua ejusdem Confessionis materia, illa quoque exigeretur, si visum esset, in acquisitione Indulgentiarum. Lege Benedict. XIV. laud. *Encycl.* §. 8. *n.* 7.

Hinc in Jubilæo Anni Sancti indicto, & con-

& concesso a laud. Pontifice ann. quinquagesimo hujusce labentis seculi per Bullam *Peregrinantes* ; cum Indulgentiæ concessæ essent *omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus*, & *confessis*; in Bulla *Convocatis* ad Pœnitentiarios apertissime edicitur Confessionem peragendam, esse intelligendam etiam de solis tantummodo venialibus per hæc verba, quæ leguntur *num.* 44. *Cum Confessio Sacramentalis in hoc Jubilæo sit opus injunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo, qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc lucrari Jubilæum velit.*

Q. VIII. *Quid si quis præmissa jam Confessione post incepta opera præscripta pro consecutione Indulgentiarum, incidat in lethale peccatum, utrum teneatur Confessionem iterare, ut optato Indulgentiarum effectu frui possit?*

R. Affir. Etenim cum Confessio præscripta referatur ad Indulgentiam, inde profecto consequitur, quod illhæc Confessio intelligenda sit de omnibus lethalibus admissis usque ad terminum, quo Indulgentiæ fructus obtinetur. Ac proinde in allata hypothesi haud satis erit solo contritionis actu in gratiæ statum sese restituere; sed omnino opus erit, ut iteretur Confessio. Hæc quidem confirmat idem Benedict. XIV. laud. Bulla *Convocatis num.* 47. per hæc verba: *Si quis post Confessionem peractam in lethale peccatum, quod Deus avertat, inciderit,*

an-

antequam omnia omnino opera pro Jubilæo hoc lucrando injuncta expleverit, Confessionem denuo præmittere debebit, priusquam ultimum saltem ex aliis injunctis operibus expleat, ut Indulgentiam hoc Jubilæo concessam consequatur.

Huic quoque oneri iterandi Confessionem ad perfruendum Indulgentiarum fructibus subjiciendus ille erit, qui in priori etiam rite peracta Confessione alicujus forte lethalis peccati fuerit oblitus, si ejusdem recordetur, antequam universa opera ad consequendas Indulgentias præscripta compleverit. Lege laud. *Encycl.* Benedict. XIV. §. 8. *n.*

Aliter tamen hac in re, nec omnino improbabiliter sentit Petrus Colet *Append. De Jubilæo* §. 6. *Qu.* 4. & Salmanticens. *Append.* laud, *Punct.* 4. *n.* 64. qui simul docent propositam nostram sententiam tunc locum habere, cum una cum Confessione precipiatur Eucharistica communio, ante cujus perceptionem omnia peccata mortalia memoria occurrentia clavibus Ecclesiæ directe exunt subjicienda.

Q. IX. *Utrum, quando Indulgentiæ conceduntur, hac formula*, vere pœnitentibus, contritis, & confessis, *sufficiat ad illas lucrifaciendas supernaturalis attritio conjuncta cum ipso Sacramento Confessionis?*

R. Affir. Quia isthæc supernaturalis attritio non raro nomine contritionis designari solet, uti videre est in Tridenti-

no

no *Sess. XIV. Cap.* 4. *De Contrition.* Insuper ad perfruendum Indulgentiarum effectu nihil aliud deposcitur a Pontifice per hujusmodi formulam a nobis allatam, quam verum, ac fructuosum Confessionis Sacramentum. Sed supernaturalis Attritio, modo voluntatem peccandi excludat, atque conjuncta sit cum spe veniæ hominem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit, uti docet ibid. Trident. Ergo verum, ac fructuosum efficiet Sacramentum; ac proinde rite homines disponit per Sacramentum Pœnitentiæ ad percipiendos Indulgentiarum fructus. Ita Salmanticens. laud. *Appen. De Bull. S. Cruciatæ Cap.* 2. *Punct.* 4. *num.* 62. Et Petrus Colet *Append. II. De Jubilæo* §. 6. *Qu.* 2.

Q. X. *Quo tempore peragenda peccatorum Confessio erit, quando in concessione Indulgentiarum una cum aliis operibus præscribatur?*

R. Ex constanti usu Fidelium, & Thologorum consensu nihil interesse, utrum Confessio præcedat cetera opera injuncta, an post illa completa fiat, ut antea ex communi Theologorum adsensu, & auctoritate Benedicti XIV. probatum ivimus. Confer huc, quæ dicta sunt *Qu.* 3. hujusce §. 2. Haud tamen inficiandum, neque etiam dubitandum, quin rectius; & consultius erit ille facturus, qui a Confessione prius incipiet, deinde reliquis perficiendis operibus in concessione injunctis

ctis sedulo, ac pie incumbat. Hac enim ratione, & Ecclesiæ intentioni amplius sese accommodabit, & abundantiores pietatis, & Caritatis fructus recipiet ex reliquarum operum exsecutione per Indulgentiarum copiosiorem mensuram: quod & adductis antea D. Caroli Borrhomæi verbis lectores pios monitos curavimus.

Quid si Confessio peracta fuerit paucis diebus ante concessionem Indulgentiarum, num satis reputanda erit pro illarum consecutione?

R. Si Confessio non requiratur tamquam pars operis injuncti, poterit fieri ante paucos dies, quam Indulgentiæ fuerint promulgatæ; secus vero, quando imponitur, tamquam opus injunctum. Nequit enim per actum satisfieri præcepto, antequam inceperit obligatio, uti docent Theologi communiter. Ergo per hujusmodi Confessionem peractam ante constituta tempora Indulgentiarum, conditioni, vel præcepto adposito de facienda Confessione ad lucrifaciendas Indulgentias satisfieri nequit, cum tempus obligationis nondum decurrere inceperit; nec ullum hujusmodi præceptum eo tempore exsisteret. Licet Cl. Navarr. *Comm. De Jubilæo, & Indulgent.* aliud sentire videatur *Notab. XXVIII. num.* 18. At quod initio proposuimus, nullus, arbitror, æqua mente præditus inficias ire poterit.

Silentio hic tamen prætereundum non erit Decretum Sacr. Congregat. juss-
Cle-

Clementis XIII. Die XIX. Maji anno 1759. editum in utilitatem, & commodum Christifidelium Indulgentiarum fructibus perfrui peroptantium, nempe quando in Bullis Indulgentiarum imponitur inter cetera opera præscripta Sacramentalis Confessio, dum quis reperiatur in statu gratiæ, & caritatis, si consueverit semel per singulam hebdomadam confiteri; aut in hebdomada antecedente diem Indulgentiarum non accesserit ad Sacramentum Pœnitentiæ quocumque legitimo impedimento detentus; hac in hypothesi haud opus erit ipsum confiteri ad Indulgentias lucrifaciendas, dummodo cetera præster per Bullam injuncta.

Q. XI. *Num præscripta Confessio in concessione Jubilæi possit differri usque ad diem Dominicam, quæ ultimam sequetur Hebdomadam?*

Hic primo adnotandum videtur, quod in Jubilæis extraordinariis, qui etiam *ad instar* vocitari solent, uti sunt illi, qui indicantur a quolibet Pontifice post sui electionem ad Pontificatum, isthæc formula adhiberi solet in concessione Indulgentiarum. *Iis, qui Ecclesias visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote Deum oraverint, ac quarta, & sexta Feria, ac Sabbato alterius ex Hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam sanctissima Communione refe-*

&i fuerint, & pauperibus eleemosynam erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem . . . concedimus, & elargimur. Legesis Bulllam Benedicti XIV. quæ incipit *Lætiora*, ubi Jubilæus indicitur propter evectionem ejusdem ad Summi Pontificatus apicem. His admonitis,

R. & dico: Licet ex adducta concessionis formula videatur Confessio peragenda intra spatium alterutrius hebdomadæ; ex privilegio tamen, ac consuetudine differri illa poterit usque ab diem Dominicam, qnæ postremam hebdomadam sequitur.

Dixi 1. *Licet ex adducta formula videatur Confessio peragenda &c.* Istud sat evincunt adducta concessionis verba, ut cuivis facile perspicere licet.

Dixi 2. *Ex privilegio tamen, ac consuetudine poterit differri usque &c.* Etenim licet dies Dominica proxime insequentis hebdomadæ initium sit, speciali tamen privilegio datum est, quemadmodum testantur Cardinal. de Lugo, aliique apud Colet laud. *Append. D. Jubil.* §. 6. ut cum agatur de Jubilæo haberi illa possit, ut complementum præcedentis hebdomadæ. Concurrit etiam vis consuetudinis pene universalis ad hanc praxim confirmandam, atque comprobandam. Nam cum usus invaluisset apud Fideles, ut confestim post exomologesin peractam ad Eucharisticam mensam accederent, inde

quo-

quoque factum est, usu ac consuetudine ita interpretante, ut præscripta Confessio peragi etiam possit prædicto die Dominico, quo Eucharistica Communio recipi poterit, aut debebit. Ita Petrus Colet laud. *Append.* & Bonacina *De Indulgent. Disp. VI. Qu.* 1. *Punct. V. Prop.* 3. *n.* 34.

Q. XII. *Num per Confessionem aliunde debitam, seu præceptam satisfieri possit oneri, vel conditioni impositæ de Confessione facienda ad Indulgentiarum fructus percipiendos?*

R. Neg. Etenim dum Pontifex in concessione Indulgentiarum præceptum Confessionis imponit Fidelibus Indulgentiarum effectu frui peroptantibus, non intelligit Confessionem ex præcepto faciendam, aut alia ratione debitam, sed voluntariam, neque aliunde debitam, tamquam conditionem necessariam ad lucrifaciendas Indulgentias. Profecto mens, atque animus Pontificis elargientis Indulgentias hac in re sat per se patet; quod sane ipsum ex aliis operibus injunctis quivis facile colligere poterit, quod nimirum ad Indulgentiarum fructus percipiendos exposcat omnino exsecutionem operis injuncti, non ex obligatione, aut aliquo ex debito ponendam, sed ex supererogatione. Propositam hanc sententiam nullus inficias ire poterit, cui probe comperta sint, quæ docent unanimi consensu Theologi circa satisfactionem Sacramentalem Poenitentibus per Confessarios imperatam; præter-

terquam quod illa sit rationi maxime consentanea, ut quisque per se persentiscere poterit. Lege hac de re Salmanticens. laud. *Append. Cap.* 3. *Punct.* 1. *n.* 5. qui ibidem perquam rectissime excipiunt singularem hunce casum, cum nempe ex circumstantiis recte colligi possit, vel debeat, aliam fuisse voluntatem Summi Pontificis elargientis Indulgentias.

Ex dictis utique facili negotio deducere quivis poterit per Confessionem ex Ecclesiastico præcepto peragendam, aut ex voti nuncupatione debitam, aut a Confessario loco satisfactionis imperatam, satisfieri haud posse voluntati Summi Pontificis præcipientis Confessionem ad adsecutionem Indulgentiarum, nec proinde illarum fructus pro condonatione scilicet poenæ temporalis post peccata dimissa superstitis recipi posse.

Hæc porro de Confessione Sacramentali dicta extendenda pariter sunt ad cetera opera præscripta ad Indulgentiarum consecutionem; nimirum quod ad consequendas Indulgentias opus ex alio titulo debitum minime suffragatur. Vide Colet *Append. I. De Indulgent. Cap.* 4. *Qu.* 5. qui id ipsum confirmat auctoritate Benedicti XIV. depromtis ejusdem verbis ex quadam Constit.

Q. XIII. *Quid sentiendum sit de sacra Communione, si quando & ista inter cetera opera injuncta præscribatur?*

Hic

Hic primo adnotandum, quod cuivis compertum esse debet, tres rationes distingui a Patribus Ecclesiæ accipiendi hoc Sacramentum. I. *Sacramentaliter*, uti sunt illi, qui lethalis peccati macula foedati ad Eucharisticam mensam accedere minime verentur; qui licet Sacramenta corporis, & sanguinis Christi dentibus præmant, uti loquitur Augustinus, hujusmodi tamen receptionis fructu, atque effectu vacui, & inanes inde abibunt. II. *Spiritualiter*, uti sunt illi, qui voto propositum illum celestem panem edentes Fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, atque utilitatem sentiunt. III. *Sacramentaliter* simul, ac *spiritualiter* demum manducant illi, qui ita sese probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant, Apostolicæ comminationis effectum in se pertimescentes, ne scilicet *judicium sibi manducent*, atque *bibant*, neve ex hoc divino convivio, ac spirituali mensa extorres effecti in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium, miserrime projiciantur. Lege Trident. *Seff. XIII. Cap.* 8. Hisce opportune adnotatis.

Resp. & dico: Cum in concessionibus Indulgentiarum sacra præscribatur Communio, (quem morem in Jubilæis Anni S. primus omnium induxit laudabilissimus Pontifex Benedictus XIV. uti videre est in suis Constitutionibus hac de re editis) haud

haud intelligenda est illa, quæ mere *spiritualis* sit; nec etiam illa, quæ sit tantummodo *Sacramentalis*; sed illa tantum erit intelligenda, quæ *Sacramentalis* simul sit, atque *spiritualis*. Etenim Ecclesiastico Communionis præcepto, quemadmodum etiam & in concessionibus Indulgentiarum, haud *materialis* tantummodo Corporis, & Sanguinis Domini receptio ab Ecclesia imperatur; sed juxta mentem, ac præceptum Christi Salvatoris, *qui sumi voluit hoc Sacramentum, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit, & qui manducat me, ipse vivet propter me*, uti loquitur Tridentina Synodus *Sess. XIII Cap.* 2. Hinc est qnod in concessionibus Indulgentiarum præter Sacramentum Pœnitentiæ, quandoque præcipi etiam soleat Eucharistica Communio; ut nimirum remoto peccatorum obice per pœnitentiam, atque immortalis vitæ isthac alimonia recepta manentes nos in Christo, & Christus in nobis, majori animi puritate, atque ferventiori Caritate ad illustriores, atque abundantiores Indulgentiarum fructus in nobismet recipiendos disponamur, atque præparemur.

Quare inde quivis facile deducere poterit per sacrilegam Dominici Corporis manducationem haud satisfieri posse menti, ac præcepto Summi Pontificis imperantis Eucharisticam Communionem ad

lu-

lucrifaciendos Indulgentiarum fructus, nec proinde iisdem potiri posse, qui per summum nefas *indigne manducat, non dijucans corpus Domini.*

Quid si Communio sit, uti vocant Theologi, informis?

Communio *informis* dicitur, quando quis alicujus forte mortalis culpæ oblitus ad Eucharisticam cœnam accedit comitantibus aliarum virtutum actibus, præter animi contritionem de admisso illo scelere, quod memoriæ tunc præsto non est.

Ad propositam hanc Quæstionem respondet Viva *De Jubilæo Qu.* 8. *art.* 4. *num.* 3. Communionem istam *informem* haud satis esse, ut quis ex concessione Indulgentiarum salutares earumdem recipiat utilitates. Etenim dum Pontifex ad illas adipiscendas Eucharisticam Communionem exposcit, sive tanquam conditionem, sive tanquam partem operis injuncti, aut qualitatem subjecti easdem recipere cupientis, haud præcipere dicendus erit Communionem, ut ita dicam *mortuam*, sed vivificantem, quæ nimirum animæ sit vita, & interiori gratiæ immanenti in ipso homine incrementum afferat.

At rectius juxta placitum D. Thomæ, cui etiam communis Theologorum accedit adsensus, ita distinguendum, & controversiam istam hac ratione definiendam reor: Aut enim homo, cui memoriæ non occurrit admissum grave scelus, nullo,

vel exili cordis dolore tactus intrinsecus manducationi corporis Domini sese ingerit: qua quidem in hypothesi Indulgentiarum fructu per Ecclesiam proposito careat necesse est, quod recte contendit Viva supra laudatus.

Aut vero, si gravis sceleris admissi, & obliti vere doleat, licet non eo usque, ut cum Deo in gratiam redire quis possit ante Sacramentum, atque ita animo affectus ad Eucharisticam Cœnam veniet, per istiusmodi Communionem, & Ecclesiastico præcepto satisfacere, & Indulgentiarum salutares fructus adipisci dicendus erit; siquidem imperfecta contritio, quam alio nomine *attritionem* vocitare solent Theologi, licet *per se* justificationis donum adducere nequeat, potest tamen *per accidens*; scilicet cum conjungitur vel perfectæ contritioni, vel Sacramento. Hæc est doctrina, quam duce D. Thoma unanimi consensu tradidere Theologi. Sed præstat hac de re audire verba Angelici Præceptoris loquentis de Sacramento Eucharistiæ, quod propius attingit rem nostram de qua agimus; *Potest*, inquit, *hoc Sacramentum operari remissionem peccati . . . etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, & affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote, & reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam Caritatis, quæ contri-*

tri-

tionem perficiat, & remissionem peccati. 3. *Part. Qu.* 79. *art.* 3. *in Corp.*

Q XIV. *Num in concessione Indulgentiarum Eucharistica Communione imperata, pueris nondum idoneis ad ipsam recipiendam per ætatem, possit illa in aliud pium, ac religiosum opus commutari, ut Indulgentiis concessis & ipsi compotes esse possint?*

R. Digladiantur Theologi hac de re scriptitantes. Multi sunt qui docent hujusmodi pueros nondum aptos per ætatem pani Eucharistico comedendo, qui *cibus fortium* ab Augustino merito inde appellatur, nec etiam Indulgentiarum fructus recipiendi potis esse posse. Etenim impotentia, aut quodvis aliud impedimenti genus præstandi opus injunctum nihil iisdem prodesse poterit ad Indulgentiarum consecutionem. Neque cum præscripta fuerit isthæc Eucharistica Communio per Confessarios commutari ipsa poterit cum alio opere pio, ac religioso, quod puerili ætati conveniat; tum quia juxta præscriptum juris sunt impediti; tum quia expresse aut tacite denegatur iisdem Confessariis isthæc facultas quod ad Communionem attinet.

Alii contra censent pueros nondum per ætatem idoneos Eucharisticæ Cœnæ comedendæ haud inde fieri incapaces ad Indulgentiarum fructus salubriter capessendos; cum hujusmodi conditiones de *jure* impossibiles habendæ sint, velut non adje-

ctæ, uti accidit in Matrimonio, atque in legatis, aliisque ultimis voluntatibus. *Cap. Finali* Si conditiones, *De Conditionibus appositis &c.* & *Leg.* Obtinuit 3. *ff. De Condition. & Demonstrat.* Aut saltem existimandum erit potestatem fieri Confessariis illam commutandi, ne pueri tam præclaris utilitatibus per Indulgentias percipiendis careant, licet in concessione Indulgentiarum, ne verbum quidem de hujusmodi commutandi facultate Confessariis attributa deprehendatur. Controversiam istam, atque utriusque partis argumenta refert Benedictus XIV. laud. *Encycl.* §. 8. *num.* 80. Quare idem sapientissimus Pontifex ad removendos dubitationum scopulos, qui salubri Indulgentiarum adsecutioni obesse possent, hujusmodi facultatem cummutandi hujusmodi pueris Eucharisticam præscriptam Communionem Confessariis expressis detulit verbis; uti videre est in Bulla *Convocatis* edita pro Jubilæo Anni Sancti *num.* 48. & in Bulla *Benedictus Deus*, pro extensione ejusdem Jubilæi ad universum Catholicum Orbem.

In hac porro opinionum varietate ita rem omnem componendam censemus. Etenim si in concessione Indulgentiarum nihil edicat Pontifex de facultate commutandi Eucharisticam Communionem pueris in aliud pium, atque religiosum opus; tunc vel Episcopi in Edicto publicationis ejusmodi Indulgentiarum facultatem tribuant Confessariis commutandi in pueris Eucha-

ri-

risticam Communionem in aliud pium opus ac religiosum: qua quidem in hypothesi non videtur negandum recte sese gerere Confessarios, qui erga pueros hujusmodi commutandi facultate utentur; atque hoc illud est, nisi fallimur, quod contendit Petrus Colet laud. *Append. De Jubil.* §. 3. *Qu.* 3. Quod si vero, & in Bulla concessionis Indulgentiarum, & in Edicto promulgationis earumdem nihil omnino de hujusmodi facultate commutandi in pueris præscriptum Communionis opus dicatur, omnino ab eadem commutanda abstinendum putamus; quod quidem sat luculenter colligi posse videtur ex laud. *Epist. Encycl.* Benedicti XIV. loc. cit.

Illud tamen hic animadvertere operæ pretium ducimus, quod docent Theologi, qui tuentur posse erga pueros Eucharisticam Communionem commutari, ne ipsi immerito ab eo beneficio, quod *omnibus, & singulis Christifidelibus* conceditur, exclusi habeantur: nimirum, hoc tantummodo esse intelligendum, quando agitur de Indulgentia Jubilæi. Ceterum circa alias Indulgentias etiam plenarias communi suffragio hanc facultem denegant Theologi. Vide Colet loc. cit.

Q. XV. *Num operibus omnibus pro Indulgentiarum adsecutione præscriptis in statu, atque effectu peccati mortalis peractis, proindeque Indulgentiarum participatione minime adquisita, remoto postea obice pec-*

cati per pœnitentiam Indulgentiarum fructus recipiatur?

R. Neg. Quidquid in contrarium opinati fuerint Sylvester, Padulanus, Henrinquez. Prob. 1. Indulgentiæ pendent a voluntate elargientis, *qui potest facere prout vult, stante tamen caussa legitima*, quemadmodum supra ex D. Thoma audivimus. Atqui mens, atque animus Pontificis elargientis Indulgentias ille est, ut effectus Indulgentiarum sequatur, ac fructus recipiatur, quum primo opera injuncta execútioni demandata fuere debitis circumstantiis comitantibus. Ergo si tunc aliquid fortasse obstet illarum adsecutioni, numquam reviviscere poterit illarum effectus, neque obtineri, nec etiam postea remoto peccati obice per Pœnitentiam. Quis etiam dixerit Pontificem, qui Indulgentias pollicetur *vere Pœnitentibus*, & *Contritis* velle in gratiam iniquorum piæ Matris spiritualia subsidia Indulgentiarum aspernantium, velle, inquam, suspendere Indulgentiarum effectum ultra tempus præfixum, ut quocumque postea tempore remoto peccati obice per pœnitentiam cum Deo in gratiam redeant, Indulgentiarum fructibus compotes esse possint?

Prob. 2. Quod nunquam exstitit, neque exsistit, nunquam etiam reviviscere poterit, neque aliquem producere effectum. Sed hujusmodi sunt Indulgentiæ relate ad illos, qui opera injuncta in statu

statu atque affectu peccati mortalis exsecuti fuere. Ergo &c. Cum enim Indulgentiarum essentiæ, quæ sunt pœnarum temporalium relaxationes, status peccati, atque affectus omnino opponatur; inde sequitur, quod relate ad istos, qui in hoc misero statu jacebant tunc cum Indulgentiæ erant percipiendæ, Indulgentiæ nunquam fuere, neque omnino esse potuere; ac proinde neque revivi scere, aut aliquem effectum ullo unquam tempore præstare erga eosdem poterunt, etiamsi postea cum Deo in gratiam redierint per pœnitentiam.

Prob. 3. Quæ sunt concessa sub certis quibusdam conditionibus, sub contrariis adimantur, atque amittantur necesse est; *nam quibus modis adquirimus, iisdem in contrariis actis amittimus*, ut docet Paulus Jurisconsultus in Lege. Sed qui Indulgentias elargitur, sub conditione status gratiæ easdem concedit. Ergo sub privatione ejusdem status gratiæ censendus est adimere, sive illas omnino non elargiri; nec postea quocumque tempore gratiæ statu in homine redeunte effectus illarum obtineri poterit. Insuper quæ fiunt extra tempus habile, ac constitutum pro infectis habentur in ordine ad certum effectum: quemadmodum etiam provisus de Parochiali Ecclesia sub conditione a jure imposita intra anni spatium promovendi ad Sacerdotium, si anno elapso huic conditioni minime satisfecerit, ne-

que Sacerdotio fuerit initiatus, eadem Parochiali Ecclesia erit ipso jure privatus. *Cap.* Licet 16. *Cap.* Statutum 22. *Cap.* Commissa 35. *De Elect. in 6.* nec juvabit post decursum temporis a jure statuti Sacerdotio initiari, ut amissum Parochiale beneficium possit recuperari; cum conditio impleta sit extra tempus habile ac legitimum, atque mora hoc in casu nec purgari, neque poena inde commissa evitari poterit. Lege *Gloss. in Reg.* Mora 25. *De Reg. Jur. in 6. Verb.* Mora sua. Ita doctissimus Suaref. *Tom. IV. in* 3. *Part. Summ.* D. Thom. *Disp.* 52. *Sect. II. a num.* 13. Salmanticens. *Append. ad Bull. S. Cruciat. Cap.* 2. *Punct.* 4. *num.* 78. Bonacina *De Indulgent. Disp.* 6. *Q.* 1. *Punct.* 5. *n.* 13. Navarr. *Comm. De Indulgent. & Jubil. Notab. XVII. num.* 1. ceterique passim, ac communiter Theologi.

Hinc autem excipiunt Salmantic. loc. cit. (si forte vera exceptio isthæc dicenda sit) quando opera præscripta pro adsecutione Indulgentiarum hujusmodi sint, ut possint iterari; licet enim quis per hujusmodi opera in statu peccati peracta Indulgentiis minime potiri possit, nec etiam postea cum obstantia peccata per pœnitentiam deleta non fuerint; poterit tamen statu gratiæ recepto per salutarem pœnitentiam, dummodo res adhuc sistat intra temporis spatium a Pontifice designatum ad Indulgentias adipiscendas;

po-

poterit, inquam, opera præscripta iterum exsecutioni demandare, atque hac ratione optato Indulgentiarum effectu perfrui. Sed isthæc, si recte perpendantur, potius præ se gerere videntur confirmationem propositæ nostræ sententiæ, quam exceptionem, sive limitationem.

Dices: Satisfactiones Sacramentales completæ extra caritatem, atque in statu peccati, recedente peccato, & recepto gratiæ statu per poenitentiam, revivifcunt, atque operantur effectum relaxationis poenæ. Idem quoque patet in Sacramentis, quæ recedente fictione operantur suum effectum. Ergo idem quoque dicendum de Indulgentiis receptis in statu peccati, quod adveniente gratiæ statu revivifcant, atque optatum effectum relaxationis poenæ præstant; siquidem & ipsæ pendent ex opere operato Christi, & Sanctorum.

R. Latum interest inter hæc tria discrimen, ac proinde immerito, imo & temere desumeretur inde argumentum ad probandam opinionem nobis oppositam. Nam I. licet concedamus opera satisfactoria completa extra caritatem, atque in statu peccati, restituto postea gratiæ statu ac caritate, revivifcere, ac prodesse posse ad optatum effectum relaxationis poenarum temporalium; hoc tamen locum habere non potest in Indulgentiis, siquidem potest quis satisfactionem propriam præsertim Sacramentalem applica-

re poenæ a se solvendæ, quatenus pendet ex intentione operantis; satisfactiones vero Christi, & Sanctorum per Indulgentias applicari non possunt, nisi secundum intentionem Christi, atque Ecclesiæ, qui nolunt illas applicari, atque communicari nisi justis, ac Deo amicis, iis nempe, *qui Caritate jungente* membra sunt Christi, uti loquitur Leo X. in quadam Decretal. Vide Navarr. *Comm. De Indulg. & Jubilæo Notab. XVII. num.* 3. Quapropter cum nihil ferme simile inter utrumque deprehendatur, ex uno ad aliud argumentari fas non erit, neque justum.

Dixi: *Licet concedamus &c.* Etenim multi negare videntur, quod opera satisfactionis peracta, atque completa extra caritatem, atque in statu peccati valeant ad condonationem pœnæ temporalis peccatis debitæ post receptum statum gratiæ, & caritatis. Siquidem quemadmodum opera exercita extra caritatem, adveniente postea caritate non vivificantur quantum ad meritum vitæ æternæ, ita neque vivificantur quantum ad satisfactionem, sive quantum ad effectum expungendi pœnam temporalem. Ita D. Thomas *in IV. Sentent Distinct.* 19. *art.* 5. & *in Supplem. ad* 3. *Part.* Summæ Theologicæ *Qu.* 4. *art.* 3. Sed adductæ D. Thomæ, aliorumque, si quæ sunt auctoritates, ne a communi, ac receptissima Theologorum sententia recedere cogamur; recte, atque opportune explicari poterunt, non de cari-

ritate *habituali*, sed *actuali*; adeo ut opera satisfactionis peracta extra caritatem *actualem*, sive facta ab eo, qui non solum in statu, sed in affectu etiam peccati lethalis permaneat, recepto gratiæ statu non vivificentur quantum ad effectum satisfactionis; licet si fuerint facta tantum in statu peccati mortifero, ejusdem peccati deposito affectu per initialem saltem Caritatem valebunt ad dimissionem pœnæ temporalis, eamque *De congruo* saltem merentur, licet non *de condigno*. Lege Juvenin. *Dissert. 6. De Pœnitent. cap. 6. art. 3.* Estium *in IV. Sent. Distinct.* 15. §. 16. Natal. Alexand. *in sua Theolog. Moral. & Dogmat. De Satisfact. cap. 6. art. 4. Prop. I.*

Quantum porro attinet ad Sacramenta, ex quibus etiam adversarii pro sua tuenda opinione argumenta depromebant, animadvertendum est, ex perpetua Ecclesiæ traditione, quam variis in locis urget, quum maxime Augustinus in libris adversus Donatistas, compertum nobis esse baptisma *ficte* receptum, h. e. in hæresi vel schismate, aut in ipsa Ecclesia non comitantibus necessariis conditionibus, sive dispositionibus, recedente postea *fictione*, sive eamdem *fictionem corde concusso*, & *vero dolore*, uti loquitur idem Augu st. homine abjiciente, ipsum *ficte*, inquam, antea receptum baptisma reviviscere, atque effectum suum, quo fuerat destitutum propter *fictionis* fermentum, operari. Quod qui-

dem sat probabiliter Scholastici extendunt ad reliqua Sacramenta characterem in anima imprimentia; quidam vero ulterius progressi, etiam omnibus reliquis Sacramentis id commune esse docent, ut remota *fictione*, in qua forte recepta fuere, vim suam exserant, atque proprium sibi adsignatum effectum operentur; at istis neque ratio suffragatur, neque auctoritas. Sed quidquid demum sit hac de re; licet in istorum, quos postremo loco memoravimus, opinionem concedere vellemus, (quod tamen nobis ratio neque mens, nec suggerit, neque dictat) adhuc tamen ad rem nostram latissimum intercedere discrimen deprehenditur inter Sacramenta, & Indulgentias; quare nihil inde pro istis, quantum ad præsentem; in qua versamur, controversiam extundere liceat.

Primo enim: *Sacramentum baptismi* (de hoc namque loquitur D. Thomas, idem tamen videtur dicendum de reliquis Sacramentis characterem imprimentibus) *est opus Dei, & non hominis, & ideo non est mortuum in ficto, qui sine Caritate baptizatur. 3. Part. Qu. 69. art. 10. ad 1.* Indulgentia autem fit ab homine extra Sacramentum, uti antea ostensum est. Quare similis ratio non deprehenditur, nec par effectus, ut quemadmodum illa revivisćunt recedente fictione, ita & istæ Indulgentiæ nempe, adveniente statu gratiæ, & caritatis reviviscendo, affectum re-

relaxationis pœnæ temporalis progignere possint.

II. Idcirco Sacramentum baptismi, & cetera characterem in anima imprimentia juxta Scholasticorum satis probabilem opinionem remota fictione reviviscunt, quia vivunt per characterem, quem in anima imprimunt, & cum sint illa simpliciter necessaria ad adsequendum finem propter quem instituta fuere, atque eadem iterari nefas sit; ideo hac ratione per Christum fuerunt instituenda, ut effectum sibi proprium producere possent: vel cum ponuntur essentialia Sacramenti, si tunc nihil obsistat impedimenti, vel postea cum impedimentum sublatum fuerit, sive obex peccati inde removeatur ope contritionis, sive etiam attritionis. Nihil autem hujusmodi, uti patet cuique primo etiam obtutu, in Indulgentiis deprehendere licet; quare istarum reviviscentia, postquam receptæ fuerint, ut ita dicam, in statu peccati lethalis, purum putumque somnium reputandum.

III. Ipsa Sacramenta, si forte in ipsorum receptione aliquid vitii, aut defectus intervenerit, quod illorum substantiæ, aut essentiæ sit oppositum, unde irrita evaderent, nulla spes esse poterit, quod aliquando etiam remota quavis fictione sint revictura, & suum effectum, quo fuerunt instituta, sint paritura; siquidem quodcumque nullum est, & fuit, reviviscere omnino nunquam poterit, uti satis super-

que per se patet. Ita profecto res evenit in Indulgentiis, cum in statu peccati lethalis fuerint receptæ; siquidem status peccati ita per se oppositus est naturæ, atque essentiæ Indulgentiarum, ut homines si quando peccati vinculis teneantur, ad percipienda Indulgentiarum subsidia inepti omnino, inhabiles, atque prorsus incapaces sunt habendi; etenim implicat, uti loquuntur Theologi, aliquem peccati reatu obstringi, & pœnis inde debitis Indulgentiarum ope exsolvi, quod & antea docuimus. Quapropter quemadmodum Sacramentorum invaliditas, si quæ occurreret, illorum reviviscentiæ spem omnem omnino adimeret, ita & Indulgentiæ, si quæ nulliter receptæ fuerint, nullam omnino revviscentiam in ipsorum effectu, adveniente statu gratiæ, & caritatis, agnoscere, aut etiam sperare possunt. Merito itaque cl. Canonum interpres Navarrus istorum Theologorum opinionem nostræ oppositam nimiæ fiduciæ arguit, atque sugillat. *Notab. XVII* supra laud. *num.* 2.

Q. XVI. *Num impossibilitates, aut justa ac legitima impedimenta exsequendi opera præscripta, in caussa esse possint, ut iisdem operibus non expletis Indulgentiarum fructus recipi possit?*

R. Neg. Etenim in quavis concessione conditioni impositæ parendum, atque omnino satisfaciendum, si ejusdem concessionis effectus obtineri velit; uti est principium juris, & ipsa naturalis ratio cui.

cuique suggerit, ac dictat. Atqui hujusmodi sunt opera injuncta in concessione Indulgentiarum. Ergo iis, quavis etiam de caussa non expletis, Indulgentiarum effectus non consequitur. Ita D. Thom. *in Supplem. ad* 3. *Part. Qu.* 27. *art.* 3. *Dicendum*, inquit; *quod non exsistente conditione, non consequitur illud, quod sub conditione datur. Unde cum Indulgentia detur sub hac conditione, quod aliquis aliquid faciat, vel det, si illud non exerceat, Indulgentiam non consequitur*. Laudatum Doctorem sequuntur ceteri Theologi universim.

Dices: Patrum sententiam, atque doctrinam esse, voluntatem reputari pro facto, ubi factum ipsum excluderet necessitas. Atque ex Regula Juris in 6. edocemur, quod *cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet, perinde ac si impleta fuisset*; cui etiam consonat *Regula illa*: In Jure civili 161. *ff. De D. vers. Reg. Jur.* Ergo ille, cui omnino impossibile accidit, vel justo detinetur impedimento, quominus conditioni adpositæ in concessione Indulgentiarum parere possit, earumdem Indulgentiarum fructu minime erit inde defraudandus.

Ad primum respondet Angelicus *in Supplem.* loco laud. Sententiam illam esse intelligendam *quantum ad præmium essentiale; sed non quantum ad accidentalia aliqua præmia, sicut est dimissio poenæ,*
vel

vel aliquid hujusmodi. Legatur hic quoque, si lubet, doctissimus Suaref. *Tom. IV in 3. Part.* D. Thom. *De Indulg. Disp.* 52. *Sect. laud. num.* 1. 2.

Ad alterum Resp. Regulam Juris propositam locum habere in certis quibusdam casibus, de quibus consule Glossam *ibid.* atque Juris interpretes, a quibus casibus si discesseris, axiomatis loco habere poteris, quod antea docuimus; nimirum in omnibus concessionibus, quæ adpositis conditionibus fuerint adligatæ, iisdem non impletis, nullum ex iis obtineri effectum. Quin imo ex Regula Juris Digestorum aliam esse ejusdem Regulæ sententiam, quam quæ vulgo eidem adscribi solet, non temere quivis suspicabitur. Confer utramque utriusque Juris Regulam.

Ex dictis itaque prono alveo fluit: illos nimirum, qui quamvis justo, ac rationabili impedimento detenti injunctum opus exsecutioni demandare nequeant, ab adsecutione nihilominus Indulgentiarum inde removeri. Hinc si forte in ipsa Indulgentiarum concessione eleemosyna fuerit præscripta, aut certæ Ecclesiæ visitatio, ille, qui paupertatis angustiis pressus nequeat stipe collata pauperibus subvenire, aut pedibus ægrotet, aut alio morbo affligetur, quo iter ad Ecclesiam designatam, ut præscriptas visitationes impleat, nequeat arripere, haud inde excusatur, ut operibus injunctis minime ad-

adimpletis, Indulgentiæ concessæ particeps esse possit.

Hujusmodi porro controversia excitata fuit jam tum ab ætate Bonifacii VIII. occasione Bullæ, quæ incipit *Antiquorum*, qua Jubilæi Anni Sancti fausta initia primitus data fuere, atque jam tum meliores notæ Auctores nostræ sententiæ, quam antea proposuimus, proludere coeperunt, eique tenacius adhærere, illa permoti ratione, scilicet, quod ad consequendas Indulgentias non sola voluntas satis sit, sed necessario effectus sive actus præscriptus requiratur. Nisi aliud fortasse Pontifex ipse in concessione Indulgentiarum expresse declaret. Lege Bened. XIV. laud. *Encycl. ad Pœnitentiarios &c.* §. 1. n. 15.

Diximus: *Nisi aliud fortasse Pontifex ipse &c.* Etenim si per Pontificem expresse declaratum sit, quod etiam non impletis quibusdam operibus, justo impedimento obsistente eorumdem exsecutioni, Indulgentiæ nihilominus percipiantur; tunc extra omnem dubitationis aleam res erit, neque importunis controversiis locus unquam esse poterit. Siquidem Indulgentiæ pendent a potestate concedentis; & potestas faciendi Indulgentias plene residet in Papa, *quia potest facere, prout vult*, caussa tamen exsistente legitima, ut auctoritate D. Thom. docuimus.

Quapropter in Bulla memorata *Antiquorum*, ubi visitantibus quasdam Ecclesias Romanæ urbis Jubilæi tempore In-

Indulgentiæ perquam largissimæ impertitæ fuere, Peregrini, qui iter Romam versus suscepissent, vel qui cum ad ipsam pervenissent, minime vero potuissent vel incipere, vel complere Basilicarum visitationes, vel quia morte prærepti, vel alio justo detenti impedimento, Indulgentiarum fructibus adhuc potiebantur; idque propter verbalem declarationem ejusdem Bonifacii VIII. in Concistorio editam in favorem ipsorum Advenarum; quemadmodum refert antiquus ejusdem Extravagant. *Antiquorum* Glossator. vers. *Sed quæro*. Quam quidem declarationem pro iisdem Peregrinis, sive Advenis, ut Basilicarum visitationibus vel nondum completis, vel etiam nondum incœptis Indulgentiis concessis in Anno Jubilæi perfrui possent, ipse Clemens VI. Bonifacii successor in suam Extravag. quæ incipit *Unigenitus tit. De Pœnit. & Remiss.* primus omnium inseruit, ac postea subsecutis deinceps ætatibus advenientes Pontifices hanc eamdem normam semper secuti fuere, uti testatur sæpius laud. Benedict. XIV. *Epist. Encycl. laud. n. 16.* Et in Bulla Cruciatæ Hispanicæ, quam per partes referunt Salmanticens. ubi Indulgentia ejusdem Bullæ militibus accedentibus ad exercitum Serenissimi Regis Hispaniarum, ibidem contra Turcas, & alios Infideles pugnaturis concedebatur, si de peccatis *corde contriti, & ore confessi fuerint*; postea datum est, ut etiam non

non confessi, cum non possent, modo id tantum corde desideraverint, iisdem Indulgentiis perfruerentur. *Append. ad Bull. S. Cruciat. Cap.* 3. *Punct.* 1. §. 1.

Q. XVII. *Num sufficiat saltem in adducta hypothesi partem operis implesse præscripti, ut Indulgentiarum effectus possit obtineri?*

R. Neg. Neque Indulgentia propositæ effectus, neque ejusdem partis, parti tantum operis præscripti satisfaciendo, adquiritur. In legatis sub conditione factis partem conditionis implesse haud satis erit, ut legati capiendi jus esse possit. *Leg.* Cui fundus 16. *ff. De Condition. & Demonstrat.* Et in testamento si plures *conjunctim* fuerint appositæ conditiones, per heredem omnibus parendum esse, ut hereditas adiri possit, comperta res est ex *Leg.* Si heredi plures 5. *ff. De Conditionib. Institut.* Ergo & in concessionibus Indulgentiarum partem operis præscripti complesse haud satis erit, nec aliquibus tantum satisfecisse, cum plura injungantur opera implenda, ut Indulgentiarum subsidia, etiam quantum ad minimam illarum partem adquiri possint. Opera enim præscripta ad Indulgentiarum adsecutiones conditionis vim, atque locum habere supra abunde probatum exstat. Lege Navarr *Comm. De Jubil. & Indulg. Notab.* XIX *n.* 2.

Huc sane referri potest quæstio illa, quam expendit, atque pertractat Angeli-

cus

cus Præceptor: Num scilicet Cruce-signatus, qui vita excedat, antequam iter arripiat, plenam consequatur peccatorum Indulgentiam. Propositæ quæstioni respondet Angelicus: expendendam nimirum esse formam Pontificiæ concessionis. *Etenim si secundum formam Papalis litteræ Indulgentia concedatur accipientibus Crucem in subsidium Terræ Sanctæ, Cruce-signatus statim habet Indulgentiam, etiamsi decedat antequam iter arripiat; quia sic caussa Indulgentiæ erit non iter, sed votum itineris. Si autem in forma litteræ contineatur, quod Indulgentia detur his, qui transierint ultra mare, ille qui decedit antequam transeat, non habet Indulgentiam, quia non habet Indulgentiæ caussam. Quodlib. II. Qu.* 8. *art.* 15. Unde meridiana luce clarius patet, quod antea docuimus, ad recipiendos Indulgentiarum fructus formam Pontificiæ concessionis adamussim esse servandam, neque sufficere voluntatem tantummodo illam implendi, eique pro parte satisfecisse, aut paruisse, ut Indulgentiæ concessæ quis compos esse possit. Lege doctissimum Suaresium *Disp.* 52. *num.* 3. Navarr. *Comment. laud. Notab.* XI. *num.* 2. Salmanticens. *Cap.* 2. *Punct.* 4. *num.* 71. qui ibidem a proposita doctrina, quam rectissime excipiunt; nisi forte pars, quæ omittatur per quam levis sit, tum respectu sui ipsius, tum comparatione totius operis injuncti; tunc enim de Pontificia voluntate aliter præsumendum.

dum. Consule quæ superius hac de re dicta per nos fuere.

Q. XVIII. *An possit quis operi injuncto in concessione Indulgentiarum per alium satisfacere, & Indulgentiarum effectu inde potiri?*

R. Neg. Etenim, uti rectissime suo more docet Angelicus: nimirum, *quod opus proprium potest quis per intentionem applicare cuicumque voluerit; & ideo potest pro quocumque vult satisfacere. Sed Indulgentia non potest applicari ad alterum, nisi ex intentione ejus, qui dat Indulgentiam. Et ideo cum ipse applicet ad facientem, vel dantem hoc aut illud, ille non potest, qui hoc facit ad alterum hanc intentionem transferre. Si tamen sic fieret Indulgentia, ille qui facit, vel pro quo fit habeat tantum Indulgentiam, quantum valeret ei, pro quo fit; nec tamen iste, qui facit hoc opus daret alteri Indulgentiam; sed ille. qui Indulgntiam suo tali forma facit. Supplem. ad 3. Part. Qu. 28. art. 3. ad 2.*

Q. XIX. *Num operibus præscriptis pluries satisfaciendo pluries etiam Indulgentiæ concessæ quis compos esse possit?*

R. Juxta doctrinam D. Thomæ, ita distinguendum erit: nimirum: Si Indulgentiæ fuerint concessæ ad certum, ac præfinitum tempus, puta cum dicitur: Qui ad hanc vel illam Ecclesiam accedit, ibique orat usque ad tale tempus, tantum Indulgentiarum adipiscatur; tunc intelligen-

gendæ erunt semel concessæ Indulgentiæ: *At si in aliqua Ecclesia Indulgentia sit perennis, sicut in Ecclesia Beati Petri quadraginta dierum; tunc quoties vadit aliquis, toties Indulgentiam consequitur*. D. Thom. *In IV. Sentent. Dist.* 20. *Qu.* 1. *art.* 3. *Quæstiunc.* 2. *ad* 4. Verum de hac Quæstione inferius etiam recurret sermo, cùm peculiariter de Indulgentiis nostræ Bullæ Cruciatæ agendum nobis erit.

Hinc licet rectissime Natal. Alexander *in sua Theolog. Dogmat. & Morali tract. De Indulg. Reg.* 19 ex proposita doctrina collegerit, quod in Jubilæo, quod pluribus hebdomadibus durat, Indulgentiam Jubilæi bis non consequatur ille, qui opera Pontificio Diplomate præscripta bis peragat; contra tamen se se res habet in Jubilæo Anni Sancti. Etenim ex Apostolicæ liberalitatis plenitudine immortalis memoriæ Pontifex Benedictus XIV. benigne concessit, ut qui bis, aut pluries præscripta opera in Jubilæi concessione *plene* iteraverit, bis quoque, aut pluries posset Anni Sancti Jubilæum (quantum tamen ad solas Indulgentias, minime vero quantum ad alios favores, & gratias adjunctas) lucrari. Lege Bullam laud. Pontificis, quæ incipit *Convocatis n.* 92. *& Epistol. Encycl.* occasione ejusdem Jubilæi editam. §. 9. *De Iterata adquisitione Jubilæi n.* 84.

Insuper adnotandum nobis erit quoddam Decretum S. Congregat. Indulgentiarum

ex-

expresse approbatum ab. Innocent. XI. ac die VII. Martii 1678. rite, ac secundum legis formulas promulgatum, in quo ita sancitum occurrit: *Semel dumtaxat in diem plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus lucrifieri*. Illud refert Bened. XIV. laud. *Encycl. loc. cit.* Lege Dominicum Viva *De Jubilæo Qu. 6. art. ultim.* & doctissimum præsertim Petrum Colet *Append. I. De Indulg. Cap. 4. Qu. 6.*

Q. XX. *Num teneantur Fideles propositis, a que concessis Indulgentiis uti?*

R. Neg. Etenim cum Ecclesia id neque præcipiat, neque imperet, nulla præcepti necessitas Fideles adstringens inde enasci potest. Ecclesia siquidem Indulgentias elargiendo hujusmodi præclara beneficia confert in volentes, nolentes vero non compellit ad illarum usum, sed propositis spiritualibus Indulgentiarum utilitatibus, ut pia Mater, ac studiosa salutis filiorum eosdem allicere conatur, atque provocare ad hujusmodi spiritualia subsidia conquirenda. Insuper Indulgentiæ reputari possunt, veluti quædam privilegia Christifidelibus collata, ut quorumdam piorum operum præscriptis conditionibus impletis a poenis peccatorum in altera luendis exsolvantur. Sed privilegiis nemo tenetur uti: Ergo &c.

Verumtamen non omnino immunis a noxa erit reputandus ille, qui insignia quædam Indulgentiarum subsidia delibe-

rate

rato animo negligeret adsequi ; uti esset illa præclara Indulgentia Jubilæi, quæ statis temporibus ad nos recurrit, sive nobis conceditur ; uti etiam esset illa Indulgentia, quæ dicitur Cruciatæ Sanctæ nobis etiam paucis ab hinc annis concessa. Satis enim salutis suæ negligens habendus esset ille, qui tam insignia beneficia, quibus a peccatorum nexibus magis, ac magis posset exsolvi, atque in Dei amore, peccati aversione, & odio, ac in fervore pœnitentiæ magis incalescere, nullius pensi haberet, atque aspernaretur ; majori enim dilectione Deum prosequatur oportet ille, cui *plus* ipse *donavit* juxta parabolam Christi Salvatoris *Luc. VII.* Lege doctissimum Bossuetium *in Meditat. pro tempore Jubilæi Meditation. 2. Considerat. 1. Tom. XXII. Neapolit. edit.*

Neque porro cuiquam in mentem subire posse arbitramur illud, quod olim effutiebat impius Lutherus, nimirum quod Indulgentiæ sint *remissiones bonorum operum, nullius pietatis, nec meriti, nec præcepti, sed licentia tantummodo quadam, videtur quæstus augeri magis per eas, quam pietas. Sunt de earum numero, quæ licent, non quæ expediunt.* In *Lib. De Indulg.* Leoni X. dicato. Vide Natal. Alexandrum *in Synops. Histor. Eccles. Sæcul. XV. & XVI. num.* 5. Nam contra sese res habet, ut cuivis compertum esse debet. Indulgentiæ nimirum & pietatem præ se ferunt, atque accendunt, & au-

& augent meritum; neque *solummodo duris*, *&* *impatientibus proprie concedi videntur*, ut idem Lutherus ineptissime somniabat; sed illæ perfectis viris æque dignæ sunt, iisque maximopere optandæ. Nam I. velle satisfacere divinæ Justitiæ per alienas poenas modo licito, non solum id & licitum, & bonum erit, sed insuper & meritorium, cum ab homine gratia gratum faciente prædito id fiat, & viro perfecto dignum. II. Perfectorum est exemplo Apostoli *velle dissolvi*, atque *esse cum Christo*, ac per consequens impedimenta removere, quæ, si contingeret animum a corpore dissolvi, ab illius beata facie contemplanda remorarentur, in quem desiderant Angeli prospicere. Hujusmodi autem impedimenta vel omnino, vel quantum ad partem per Indulgentiarum adsecutiones removentur, uti perspicuum est. Ergo &c. Lege Navarr. *Comm. De Jubilæo*, *&* *Indulgent. Notab. V. n.* 2. *&* 3.

Quin & Indulgentiarum adsecutiones non solum utiles, ac salutares Christiano populo, sed & necessarias jure merito nemo non dixerit: *Omnes enim peccaverunt*, *&* *egent gloria Magni Dei*, inclamat Paul. ad Roman. *Cap. III. v.* 23. Nemo enim, licet duris pœnitentiæ laboribus pro viribus non pepercerit, ac profuso lacrymarum imbre errata superioris ætatis continenter deflere, ac laborioso isthoc Pœnitentiæ baptismate ardentissimo

studio penitus perfungi conatus sit; nemo inquam facile de se confidere poterit sese ad eam vitæ *integritatem*, & *novitatem* pervenisse, atque tam plenam & perfectam peccatorum omnium remissionem consecutum, qua adquisita Indulgentiarum adsecutio supervacanea videri poterit. Quapropter hostes sunt animæ suæ, qui Indulgentiarum adsecutiones, atque remedia isthæc ab Ecclesia nobis proposita, atque infirmitati nostræ juvandæ summopere necessaria aspernari, fastidire, aut etiam negligere audent. Lege piissimum Bossuetium *Instruct. pro Jubilæo laud. Tom. XXII. Neapol. Edit. art.* 1.

Postremo antequam huic parti, quæ de dispositionibus necessariis ad percipiendos Indulgentiarum fructus, edisserit, finis imponatur, piis lectoribus haud grave erit futurum, imo summa animi alacritate erunt fortasse excepturi, quæ subjicientur ex doctissimo Bossuetio, cujus verba mox recensenda eximiam præ omnibus præ se ferunt dispositionem, sive conditionem ad adsequendos Indulgentiarum fructus necessariam. Is itaque *in Instruction. pro Jubilæo Instruct.* 1. ita ad rem nostram eloquitur. Fundamentum Indulgentiarum (ipsius verba sunt latinitati reddita), itaque est satisfactio Christi infinite superabundans, cui etiam adjunguntur Sanctorum satisfactiones propter eximiam Dei bonitatem, quæ non dedignatur favore quorumdam, qui ei ma-

magis addicti sunt, ac devoti, erga alios affici, ac moveri. Ita ad lucrifaciendas Indulgentias oportet spiritu sese conjungere lacrymis, suspiris, gemitibus, mortificationibus, laboribus, ac passionibus Martyrum, ac omnium Sanctorum, ac præsertim agoniæ, destitutionibus, passioni, ac sacrificio Christi Jesu, in quo, & per quem omnes satisfactiones, & bona Sanctorum opera acceptantur a Patre.

Q. XXI. *Utrum Indulgentiarum concessiones mortuo concedente exspirent, atque evanescant?*

R. Neg. Gratia facta non exspirat, atque evanescit morte concedentis, *etiam re integra*, uti unanimi consensu nos edocent Canonum Interpretes. Atqui hujusmodi habendæ sunt Indulgentiarum concessiones. Ergo &c. Sane de iisdem dici poterit, quod de quibusdam consimilibus concessionibus dixit Bonifacius VIII. *Hujusmodi concessio (quam, cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram) non exspirat etiam re integra per obitum concedentis. Cap.* Si cui nulla 30. *De Præbend. & Dignit. Lib VI. Decretal.* Huc etiam facit *Cap.* Si super gratia 9. *De Offic. & potest. Judic. Deleg. eod. Lib. VI.* Vide Navarr. *Comm. De Jubilæo, & Indulg. Notab. XXXI. n.* 23.

Verum si Indulgentiæ concessæ fuerint ad *beneplacitum* Pontificis concedentis, illo e vivis erepto exspirant, atque evanescunt; secus vero si concessæ fuerint

cum clausula ad *beneplacitum Sedis Apostolicæ*, *quia Sedes ipsa non moritur*. Juxta *Cap.* 5. *De Rescript. in* 6.

Hinc Indulgentia Bullæ Cruciatæ non exspirat, atque evanescit, *etiam re integra per obitum concedentis*. Quemadmodum fusius probatum fuit *Part. I.* §. 1. *Quæst.* 9. hujusce nostræ elucrubatiunculæ. Atque hoc idem quoque adserendum erit, uti patet, sine aliqua dubitationis ambage de eximia illa Indulgentia, quæ dicitur Jubilæi, aliisque similibus concessionibus. Atque hæc sane satis per se constant.

Illud porro in disputationem vocatur apud Theologos, num scilicet indicto Jubilæo initio alicujus Pontificatus ad impetrandum cœleste auxilium pro recto Ecclesiæ regimine; si forte interea temporis contingat mors ejusdem Pontificis indicentis Jubilæum ad laudatum finem, cessante caussa finali, utrum & ipsa Jubilæi concessio exspiret, atque evanescat? Controversia isthæc magna animorum contentione exagitata fuit inter Theologos occasione mortis Summi Pontificis Innocentii IX. qui in Cathedra D. Petri sedit duos tantummodo menses ab ejus electione, ac perdurante Jubilæo ab eodem indicto ad laudatum finem fato defunctus est ann. 1591.

Nobis sane summopere arrident, quæ in hanc rem docet doctissimus Petrus Colet *Append. II. De Jubilæo* §. 3. *Qu.* 2.

Cen-

Censet itaque laudatissimus Theologus validas esse absolutiones impertitas a censuris, & commutationes factas votorum, donec adhuc ignoretur mors Pontificis concedentis isthæc privilegia per hujusmodi Jubilæi indictionem; id enim, ut hujusmodi actus a suæ validitatis robore non decidant, efficit error communis simul cum titulo colorato, quæ hic concurrunt, juxta statutum *Leg.* Barbarius 3. *ff De Offic. Prætoris*, & juxta *Cap.* Infamis 1. *caus.* 3. *Qu.* 7. apud Gratianum, & concordissimam tum Theologorum, tum etiam Juris Canonici Interpretum sententiam. Quantum vero spectat ad Indulgentiarum adsecutiones; etsi aperte profiteatur laud. Theologus sibi nihil certi hac de re constare, quod edicere posset, in eam tamen propendet sententiam, ut arbitretur validas etiam fuisse dictis Indulgentiarum adsecutiones cum eadem ignorantia mortis Pontificis receptas. Ita non temere, neque injuria præsumendum erit de Apostolica benignitate; Pontificis nempe mentem fuisse, ut post ejusdem mortem Fidelium preces, jejunia, aliaque præscripta opera converterentur in Ecclesiæ utilitatem, quo potissimum & maxime spectabat Pontifex illa imponens; adeo ut subsistente hoc fine principali mortuo Pontifice Indulgentiarum concessio suo validitatis robore non defraudetur.

At vero si de morte Pontificis certus sit allatus nuntius, tunc & facultatum con-

conceſſiones, quemadmodum & Indulgentiarum exſpirare, atque evaneſcere, ſi minus uti certiſſimum, ſaltem uti probabiliſſimum habendum erit. Hinc rectiſſime e Romana Urbe reſcriptum fuit ad quemdam Italiæ Epiſcopum, prudenter nimirum ſeſe illum geſſiſſe, quod accepto nuntio de morte Pontificis prohibuit, ne Jubilæus promulgaretur.

AP-

APPENDICULA II.

Ubi de Jeunio, & Eleemosyna in quibusdam Indulgentiarum concessionibus, veluti Jubilæi, præscriptis; ac de suspensione Indulgentiarum, quæ fieri solet in Jubilæis Anni S. edisseritur.

CONsulto jejunii, atque eleemosynæ huc mentionem rejecimus; atque a quæstiunculis, quæ circa ipsa, aut moveri soleant, aut paulo frequentius accidere, referendis nosmet temperavimus. Opera enim, quæ frequentius, aut passim imperari soleant in concessionibus Indulgentiarum, hactenus ad trutinam revocare, atque explanare curavimus, cetera vero minus frequenter apponi solita hic pertractanda reservavimus. Sane equidem nemo omnium est, qui Sacrarum Litterarum doctrina, aut Christianæ pietatis cognitione, vel leviter sit imbutus, cui latere possit illud, nimirum in hujusmodi jejunio puta, & eleemosyna maximam vim inesse ad avertendam divinam indignationem, ejusque Misericordiam nobis promerendam, atque pro pœnis nostri sceleribus debitis cumulate satisfaciendum. Innumera hanc in rem congeri possent vel Sacrarum Litterarum oracula, vel San-

ctorum Patrum auctoritates. Hinc illud Danielis ad Nabuchodonosorem Regem: *Quamobrem, rex consilium meum tibi placeat, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Dan. *IV. v.* 23. Et illud Raphaælis ad Tobiam: *Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere. Quoniam eleemosyna a morte liberat; & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.* Tob. *XII. v.* 8. Ac demum illud Christi apud Lucam *Cap. XI. v.* 41. *Verumtamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* At de his legatur doctissimus Bellarm. *Lib. II. De Bon. Operib. in particul. Cap.* 11. & *Lib. II. Cap.* 4. atque in *De Pœnitent. Lib. IV. Cap.* 6. qui adversus Heterodoxos contrarium errorem adstruere obnitentes hoc ipsum invictissime allatis Scripturarum, & PP. testimoniis probat, atque confirmat. Quapropter, cum concessiones Indulgentiarum faciendæ non sint nisi *vere Pœnitentibus*, ac *Contritis*, (uti priorum Conciliorum Canones Spiritu Dei conditi nos edocent, & Pontificia Diplomata istiusmodi concessiones afferentia testantur) sapientissime ab Ecclesia Spiritu edocta provisum fuit, ut inter cetera opera, quæ sive ad excitandum in animis Fidelium, sive ad testandum spiritum Pœnitentiæ, atque ad inflectendam Divinam misericordiam multum proficere possent,

sent, in solemnioribus Indulgentiarum concessionibus (uti in Jubilæis *extraordinariis*, seu qui dicuntur ad *instar*, vel occasione electionis Pontificis, vel alia hujusmodi de caussa indictis) & votiva jejunia indicerentur, & eleemosynarum elargitiones præscriberentur; quæ quidem rite peracta ad consequendas Indulgentiarum utilitates maximam vim habere, nemo, ut videtur, inficias ire poterit. De utroque itaque, jejunio nempe, & eleemosyna, nonnullas, quæ moveri solent, quæstiunculas expedire pro virili conabimur.

Q. I. *Num utrumque opus præscriptum, jejunium nempe & eleemosyna intra unius ejusdemque hebdomadæ spatium sint peragenda, ut Jubilæi Indulgentiis, ac privilegiis quis perfruatur?*

Hic primo, ut recensita quæstiuncula clarius innotescat, proponenda erit præ oculis formula concessionis, quæ in hujusmodi Jubilæis, qui dicuntur *ad instar*, sive *extraordinarii* adhiberi solet. Formula itaque isthæc sic ferme sese habet: *Qui prima, vel secunda hebdomada Ecclesias visitaverint, ac Feria quarta, sexta, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint pariter, ac peccata sua confessi, ac die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam erogaverint, plenissimam &c.* Vide Benedict. XIV, in Bulla, quæ incipit *Lætiora &c.*

edita nimirum 1740. sui scilicet Pontificatus initio. Hinc inter Theologos multo ante disputari cœperat, num scilicet jejunium, & eleemosyna, quemadmodum & cetera opera ibidem præscripta intra unius ejusdemque hebdomadæ spatium essent peragenda, ut Pontificiæ concessionis beneficio quis potiatur. His itaque præmissis.

Resp. & dico: *Juxta probabiliorem Theologorum sententiam tum jejunium, & eleemosyna, tum cetera quoque opera præscripta in hujusmodi concessionis formula intra unius ejusdemque hebdomadæ ambitum sunt explenda, ut concessionis beneficio quis perfruatur.*

Prob. Isthæc Adsertio vel ex ipsis verbis Pontificiæ concessionis apertissime deducitur. Cum enim ibi dicatur: *Qui prima, vel secunda hebdomada Ecclesias visitaverint &c.* sat luculenter ostenditur ex concedentis benignitate, alterutram ipsarum impertiri ad complenda opera præscripta; siquidem conjunctio disjunctiva *Vel* non utramque complectitur, sed alterutram tantum hebdomadam concedit ad arbitrium eligentis, juxta *Reg. Jur. 70. In alternativis &c. in 6.* Ergo &c. Et licet hic in maxime favorabilibus versemur, benignior tamen, seu latior interpretatio, quam quidam obtrudunt, locum habere non poterit contra expressam, & apertam Summi Pontificis voluntatem.

Dixi

Dixi in Adsertione *juxta probabiliorem sententiam*. In praxi enim, uti rectissime monet doctissim. Colet., id unice sectandum, hortandum, consulendum; nimirum ut quævis opera una eademque hebdomada perdurante compleantur. Ut enim probabilis sit opinio, quam tuentur Layman, Bonacina, aliique, nequit tamen optatum exhibere effectum, quem forte concedens deneget non servatis adamussim in concessione appositis conditionibus. Siquidem probabilitas non potest tribuere actui valorem, cum unice id pendeat hac in re a voluntate concedentis; ut cuivis probe compertum.

At quid dicendum, *Si quis in praxi sese accomodaverit probabili istorum Theologorum sententiæ prima scilicet hebdomada jejunando, altera Ecclesiarum visitationes, atque eleemosynæ elargitionem explendo, utrum Indulgentiarum concessionibus inde potiri dicendum sit?*

Affir. respondet Viva; quia sectando opinionem probabilem prudenter sese gerit: ac proinde juxta concedentis mentem conditiones implet appositas; Pontifex enim elargiendo Indulgentias ad illarum concessiones adsequendas nihil aliud exigit, quam prudentem operandi modum in servandis appositis conditionibus.

Alii vero hic pernegant, & quidem quam meritissimo. Etenim in illis, quæ sunt facti, non tam sectandæ opiniones

aut probabilitates, quam ipsa adsequenda veritas; nam licet opinio, aut probabilitas, modo pertingat ad moralem certitudinem, aliquando eximere valeat a peccati reatu; numquam tamen efficere potest, ut tribuat actui valorem, cum in eo Superioris concedentis voluntas non adsit, si quando non serventur præstitutæ in concessionibus ad valorem actus conditiones. Sane hæc omnino pendent a voluntate Superioris concedentis, contra quam, aut præter quam nihil conferre potest opinionum probabilitas, neque aliquid momenti afferre, ut valere possit actus concessionis, præterquam in casibus a Superiore impertitis. Quemadmodum & in Sacramentorum administratione, quæ etiam omnino pendent a Christi institutione, a qua si deflectatur, ipsam substantialiter permutando, aut pervertendo, cujuscumque ponderis, ac momenti sit opinionum probabilitas, Sacramenta ipsa effectu careant necesse est.

Q. II. *Num saltem valida sit absolutio a Reservatis illi collata, qui juxta prædictam opinionem probabilem præstitutas in Jubilæi concessione conditiones impleverit; sive num valeat absolutio collata cum jurisdictione tantum probabili?*

Affir. respondet idem Viva, qui juxta Probabilistarum placita decernit, quod cum probabile sit, quod Sacerdoti absolvendi competat potestas, valide illum absolvere, esto opinio illa reapse sit falsa,

falsa, supplente Ecclesia jurisdictionis defectum, ne gravissima inde oboriantur damna. Quare cum probabile sit, illum, de quo in hypotesi loquimur, satisfecisse menti Superioris concedentis, atque inde Confessario electo competere facultatem absolvendi ipsum a Reservatis, valide dicendum ipsum absolvere. Quod quidem adsertum variis propositis ratiunculis nobis persuadere laud. Theologus nititur. At incassum; siquidem universa ipsarum congeries vel uno oris hiatu exsufflari potest in memoriam tantummodo revocando damnatam Thesin ab Innocentio XI. *Non est illicitum &c.* quoniam ex illa plane constat, quod nos adstringamur in Sacramentis conferendis sequi opinionem tutiorem relicta probabili de illorum valore. Atqui hujusmodi non est, scilicet tutior, neque esse potest recensita opinio, quam nobis propinat, atque obtrudit laud. Theolog. uti cuivis sanæ mentis id inficiari non licet. Ergo &c. At hisce prætermissis Probabilistarum inventis, sive potius somniis ad utiliora progrediamur.

Q. III. *Cujusmodi eleemosyna hic præcepta intelligatur?*

R. In confesso est apud omnes hic solum *spiritualem* haud satis esse ad Indulgentiarum Jubilæi adsecutionem. Etenim cum *simpliciter* eleemosyna injungatur, uti fit in hujusmodi concessionibus, intelli-

ligenda est de *corporali*, ac proinde de distributione bonorum temporalium; maxime cum adjungatur illud, *Pauperibus eroganda*. Porro non sola pecuniarum elargitione præcepto eleemosynæ fit satis, aut voluntati concedentis Indulgentiam, cum illam præscripserit; sed sufficit si pauperibus quodlibet pretio æstimabile conferatur. Legite D. Thomam 2. 2. *Qu.* 32. *art.* 2. Quin & Pauperum nomine non illi tantum indigitantur, qui ostiatim emendicando victitare consuevere; sed etiam religiosæ Communitates, aliique permulti, quibus plurima necessaria ad vitam deesse solent, spectata sui status conditione.

Q. IV. *Quanta sit oporteat eleemosyna, cum injungitur in hisce Indulgentiarum concessionibus?*

R. Dissentiunt hac in re Theologi, quanta nimirum futura sit oporteat hujusce præscriptæ elargitionis eleemosynæ mensura. Non pauci cum D. Thoma docent illam esse æstimandam ex conditione status, & ratione facultatum ipsius, qui eamdem elargitur; adeo quidem ut, quæ forte in homine mediocriter divite satis esse posset ad satisfaciendum menti, ac præcepto concedentis Indulgentiam, minime vero sufficiens reputanda sit in eo, qui divitiis affluit, ac faustiæ muneribus domus cumulatur. Quod quidem satis aperte colligitur ex verbis D. Thomæ, quæ in hunc modum sese habent: *Quan-*

Quando, inquit D. Thomas, *datur Indulgentia indeterminate ei, qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium, quod sit ei conveniens, qui auxilium dat, & secundum hoc plus, vel minus de Indulgentia consequitur: unde etiam aliquis pauper dans unum denarium consequitur totam Indulgentiam; non autem dives, quem non decet ad opus tam pium ac fructuosum, ita parum dare: Sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere, si ei obolum daret.* In *IV. Sent. Dist.* 20. *Qu.* 1. *art.* 3. *Quæstiunc.* 2.

At vero alii in contrariam abiere sententiam, uti Suaresius *Disp.* 52. *Sect.* 8. *num.* 7. Bonacina *De Indulg. Disp.* 6. *Qu.* 1. *Punct.* 5. *num.* 18. aliique, qui arbitrantur, quamcumque eleemosynam quamvis tenuem, atque exiguam sufficere, quando inter opera injuncta *simpliciter*, & *absolute* eleemosyna eroganda præcipiatur; tunc enim cum nihil aliud præcipi videatur, præterquam eleemosynæ elargitio; revera illum, qui tenuem, atque exiguam erogat, negari non potest, eleemosynam fuisse elargitum, ac proinde satisfecisse conditioni impositæ; sive operi injuncto.

In hac vero opinionum varietate, si inter tantæ auctoritatis viros eloqui nobis liceat, ita rem hanc definiendam arbitraremur: nimirum cum in formula concessionis eleemosynæ erogatio præcipiatur hisce consimilibus verbis: *Quantum quisque*

que pro arbitrio judicaverit, aut: *prout unicuique suggeret devotio*; quam postremam formulam adhibuisse novimus Benedictum XIV. indicendo Jubilæum per Bull. *Lætiora* sæpius laudatam, tunc tenui, atque exigua erogata eleemosyna, nec respondente mensuræ facultatum uniuscujusque, hoc satis esse videbitur, ad promissam Indulgentiam lucrifaciendam; aut saltem prodesse poterit ad percipiendos Indulgentiarum effectus, juxta mensuram suæ exiguæ devotionis. Quod postremum ex doctrina D. Thomæ superius proposita rectius colligi posse videtur. Legatur Natalis Alexander *De Indulg. Reg.* 13.

Illud tamen pro certo haberi poterit, tenuem atque exiguam eleemosynam minime sufficere ad propositam Indulgentiarum adsecutionem, si ad id avaritiæ stimulis inducaris; nam peccatum, quod in hoc deprehenditur, ab Indulgentiarum adsecutione arcebit. Quemadmodum nec *modicissima* spectata conditione status cujusque ad id satis erit, ut ipse Dominicus Viva fatetur *De Operib. Injunct. Qu.* 8. *art.* 6. quia minima non sunt in consideratione, & insinuare videtur etiam D. Thomas verbis supra laudatis.

Q. V. *Num eleemosynæ elargiendæ necessitas omnibus omnino incumbat, qui Jubilæi privilegiis frui cupiant?*

R. Affir. Etenim liberalis promissio facta sub conditione non subsistit, nec habet locum, nisi impleatur conditio, ut om-

omnibus jure compertum; & conſtat ex Jure, uti ex variis legibus *tit. De Condit. & Demonſtr.* & ex *Leg. Pecuniam 36. ff. De Rebus Creditis &c.* Sed hujuſmodi eſt Indulgentiarum elargitio, aliorumque privilegiorum per Bullam Jubilæi facta. Ergo appoſitæ conditioni erogandæ eleemoſynæ omnibus ſatisfaciendum, qui Indulgentiarum fructus, aliorumque privilegiorum compotes eſſe velint.

Hinc ad eleemoſynæ elargitionem, ſi Indulgentiarum fructu potiri velint, adſtringuntur Fideles omnes etiam pauperes, Religioſi, mulieres viris ſubditæ, filii familias, aliique hujus generis. Quod ſi quidam iſtorum omnino aut nequeant, aut aliunde impediantur, quominus propoſitæ conditioni ad Jubilæi adſecutionem neceſſariæ parere poſſint, iis Confeſſarii poteſtate ſibi facta per Summum Pontificem, uti patet ex Bullis Jubilæi, in alia pietatis opera, quæ a Pœnitentibus perfici queant, commutare eleemoſynam valent. Ita Petrus Colet, Viva, aliique; & quidem probabilius contra Navarrum.

Quod porro ſpectat ad hanc facultatem a Pontifice conceſſam Confeſſariis commutandi opera injuncta iis, qui aliquo detinentur impedimento, quominus illa exſequi valeant, illud admonuiſſe ſatis ſit, quod & neceſſarium ducimus; nimirum opera injuncta pro conſecutione Jubilæi non poſſe a Confeſſariis ſuis Pœnitentibus commutari, niſi quando aut om-

omnino exsecutioni demandari non possint, aut maximam adjunctam habeant difficultatem, quam superare valde difficile sit spectata valetudine, conditione personarum, &c. Ita rectissime laud. Colet. §. 12. *Append. laud.*

Q. VI. *Quid si eleemosyna alteri eroganda committatur, & iste aut sibi retineat, aut elapso tempore legitimo, ac præscripto ad Jubilæi durationem illam elargiatur, utrum hoc impedimento sit danti eleemosynam, quominus Jubilæi, sive Indulgentiarum gratiam adsequatur?*

R. Affir. I. Etenim ad Jubilæi, sive Indulgentiarum adsecutionem omnino necesse est, ut præscripta opera compleantur; velut conditiones necessario servandæ, ut concessioni locus esse possit; neque ad id sufficit sola voluntas, aut jussio, uti sæpius dictum est. At cum eleemosyna alteri eroganda committitur, nisi reapse in pauperes tribuatur, aut donec id fiat, injunctum opus eleemosynæ impletum dici nequaquam poterit. Ergo &c. Ad eleemosynæ quidem substantiam spectat, quod illa in pauperes collata eorum inopiæ subsidium conferat, ac levamen; quod revera præstare nequit, donec revera pauperibus tribuatur; sed tantum commissa sit eroganda.

II. Qui dominium rei in eleemosynam tribuendæ adhuc retinet, non erit censendus eleemosynæ penso satisfecisse. Sed ita res evenit in proposita facti specie. Ergo

Ergo &c. Quamdiu enim eleemosyna in pauperes non conferatur, illius dominium a donante non censetur abdicatum, eamque sibi vindicare poterit ille, qui tradidit erogandam; cum non possit haberi perfecta donatio ante acceptationem.

III. Qui pecuniam debitam suo creditori alteri commisit solvendam, donec illa reapse fuerit soluta, naturalis vinculo obligationis non eximitur. Ergo neque ille, qui eleemosynam in pauperes erogari jubeat, ut Jubilæi gratia perfruatur, ab isthac obligatione liberatur, donec reapse in pauperes fuerit tributa. Ergo &c.

Durior quidem isthæc sententia videri poterit; at quin sit probabilior nemo inficias ire poterit. Ita sæpius laud. Colet *loc. cit.* §. 9. Dominicus Viva *Qu.* 8. *art.* 6. Bonacina *De Indulg. Disp.* 6. *Q.* 1. *Punct.* 5. *n.* 22.

Ceterum si quis bona fide arbitratus eleemosynæ alteri commissæ penso jam satisfactum, absolutionem a censuris, aut votorum commutationem recepisset juxta Jubilæj concessionem; hæc sane valide illi collata, nec proinde suo defraudari effectu, censet Colet.

Q. VII. *Quale jejunium præscribi soleat in concessionibus Jubilæi, & Indulgentiarum?*

R. Nullum aliud nisi Ecclesiasticum, & ordinarium; quandoquidem, dum nihil

hil peculiare statutum occurrit, non censetur Pontifex aliud præcipere, nisi Ecclesiasticum ordinarium jejunium.

Hinc in hujusmodi jejuniis Jubilæi tempore indictis, licebit ex justa caussa prandium differre usque ad noctis initia, & mane refestiunculam sumere; licebit etiam vesci ovis, & lacticiniis, iis nempe, qui commorentur in illis regionibus, ubi ex consuetudine legitime præscripta hæc permissa censentur diebus jejunorum. Ita laud. Colet, Bonacina, aliique.

Q. VIII. *Num ad isthæc jejunia servanda adstringantur etiam adolescentuli, senes &c. ut Indulgentiarum fructu potiantur?*

R. Affir. Et ratio ipsa per se satis hoc ipsum suadet. Licet enim adolescentuli ad jejunia Ecclesiastica servanda non adstringantur nisi confirmata jam ætate; ad Indulgentiam tamen Jubilæi adsequendam, quæ sub hujusmodi conditione omnibus impertitur, præscripta isthæc jejunia omnibus adamussim, & omnino servanda sunt, ne ipsis quidem, aut aliis hujusmodi exceptis, qui alioqui ad jejunia ex Ecclesiæ præcepto non tenebantur. Adeo quidem ut ab Indulgentiarum adsecutione exclusi essent habendi, si istis, aut senibus ab incauto Confessario jejunia præscripta commutentur ob hanc tantummodo caussam, quod adolescentes sint, aut septuagenarii. Etenim ad hujusmodi commutationem urgentiores caussæ postulantur,

tur, uti jam dictum est, cum de eleemosyna loqueremur. Vide laud. Colet.

Imo juxta communem, aut potius communiorem Theologorum sententiam, uti testantur Paulus Laymann, & Gabriel Antoine, senes licet sexagesimum, aut etiam septuagesimum annum suæ ætatis jam exegerint, si forte firmi sint viribus, & jejunii oneri ferendo valetudine pares sint, ad cetera quæcumque Ecclesiastica jejunia servanda indubitanter sunt compellendi; & quamvis quidam ex indulgentioribus Theologis illos eximere a jejunii lege connixi sunt, frustra tamen adlaborarunt. Quod enim isti hauserant ex quodam Hieronymo Lama, atque nobis hac in re obtrudunt, ac divenditant, de vivae vocis oraculo a Pio V. edito eximente senes sexagenarios a lege jejunii, ac de declaratione in Bulla Cruciatæ pro Hispaniæ Regnis in hanc eamdem rem, inter aniles fabellas, speciosa somnia, ac pura putaque commenta merito esse rejiciendum nullus addubitare poterit. Lege doctissimum Concinam *in Animadversion. Critico-Moralib. in Menda Pontasiana præfixis, Dictionar. Cas. Conscient. edit. Venet.* ejusdem laud. Theologi. *Animadv.* 1. Neque his contrarius est Navarrus *in suo Manual. Cap.* 21. *n.* 16. licet ab Adversariis in suas partes adducitur, qui hujusmodi senes non eximit a lege jejunii, nisi impotentia jejunandi id exigente: quod & suo exemplo etiam

etiam confirmat, utpote qui octogesimum annum agens Ecclesiastica jejunia libenter, ac nullo fere incommodo servabat.

Q. IX. *Num levis injuncti jejunii violatio, quæ levis culpæ rationem non excederet, impedimento sit, quominus propositæ Indulgentiæ obtineantur?*

R. Cum doctissimo Suaresio *in 3. Part. Tom. IV. De Indulgent. Disp.* 52. *Sect. V. num.* 3. rem dubiam esse, proindeque evitandam; verutamen probabilius defendi poterit effectum Indulgentiarum non inde impediri, quando pars omissa levis est tum in se ipsa, tum habito respectu ad rem præceptam. Etenim in moralibus, uti satis constat, parum pro nihilo reputatur. Deinde quia posita isthac levi violatione, simpliciter verum est tale opus injunctum jejunii exsecutioni jam demandatum; quandoquidem simpliciter verum est per hujusmodi opus impleri præceptum. Præterea ita præsumendum videtur de clementia, ac benignitate Sum. Pontificis Indulgentias elargientis. Istam propositam sententiam tuentur quoque Bonacina *De Indulg.* laud. *Disp.* 6. *Qu.* 1. *Punct.* 5. *n* 21. Salmanticenses *Append. De Bull. S. Cruciat. Cap.* 2. *Punct.* 4. *n.* 71.

Dixi: *Quando pars omissa levis est tum in se &c.* Etenim si levis esset in se tantummodo, minime vero per respectum ad opus injunctum, Indulgentiarum effectus

ctus non inde consequeretur; quemadmodum si Indulgentia proposita, ac promissa esset recitanti quinquies Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam, & aliquis quater tantummodo recitaret a percipiendo Indulgentiarum fructu inde excluderetur; quia omissio licet levis esset in se, attamen gravis reputanda respectu habito ad opus injunctum.

Q. X. *Quænam Indulgentiæ suspendi ex Pontificiis decretis soleant durante Jubilæo Anni Sancti?*

Hic primo pauca quædam sunt adnotanda, ut responsioni postea proponendæ major lux effundatur. Ut indicta celebritas memorati Jubilæi Anni S. Fideles undique Romam accire, atque attrahere posset, ut in unitate Fidei, ac Religionis venerabundi illorum lipsana; seu Reliquias debito cultu prosequerentur, qui Christianam Fidem sanguine profuso illustrarunt, atque ad hanc nostram usque ætatem transmiserunt; hanc agendi rationem Romani Pontifices tenuere, ut ubique locorum impertitas ab iisdem Indulgentias variis de caussis suspenderent, atque suspensas declararent Decreto hac de re edito. Quemadmodum etiam innuimus *Part. I.* hujusce nostræ elucubrationis. §. 1. *Qu.* 8. Imo & excommunicationis majoris poenam *eo ipso* incurrendam minitati sunt, qui alias Indulgentias, præter expressas (h. e. exceptas a generali suspensione) & illas Indulgentias

Ju-

Jubilæo Anni S. affixas ubivis locorum, ac gentium publicarent, aut nunciarent. Lege Decretum Suspensionis hac de re editum ab immortalis memoriæ Pontifice Benedicto XIV. quod incipit. *Cum Nos* anno 1749.

Primus itaque, qui hanc agendi rationem servavit, ac subsecutis postea Pontificibus, ut illam sequerentur, exemplo fuit, exstitit Sixtus IV. qui in ipsa Bulla Indictionis Jubilæi hujusmodi Indulgentiarum insertam voluit suspensionem, uti legere est in *Extravag.* Quemadmodum *inter Communes tit. De Pœnitent. & Remission. Cap.* 4. edit. an. 1473. Hoc postea secuti deinceps ætatibus Pontifices imitati sunt, quidam in ipsa Bulla Indictionis Jubilæi Indulgentias suspendendo, plures vero peculiari decreto hac de re edito. Lege laud. Pontificem Benedictum XIV, *in Epist. Encyclica ad Pœnitentiar.* occasione Jubilæi Anni S. quæ incipit. *Inter præteritos* §. 2. *num.* 17.

Porro ex varietate formularum, quas memorati subinde Pontifices adhibuere in suspensione Indulgentiarum, exortæ fuere non paucæ inter Theologos controversiarum ventilationes, uti cuique nosse licebit; præsertim utrum omnes omnino Indulgentiæ licet non plenariæ hujusmodi suspensionis Decreto manerent suspensæ percurrente celebritate Anni S. Quas quidem omnes controversias addiscere poteris ex laud. Pontifice Bened. XIV. memo-

morata Encyc. *Inter præteritos*; & partim etiam ex doctissimo Colet, laud. *Append. De Jubilæo* §. 16. atque ex Navarro *Domm. De Jubil. & Indulg. Notab. XXV.*

Ut autem tot dubitationum scopuli, ac controversiarum scaturigines, quæ ad pietatem non proficiunt, sed juxta *Apost. II. ad Timoth.* generant lites, & conscientiarum fluctuationes inde amputarentur; Benedictus XIV. in suo decreto suspensionis; quod nuper innuimus, pro Jubilæo Anni S. hoc medio seculo XVIII. celebrato amplissimam instituit suspensionem omnium, ac singularum Indulgentiarum, solis quibusdam inde exceptis. Insuper, ut quorumdam petulantium ingeniis frenum injiceretur, in sua laud. *Encycl.* luculentissimis verbis protestatus est, illas, quæ nominatim in dicto Decreto suspensionis *præservatæ* non essent h. e. non essent nominatim inde exceptæ, *intelligi debere suspensas* §. 2. *num.* 22. Hisce itaque admonitis ad quæsitum

R. & dico: ex laud. Decreto suspensionis Benedicti XIV. aliove consimili, omnes omnino Indulgentias tam plenarias, quam non plenarias, etiam perpetuas manere suspensas, præter illas, quæ ibidem sunt exceptæ, atque enumeratæ, ut Indulgentiæ Altarium, quæ dicuntur *privilegiata*, pro Fidelibus defunctis, aliæque consimiles inibi exceptæ; ut in laud. Decr. suspensionis legere licebit.

Illud porro silentio prætereundum non erit, nimirum ex generali illa suspensione Indulgentiarum fuisse exceptas omnes Indulgentias pro solis Defunctis concessas, quas perdurare voluit Pontifex, ac in suo robore permanere etiam durante celebritate Anni S. Atque insuper fuisse exceptas omnes, & quascumque Indulgentias, & peccatorum remissiones alias pro vivis concessas ad effectum duntaxat, ut Christifideles illas animabus Fidelium Defunctorum, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii directe applicare valeant; quas omnes, & singulas, licet, pro eo quod respicit vivorum favorem, Jubilæo Anni S. durante generaliter, ut intra suspensas, ad prædictam tamen effectum, ipsius anni decursu, etiamsi in earum concessionibus hujusmodi applicandi facultas (scilicet Defunctis) indulta non fuerit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse libere conceditur, atque indulgetur. Lege laud. *Decret.* §. 1. & *Epist. Encycl.* Inter præteritos § 2. *n.* 23. & 24.

Demum Suspensio istnæ tam Indulgentiarum, quam facultatum, de quibus alibi elocuti fuimus, incipit immediate ante primas Vesperas Nativitatis Dominicæ, & in idem tempus postea desinet anno insequenti, quin novus consensus Pontificis juxta communiorem sententiam, aut

aut suspensionis revocatio sit necessaria. Quia Clemens VIII. ejusque successores, & novissime Benedictus XIV. in laud. Decret. satis aperte declararunt, nonnisi ad annum illas suspendere. Comperta porro, atque explorata res est ad certum tempus illis suspensis, eo præterlapso tempore cessare suspensionem.

Q. XI. *Utrum per hujusmodi Indulgentiarum suspensionem factam pro tempore Jubilæi, etiam Indulgentiæ Bullæ nostræ Cruciatæ suspensæ remaneant?*

R. Cum doctissimo Colet, juxta sententiam, quam ipse vocat communiorem, & revera talis est, per memoratum suspensionis Decretum Bullæ nostræ Indulgentias minime remanere suspensas. Id sane patet I. ex declaratione Clementis VIII. quam refert etiam Sanchez, & nos alibi innuimus. II. Nititur isthæc sententia tacito Pontificum consensui, qui cum non ignorent memoratam Bullam in locis, in quibus facta est hujusmodi concessio, promulgari etiam pro tempore, quod decurrere debet pro duratione Jubilæi Anni Sancti, nec contradicunt, neo expresse revocant: quod hac in re factu opus esset. III. Quia exspoliare Fideles hujusmodi Indulgentia, quæ propter erogatam stipem iisdem debetur, idem profecto esset, ac privare fructu Sacraficii illum, qui ad id eleemosynam contulit. Hoc autem nec licite, nec jure fieri potest. Ergo &c.

Recensita porro memorati Theologi sententia pluribus nominibus maximi apud me est ponderis, præsertim cum ipse scripserit post amplissimam memorati Pontificis Benedicti XIV. Indulgentiarum Suspensionem, quam ipse refert, & per partes expendit. Et licet alibi cum de facultatibus nostræ Bullæ loqueremur, veluti tutius consulendum putavimus, ut in hujusmodi facultatum suspensione Pontificium peteretur oraculum, quo dictæ Bullæ nostræ Cruciatæ facultatibus per hujusmodi suspensionis Decretum, minime se se derogatum voluisse declararet; si qui tamen recensitam communiorem sentententiam, etiam quod spectat ad facultates Bullæ nostræ in praxi sectari vellent, minime reprehendere auderemus; neque culpandi jure ipsi videntur; nec enim pro illa tantum parte, quæ facultates continet, revocari Bullam, aut suspendi suspicari aliquis poterit.

§. III.

§. III.

Ubi de Indulgentiis per Pontificium Diploma Cruciatæ S. nobis concessis, earumque necessariis conditionibus, seu dispositionibus edisseritur.

HActenus veluti prolusimus in hac II. Parte, nunc vero cominus ac propius ad rem promissam accedere præstat. Quæ sane huc usque in medium protulimus neque supervacanea, neque ab instituto nostro veluti aberrantia aliquis incusare poterit. Siquidem antequam huic parti nostræ Bullæ, quæ Indulgentiarum concessionês complectitur, illustrandæ manum admoveremus, argumenti ratio, & rectus ordo postulare videbatur, ut prius, quæ pertinebant ad Indulgentiarum naturam, salutares earumdem effectus, atque ad eosdem effectus percipiendos dispositiones perspicue traderentur, quo planior, ac facilior nobis via pararetur ad illa enucleanda, quæ in hac nostra Bulla circa Indulgentiarum concessiones continentur. Atque id sane, nisi nostra nos fallat opinio, in caussa fuit, quamobrem ceteri Theologi, qui de hoc argumenti genere, h. e. de hujusmodi Bullarum elucidatione copiose, apte, nec nisi eximia cum laude edisseruere, prius proponerent, ac pro-

probarent ea omnia, quæ pertinerent ad earumdem Indulgentiarum naturam &c. deinde gradum facerent ad hanc partem Bullæ illustrandam, quæ Indulgentiarum fructus Fidelibus exhibet, ac pollicetur. Horum porro exempla nos etiam fuisse consectatos, si minus laudandum, culpandum profecto non erit. Proposito itaque isthoc labore magna ex parte, Deo dante, perfuncti, ad ea, quæ nunc supersunt, pro rei gravitate animum mentemque adpellamus; levioris enim momenti profecto non sunt, quam reliqua omnia. Sit itaque.

Q. I. *Quænam sint istæ Indulgentiæ per Bullam nostræ Cruciatæ propositæ, ac promissæ incolis præsertim nostri Regni, qui definitam stipem contulerint ad destinatum opus Belli adversus Infideles?*

R. Iis, qui statutam eleemosynam ad prædictum finem erogaverint, I. conceditur, ut omnibus, & singulis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus concessis quibusdam Confraternitatibus, Sodalitatibus &c. in dictis nostris Regnis exsistentibus, perinde ac si illis essent *personaliter* adscripti, plene, ac libere perfrui possint; atque insuper, ut illas etiam Animabus Christifidelium defunctorum per modum suffragii applicare valeant.

II. Iisdem conceditur, & indulgetur, ut si in singulis diebus Stationum Almæ Romanæ Urbis, quinque Ecclesias, seu Al-

Altaria, aut in illorum defectu quinquies unum, & idem Altare devote visitaverint; ibique pias ad Deum preces pro Christianorum Principum concordia &c. effuderint, omnes & singulas Indulgentias, peccatorum remissiones &c. concessas Ecclesiis, ad quas dictæ Stationes in Romana Urbe affixae exsistunt, consequi valeant, tam pro se, quam pro Defunctis, pro quibus visitaverint. Hæc profecto omnia apertissime constant ex ipsa formula Concessionis, quam initio hujusce *II. Partis* integram protulimus, ut quisque per sese de re universa dijudicare posset.

Q. II. *Quænam sint præscriptæ conditiones, seu dispositiones necessario requisitæ ad lucrifaciendas hujusmodi Indulgentias per Bullam nostræ Cruciatæ propositas?*

Ante responsionem animadvertere (ne quid ambiguitatis rectæ nostræ Bullæ explanationi obsistat) operæ pretium ducimus; duplicem Indulgentiam hic nobis per Bullam nostræ Cruciatæ promitti. Prima est, quæ consistit in participatione omnium Indulgentiarum, quæ Confraternitatibus, ac Sodalitatibus in Regno nostro exsistentibus fuerint concessæ. Altera vero est, quæ sita est in participatione illarum Indulgentiarum, quæ Stationibus Romanæ Urbis sunt affixæ; & unicuique suas peculiares conditiones, seu dispositiones adscribi, atque adsignari constat, ut earumdem fructus quivis salubri-

ter compos esse possit. Quod quidem cuivis legenti prædictam nostram Bullam non obscure liquet, ut arbitramur. His admonitis.

R. I. Aut loqui velimus de illis Indulgentiis, quæ consequendæ exhibentur per solam ipsius Bullæ receptionem; uti est participatio omnium, & quarumcumque Indulgentiarum, quæ concessæ sint Sodalitatibus &c. & dico ad istas adsequendas præter statum gratiæ non aliud requiri, atque exposci a Concedente, nisi receptionem ipsius Bullæ, sive erogationem eleemosynæ ad destinatum opus Belli adversus Infideles. Quod quidem legenti ipsam Bullam non obscure patebit Dummodo tamen istiusmodi Indulgentiæ tales sint, ut possint per solam Bullæ receptionem adquiri. Vide *tom. II. Append. I. Qu.* 7.

Dixi: *præter statum gratiæ non aliud. &c.* Quantum enim ad necessitatem status gratiæ ad percipiendos Indulgentiarum fructus nullus equidem addubitare poterit, uti & fusius per nos probatum occurrit superiori Paragrapho.

Quod autem præter statum gratiæ nihil aliud requiratur, quam ejusdem Bullæ receptio, sive eleemosynæ contributio, id etiam patet. Sunt enim quædam Indulgentiæ nec exiguæ, nec minoris momenti, quæ impertiuntur recipientibus Bullam, sive elargientibus eleemosynam, sive quæ huic tantummodo operi sive conditioni sunt affixæ, quemadmodum de Bulla Cruciatæ pro Lusitania concessa testatur.

Na-

Navarrus mox afferendus, & ipsius Bullæ nostræ tenor satis aperte indicat. Non secus ac quandoque Confraternitatibus quibusdam privilegia concessa sunt, quibus Indulgentiæ non exiguæ donantur iis, qui in illas ingrediuntur, pro eo tempore, quo ingrediuntur, aut iisdem adscribuntur.

Quapropter opportune idem Navar. *Comm. De Jubilæo, & Indulg. Notab. XIX. num.* 20. docet: plurimum præmonendum esse populum; ut accepturi Bullas Cruciatæ, & alias similes, quibus magnæ Indulgentiæ conceduntur, antequam eas accipiant, & solvant, vel se obligent solvere eleemosynam, ob quam conceduntur; prius magna cura justum dolorem de peccatis præteritis, cum proposito justo ea confitendi, cavendique futura concipiant; & nisi illud fecerint, non esse lucrifacturos Indulgentiam, quæ ob ipsam Bullæ acceptionem, & eleemosynæ solutionem, ipso jure sine alia Confessarii absolutione acquiritur. Quod sane præclarum laud. Doctoris monitum ea innititur ratione, quod ipsa Bullæ receptio, sive eleemosynæ contributio est caussa proxima reputanda ad hujusmodi Indulgentias adsequendas; atque unanimi Theologorum adsensu caussa proxima, qua percipienda est promissa Indulgentia, in statu gratiæ ponatur necesse est. Lege laud. Navarrum.

R. II. Quod si loqui velimus de aliis

Indulgentiis nobis etiam per Bullam nostræ Cruciatæ concessis; de iis scilicet, quæ Romanis Stationibus sunt affixæ, ad easdem rite adsequendas præter statum gratiæ, & Bullæ receptionem, aut definitæ eleemosynæ erogationem, necessarias quoque esse quinque Ecclesiarum, sive altarium visitationes, atque preces in iisdem effundendas juxta præscriptum in eadem Bulla ad propositum finem; de quo inferius etiam reccurret mentio,

Ad easdem porro Indulgentias, (quod nobis etiam Apostolica munificentia datum est) ad pias Defunctorum animas purgatorio igni addictas per modum suffragii transferendas, easdem quoque exposci recensitas conditiones, nullus, ut arbitror, addubitare poterit; nisi quod, quantum ad statum gratiæ, num sit omnino necessarius ad applicationem Indulgentiarum Defunctorum animabus faciendam, controvertitur inter Theologos, quam controversiam infra opportunius excutiemus, ac pro viribus expedire curabimus.

Nulla sane hic nobis præscribitur Sacramentalis Eucharistiæ receptio, nulla peccatorum facienda exomologesis, ut promisso hic Indulgentiarum effectu quis perfrui possit; licet vero sacramentalis peccatorum confessio præmittenda sit, non tamquam opus injunctum; sed quoties, & quatenus opus erit ad statum gratiæ comparandum, unde quis forte exciderit

derit per peccatum, quo subjectum, h. e. Fidelis percipiendis Indulgentiarum fructibus idoneus efficiatur; Confessio inquam, h. e. vel in se ipsa, & *in re* exhibita, si contritio fuerit imperfecta, vel *in voto*, si illa fuerit perfecta. Lege Suaresium *in 3. Part. D. Thomæ Tom. IV. Disp.* 52. *Sect.* 3. Vide etiam quæ in hanc rem superiori Paragrapho per nos dicta fuere.

Q. III. *Quâ ratione tot, tamque diversæ Indulgentiæ, cujusmodi sunt, quæ hic nobis promittuntur, unico eodemque actu percipi potuerint?*

R. Licet juxta sententiam Eximii Suaresii *laud. Disp.* 52. *Sect.* 8. *n.* 9. *& seqq.* quem sequuntur Salmanticenses. *Append. De Bull. S. Cruc. Cap.* 2. *Punct.* 4. *n.* 73. ceterique passim: quando plures Indulgentiæ conjungantur in eadem persona diversis viis, i. e. per plura distincta privilegia, aut diversa grana benedicta, aut quando plures Indulgentiæ divisæ in multis locis, & personis conjungantur in eodem loco, vel persona per unam tantum novam concessionem, intelligendæ sint, ut secum ferant, sive exposcant multiplicationem actus, pro quo singula ipsarum fuerit concessa, juxta modum concessionis; quia unaquæque ipsarum postulat talem actum applicatum ad talem finem, sive effectum, ut caussam saltem partialem talis concessionis; secus tamen sese res habet, cum continentia ipsius

Bullæ, sive tenor concessionis contrarium luculenter ostendat; uti in re nostra nobis accidit per concessionem nostræ Bullæ Cruciatæ; in qua omnes recensitæ Indulgentiæ statim conceduntur per ipsam Bullæ receptionem, sive eleemosynæ collationem. In hac enim hypothesi non habet locum multiplicatio actuum; sed ille solus uti relatus ad aliquod commune bonum, reputatur caussa sufficiens ad tantam remissionem, quanta nimirum ex omnibus illis Indulgentiis simul sumptis consurgit.

Atque hac ratione fit, ut beneficio nostræ Bullæ, atque Apostolica munificentia, per solam Bullæ receptionem, sive statutæ eleemosynæ collationem, atque per unicam eamdemque Ecclesiarum, sive Altarium visitationem diebus Stationum factam tot ibi, tamque diversæ recensitæ ac promissæ Indulgentiæ lucrifieri per nos possint.

Q. IV. *Quid sibi velint illæ voces adbibitæ in nostra Bulla:* Omnibus, & singulis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus?

Hic primo veluti certa atque explorata ponenda sunt, uti revera se se habent, nonnulla quædam; scilicet Indulgentiarum vim ac virtutem, sive effectum, licet populo Christiano maxime salutaris sit, quemadmodum definivit Tridentina Synodus adversus insanientes Lutheranorum

rum voces *Seff.* 25. *In Decret. De Indulg.* haud tamen usque adeo progredi, aut esse illum protendendum, ut lethalis peccati maculam, aut obligationem ad pœnam æternam, quæ necessario culpæ reatum consequitur, per se delere atque expungere possit. Quod sane egregie suo more probat Suaresius *in* 3. *P. D. Th. t.* 4.*De Indulg. effectu*. *Disp.* 50. *Sect.* 1. & nos etiam §. 1. hujusce *II. Part. Qu.* 4. breviter indicavimus.

Dictum est, *per se*. Etenim Indulgentiarum concessiones multa secum *concomitanter* afferre possunt, quæ ad remissionem ipsius peccati facilius consequendam prodesse possunt; siquidem quandoque secum ferunt facultatem absolvendi a peccatis reservatis, sive censuris, vota commutandi, aliaque hujusmodi, uti accidit in Bullis Jubilæi præsertim, & Cruciatæ S., quæ omnia multum conferre possunt ad facilius consequendam veniam, & culparum absolutionem.

Neque hæc porro intelligenda sunt de peccatis tantummodo lethalibus, sed etiam de venialibus; scilicet, quod neque ad venialium remissionem Indulgentiæ per se valere possunt. Quod nos etiam loco laud. indicavimus Navarrum sequuti. Lege etiam Suaref. laud. *Disp.* 50. His positis

Respondeo & dico: Per adductas voces ipsum ac proprium Indulgentiarum effectum licet verbis paulo luculentioribus designari.

Et

Recensita porro memorati Theologi sententia pluribus nominibus maximi apud me est ponderis, præsertim cum ipse scripserit post amplissimam memorati Pontificis Benedicti XIV. Indulgentiarum Suspensionem, quam ipse refert, & per partes expendit. Et licet alibi cum de facultatibus nostræ Bullæ loqueremur, veluti tutius consulendum putavimus, ut in hujusmodi facultatum suspensione Pontificium peteretur oraculum, quo dictæ Bullæ nostræ Cruciatæ facultatibus per hujusmodi suspensionis Decretum, minime se se derogatum voluisse declararet; si qui tamen recensitam communiorem sentententiam, etiam quod spectat ad facultates Bullæ nostræ in praxi sectari vellent, minime reprehendere auderemus; neque culpandi jure ipsi videntur; nec enim pro illa tantum parte, quæ facultates continet, revocari Bullam, aut suspendi suspicari aliquis poterit.

§. III.

§. III.

Ubi de Indulgentiis per Pontificium Diploma Cruciatæ S. nobis concessis, earumque necessariis conditionibus, seu dispositionibus edisseritur.

HActenus veluti prolusimus in hac II. Parte, nunc vero cominus ac propius ad rem promissam accedere præstat. Quæ sane huc usque in medium protulimus neque supervacanea, neque ab instituto nostro veluti aberrantia aliquis incusare poterit. Siquidem antequam huic parti nostræ Bullæ, quæ Indulgentiarum concessiones complectitur, illustrandæ manum admoveremus, argumenti ratio, & rectus ordo postulare videbatur, ut prius, quæ pertinebant ad Indulgentiarum naturam, salutares earumdem effectus, atque ad eosdem effectus percipiendos dispositiones perspicue traderentur, quo planior, ac facilior nobis via pararetur ad illa enucleanda, quæ in hac nostra Bulla circa Indulgentiarum concessiones continentur. Atque id sane, nisi nostra nos fallat opinio, in caussa fuit, quamobrem ceteri Theologi, qui de hoc argumenti genere, h. e. de hujusmodi Bullarum elucidatione copiose, apte, nec nisi eximia cum laude edisseruere, prius proponerent, ac pro-

probarent ea omnia, quæ pertinerent ad earumdem Indulgentiarum naturam &c. deinde gradum facerent ad hanc partem Bullæ illustrandam, quæ Indulgentiarum fructus Fidelibus exhibet, ac pollicetur. Horum porro exempla nos etiam fuisse consectatos, si minus laudandum, culpandum profecto non erit. Proposito itaque isthoc labore magna ex parte, Deo dante, perfuncti, ad ea, quæ nunc supersunt, pro rei gravitate animum mentemque adpellamus; levioris enim momenti profecto non sunt, quam reliqua omnia. Sit itaque.

Q. I. *Quænam sint istæ Indulgentiæ per Bullam nostræ Cruciatæ propositæ, ac promissæ incolis præsertim nostri Regni, qui definitam stipem contulerint ad destinatum opus Belli adversus Infideles?*

R. Iis, qui statutam eleemosynam ad prædictum finem erogaverint, I. conceditur, ut omnibus, & singulis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus concessis quibusdam Confraternitatibus, Sodalitatibus &c. in dictis nostris Regnis exsistentibus, perinde ac si illis essent *personaliter* adscripti, plene, ac libere perfrui possint; atque insuper, ut illas etiam Animabus Christifidelium defunctorum per modum suffragii applicare valeant.

II. Iisdem conceditur, & indulgetur, ut si in singulis diebus Stationum Almæ Romanæ Urbis, quinque Ecclesias, seu Al-

Altaria, aut in illorum defectu quinquies unum, & idem Altare devote visitaverint; ibique pias ad Deum preces pro Christianorum Principum concordia &c. effuderint, omnes & singulas Indulgentias, peccatorum remissiones &c. concessas Ecclesiis, ad quas dictæ Stationes in Romana Urbe affixae exsistunt, consequi valeant tam pro se, quam pro Defunctis, pro quibus visitaverint. Hæc profecto omnia apertissime constant ex ipsa formula Concessionis, quam initio hujusce *II. Partis* integram protulimus, ut quisque per sese de re universa dijudicare posset.

Q. II. *Quænam sint præscriptæ conditiones, seu dispositiones necessario requisitæ ad lucrifaciendas hujusmodi Indulgentias per Bullam nostræ Cruciatæ propositas?*

Ante responsionem animadvertere (ne quid ambiguitatis rectæ nostræ Bullæ explanationi obsistat) operæ pretium ducimus; duplicem Indulgentiam hic nobis per Bullam nostræ Cruciatæ promitti. Prima est, quæ consistit in participatione omnium Indulgentiarum, quæ Confraternitatibus, ac Sodalitatibus, in Regno nostro exsistentibus fuerint concessæ. Altera vero est, quæ sita est in participatione illarum Indulgentiarum, quæ Stationibus Romanæ Urbis sunt affixæ; & unicuique suas peculiares conditiones, seu dispositiones adscribi, atque adsignari constat, ut earumdem fructus quivis salubri-

ter compos esse possit. Quod quidem cuivis legenti prædictam nostram Bullam non obscure liquet, ut arbitramur. His admonitis.

R. I. Aut loqui velimus de illis Indulgentiis, quæ consequendæ exhibentur per solam ipsius Bullæ receptionem; uti est participatio omnium, & quarumcumque Indulgentiarum, quæ concessæ sint Sodalitatibus &c. & dico ad istas adsequendas præter statum gratiæ non aliud requiri, atque exposci a Concedente, nisi receptionem ipsius Bullæ, sive erogationem eleemosynæ ad destinatum opus Belli adversus Infideles. Quod quidem legenti ipsam Bullam non obscure patebit Dummodo tamen istiusmodi Indulgentiæ tales sint, ut possint per solam Bullæ receptionem adquiri. Vide *tom. II. Append. I. Qu. 7.*

Dixi: *præter statum gratiæ non aliud. &c.* Quantum enim ad necessitatem status gratiæ ad percipiendos Indulgentiarum fructus nullus equidem addubitare poterit, uti & fusius per nos probatum occurrit superiori Paragrapho.

Quod autem præter statum gratiæ nihil aliud requiratur, quam ejusdem Bullæ receptio, sive eleemosynæ contributio, id etiam patet. Sunt enim quædam Indulgentiæ nec exiguæ, nec minoris momenti, quæ impertiuntur recipientibus Bullam, sive elargientibus eleemosynam, sive quæ huic tantummodo operi sive conditioni sunt affixæ, quemadmodum de Bulla Cruciatæ pro Lusitania concessa testatur.

Na-

Navarrus mox afferendus, & ipsius Bullæ nostræ tenor satis aperte indicat. Non secus ac quandoque Confraternitatibus quibusdam privilegia concessa sunt, quibus Indulgentiæ non exiguæ donantur iis, qui in illas ingrediuntur, pro eo tempore, quo ingrediuntur, aut iisdem adscribuntur.

Quapropter opportune idem Navar. *Comm. De Jubilæo, & Indulg. Notab. XIX. num.* 20 docet: plurimum præmonendum esse populum; ut accepturi Bullas Cruciatæ, & alias similes, quibus magnæ Indulgentiæ conceduntur, antequam eas accipiant, & solvant, vel se obligent solvere eleemosynam, ob quam conceduntur; prius magna cura justum dolorem de peccatis præteritis, eum proposito justo ea confitendi, cavendique futura concipiant; & nisi illud fecerint, non esse lucrifacturos Indulgentiam, quæ ob ipsam Bullæ acceptionem, & eleemosynæ solutionem, ipso jure sine alia Confessarii absolutione acquiritur. Quod sane præclarum laud. Doctoris monitum ea innititur ratione, quod ipsa Bullæ receptio, sive eleemosynæ contributio est caussa proxima reputanda ad hujusmodi Indulgentias adsequendas; atque unanimi Theologorum adsensu caussa proxima, qua percipienda est promissa Indulgentia, in statu gratiæ ponatur, necesse est. Lege laud. Navarrum.

R. II. Quod si loqui velimus de aliis

Indulgentiis nobis etiam per Bullam nostræ Cruciatæ concessis; de iis scilicet, quæ Romanis Stationibus sunt affixæ, ad easdem rite adsequendas præter statum gratiæ, & Bullæ receptionem, aut definitæ eleemosynæ erogationem, necessarias quoque esse quinque Ecclesiarum, sive altarium visitationes, atque preces in iisdem effundendas juxta præscriptum in eadem Bulla ad propositum finem; de quo inferius etiam reccurret mentio.

Ad easdem porro Indulgentias, (quod nobis etiam Apostolica munificentia datum est) ad pias Defunctorum animas purgatorio igni addictas per modum suffragii transferendas, easdem quoque exposci recensitas conditiones, nullus, ut arbitror, addubitare poterit; nisi quod, quantum ad statum gratiæ, num sit omnino necessarius ad applicationem Indulgentiarum Defunctorum animabus faciendam, controvertitur inter Theologos, quam controversiam infra opportunius excutiemus, ac pro viribus expedire curabimus.

Nulla sane hic nobis præscribitur Sacramentalis Eucharistiæ receptio, nulla peccatorum facienda exomologesis, ut promisso hic Indulgentiarum effectu quis perfrui possit; licet vero sacramentalis peccatorum confessio præmittenda sit, non tamquam opus injunctum; sed quoties, & quatenus opus erit ad statum gratiæ comparandum, unde quis forte exciderit

derit per peccatum, quo subjectum, h. e. Fidelis percipiendis Indulgentiarum fructibus idoneus efficiatur; Confessio inquam, h. e. vel in se ipsa, & *in re* exhibita, si contritio fuerit imperfecta, vel *in voto*, si illa fuerit perfecta. Lege Suaresium *in* 3. *Part. D. Thomæ Tom. IV. Disp.* 52. *Sect.* 3. Vide etiam quæ in hanc rem superiori Paragrapho per nos dicta fuere.

Q. III. *Qua ratione tot, tamque diversæ Indulgentiæ, cujusmodi sunt, quæ hic nobis promittuntur, unico eodemque actu percipi potuerint?*

R. Licet juxta sententiam Eximii Suaresii *laud. Disp.* 52. *Sect.* 8. *n.* 9. *& seqq.* quem sequuntur Salmanticensi. *Append. De Bull. S. Cruc. Cap.* 2. *Punct.* 4. *n.* 73. ceterique passim: quando plures Indulgentiæ conjungantur in eadem persona diversis viis, i. e. per plura distincta privilegia, aut diversa grana benedicta, aut quando plures Indulgentiæ divisæ in multis locis, & personis conjungantur in eodem loco, vel persona per unam tantum novam concessionem, intelligendæ sint, ut secum ferant, sive exposcant multiplicationem actus, pro quo singula ipsarum fuerit concessa, juxta modum concessionis; quia unaquæque ipsarum postulat talem actum applicatum ad talem finem, sive effectum, ut caussam saltem partialem talis concessionis; secus tamen sese res habet, cum continentia ipsius

Bullæ, sive tenor concessionis contrarium luculenter ostendat; uti in re nostra nobis accidit per concessionem nostræ Bullæ Cruciatæ; in qua omnes recensitæ Indulgentiæ statim conceduntur per ipsam Bullæ receptionem, sive eleemosynæ collationem. In hac enim hypothesi non habet locum multiplicatio actuum; sed ille solus uti relatus ad aliquod commune bonum, reputatur caussa sufficiens ad tantam remissionem, quanta nimirum ex omnibus illis Indulgentiis simul sumptis consurgit.

Atque hac ratione fit, ut beneficio nostræ Bullæ, atque Apostolica munificentia, per solam Bullæ receptionem, sive statutæ eleemosynæ collationem, atque per unicam eamdemque Ecclesiarum, sive Altarium visitationem diebus Stationum factam tot ibi, tamque diversæ recensitæ ac promissæ Indulgentiæ lucrifieri per nos possint.

Q. IV. *Quid sibi velint illæ voces adhibitæ in nostra Bulla:* Omnibus, & singulis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus?

Hic primo veluti certa atque explorata ponenda sunt, uti revera se se habent, nonnulla quædam; scilicet Indulgentiarum vim ac virtutem, sive effectum, licet populo Christiano maxime salutaris sit, quemadmodum definivit Tridentina Synodus adversus insanientes Lutheranorum

rum voces *Seff.* 25. *In Decret. De Indulg.* haud tamen usque adeo progredi, aut esse illum protendendum, ut lethalis peccati maculam, aut obligationem ad pœnam æternam, quæ necessario culpæ reatum consequitur, per se delere atque expungere possit. Quod sane egregie suo more probat Suaresius *in* 3. *P. D. Th. t.* 4. *De Indulg. effectu*. *Disp.* 50. *Sect.* 1. & nos etiam §. 1. hujusce *II. Part. Qu.* 4. breviter indicavimus.

Dictum est, *per se*. Etenim Indulgentiarum concessiones multa secum *concomitanter* afferre possunt, quæ ad remissionem ipsius peccati facilius consequendam prodesse possunt; siquidem quandoque secum ferunt facultatem absolvendi a peccatis reservatis, sive censuris, vota commutandi, aliaque hujusmodi, uti accidit in Bullis Jubilæi præsertim, & Cruciatæ S., quæ omnia multum conferre possunt ad facilius consequendam veniam, & culparum absolutionem.

Neque hæc porro intelligenda sunt de peccatis tantummodo lethalibus, sed etiam de venialibus; scilicet, quod neque ad venialium remissionem Indulgentiæ per se valere possunt. Quod nos etiam loco laud. indicavimus Navarrum sequuti. Lege etiam Suaref. laud. *Disp.* 50. His positis

Respondeo & dico: Per adductas voces ipsum ac proprium Indulgentiarum effectum licet verbis paulo luculentioribus designari.

Et

Et primo quod spectat ad voces illas: *Remissiones peccatorum*: consueto Ecclesiastico loquendi more ex ipsius Sacris Litteris derivato, uti patet *Machab. I. 2 1.* per quamdam metonymiam, ubi caussa ponitur pro effectu, per istas voces significatur, per Indulgentias impertiri, ac fieri remissiones pœnarum, quæ peccatis debentur, atque ex peccatis consecutæ fuere. Ita Suaref. *loc. cit.* Navarr. *Comm. De Indulgent. Notab X.* Sive etiam mavis dicere per adducta s voces hic adhibitas perfectam, atque omni ex parte completam, atque integram peccatorum remissionem nobis promitti; per quam fit, ut dimissa culpa per Pœnitentiæ Sacramentum, ac virtutem, ipsa etiam pœna temporalis, quæ ut plurimum luenda superest post Pœnitentiam, per advenientem Indulgentiarum effectum deleatur, atque expungatur. Quod unum deesse videbatur ad perfectum, atque completam peccatorum remissionem. Atque hoc sensu esse intelligenda verba illa a *culpa & pœna*, quibus aliquando usi fuere Pontifices in concessione Indulgentiæ Jubilæi, teste Suaresio *loc. cit.* nemo non videt.

Quod vero secundo pertinet ad illas voces secundo loco positas *Pœnitentiarum relaxationes*; per hujusmodi quoque significatur, per Indelgentias hic nobis promissas condonari pœnas peccatis debitas, atque iisdem dimissis superstites, quæ pœnitentiis, sive satisfactionibus tam *injun-*

ctis

ctis in Sacramentali Pœnitentiæ Foro, quam ibidem *non injunctis* essent expungendæ; vel, quod eodem recidit, condonari pœnas debitas tum peccatis ad Pœnitentiæ tribunal delatis, tum etiam debitas illis, quæ illuc delata non sunt, nec Sacramentali Confessioni subjecta. Ita Trullench. *in Exposit. Bull. S. Cruciat. Lib. I. §. 1. Dub. 14. num. 12.* & ante ipsum Eximius Suaresius *laud. Disp.* 50. Sive enim in formulis concessionum Indulgentiarum simpliciter, & absolute promittatur *relaxatio Pœnitentiarum* sine aliquo adjuncto; sive etiam adjungantur ea verba, ut olim frequentius fieri solebat, *De Pœnitentiis injunctis*, semper ita intelligenda erit concessio, ut utrasque simul complectatur tam *injunctas*, quam *injungendas* Pœnitentias remittendas per Indulgentias juxta modum, & mensuram ipsius concessionis, uti egregie probat idem doctissimus Suarez. *laud. Disp.* 50. *Sect. Assert.* 1. & 2.

Q. V. *Num per hujusmodi formulas concessionum Indulgentiarum intelligendæ sint relaxari Pœnitentiæ injunctæ in Sacramentali Pœnitentiæ Foro?*

R. Ita olim sensisse antiquiores Theologos, inter quos eminet laudatissimus Suaresius, qui *laud. Disp.* 50. & *Sect.* acriter pro hac sententia pugnat, & sæpius inculcat *laud. Disp.* scilicet non solum per Indulgentias receptas, imo & per aliorum suffragia adquisita, aut satisfactio-

ctiones etiam proprias, ac voluntarias, quoties constiterit de remissione reatus pœnæ hac ratione obtenta, cessare omnem obligationem assumendi novam pœnam in vindictam, ac satisfactionem talis culpæ, licet ab ipso Confessario fuerit imposita. At nos ab istorum sententia merito recedendum putavimus, quæque hac in re unice sectanda sit sententia jam indicavimus, ac pro viribus probavimus hac *Part. II.* §. 1. *Qu.* 7. Quare ne eamdem crambem recoquendo fastidio simus benigno lectori, ipsum illuc amandare sat nobis erit.

Quia tamen non levis momenti isthæc res est, ne pius simul ac studiosus lector ab ea sese divelli aliqua ratione patiatur, duo tantum hic adtexere nobis liceat, quæ propositæ per nos sententiæ mirificum auctoritatis pondus conciliant, imo & pro certa illam habendam omnino suadent.

Primum est testimonium Gregorii de Valentia, qui inter rigidioris ethices patrocinatores nunquam recensitus fuit; is itaque ad rem nostram ita loquitur: *Notandum neque per hanc Indulgentiæ formam de injunctis pœnitentiis, neque per ullam aliam, quamvis amplam, & generalem relaxari obligationem, qua propter integritatem Sacramenti, tenetur Confessarius salutarem pœnitentiam pœnitenti injungere, & pœnitens eam implere &c. Primo ex eo, quod illa obligatio est juris*

Di-

Divini &c. Secundo ex eo, quod truncaretur aliequi Sacramentum Pœnitentiæ quadam sua integrali parte; qualis est nimirum Jure Divino satisfactio ipsius pœnitentis. Tertio id confirmatur ex communi sensu, & usu Ecclesiæ; siquidem nec in plenissimis etiam Indulgentiis solet negligi a Confessariis, & pœnitentibus Sacramentalis satisfactio, & pœnitentia, imo expresse ab ipsis Pontificibus solet exigi. Tom. IV. Disp. 7. Qu. 20. De Indulgent. Punct. 3. pag. 1603.

Alterum est, immortalis memoriæ Pontificis Bened. XIV. gravissima auctoritas, qui *Epist. Encycl. ad Pœnitentiarios* occasione Jubilæi Anni S. quæ incipit *Inter præteritos n. 64.* postquam retulisset varias Theologorum opiniones circa satisfactiones injunctas, aut injungendas pro tempore Jubilæi *num. 65.* controversiam istam Pontificio oraculo his verbis ad rem nostram dirimit; *Unum tantummodo reliquum erat, ut super impositione pœnitentiæ a Confessario non omittenda diceremus, quoniam pœnitens, qui Indulgentiam consecutus erat, non teneri dicebatur ad eam implendam. Cum autem hujusmodi ratio laxior nobis visa esset, Instruct. quæ incipit* Convocatis num. 26. *mentem nostram declaravimus, statuentes, salutarem pœnitentiam a Confessario injungendam esse pœnitenti, etiamsi his ad recipiendum Jubilæum præparatus sit ex quo sane pœnitentis obligatio exoritu*

eam

eamdem adimplendi. Quare illud Concilii Lateranensis IV. sub Innoc. III. in celebri *Decretali*: Omnis utriusque sexus, *De Pœnitent. & Remission.* utpote in quavis etiam plenissima Indulgentia aut Jubilæi, aut Cruciatae Sanctæ locum habens, opportune hic inculcandum cuique pœnitenti: *Ut omnia sua peccata confiteatur fideliter; & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere*.

Illud tamen inficiari minime audemus, posse quandoque per Confessarium imperari pœnitenti ad satisfactionem Sacramentalem ipsum opus requisitum, ac præscriptum ad Indulgentiarum adsecutionem, quod docet Trullench. *Exposit. Bull. S. Cruc. Lib. I. §. 1. Dub. 14. num. 14.* aliique; cum opus aliunde præceptum possit etiam imponi pro debita satisfactione, saltem cum legitima, & rationabilis caussa id ipsum suadeat; atque hac solum ratione, ut arbitror, fieri potest, ut quis per adsecutionem Indulgentiarum solvi possit ab onere explendi satisfactionem a Confessario impositam.

Q. VI. *An Indulgentias hic promissas per Bullam nostræ Cruciatæ impleto opere præscripto, possint simul incolæ nostri Regni, & sibi promereri, atque adquirere, unaque etiam ad Defunctos juvandos transferre?*

R. Trullench in Exposit. Bullæ Cruciatæ pro Hispaniis concessæ loquens de In-

Indulgentia *Stationaria* id apertissime negat, nec id quidem temere; quia Indulgentia, quam quisque sibi semel applicaverit, nequit etiam alteri applicari; Indulgentia enim illa jam habuit suum effectum, quare non potest etiam simul reatum pœnæ in alio remittere; sic enim haberet duplicatum effectum, uti docet Hadrianus Pontifex *Concl. V. De Indulgent.* apud Suaresium *Disp.* 53. *Sect.* 3. *num.* 10. Idem quoque sentiunt, ac docent Salmanticenses loquentes de eadem Indulgentia *Stationaria Append. De Bulla S. Cruciat. cap.* 3. *Punct.* 3. *num.* 118. Illud tantummodo ad summum concedunt, ut possit quis eadem altaria bis visitando debita intentione, atque applicatione facta, sibi, & animabus simul Defunctorum Ingulgentias ibidem concessas comparare. Ab istorum porro sententia ne latum quidem unguem nobis discedendum putamus; tum propter rationem adductam, tum etiam quia eadem concessionis formula quantum ad hanc rem in nostra Bulla occurrit, atque in illa Hispaniarum. Voces enim illæ *tam pro se, quam pro Defunctis* non *copulative* sunt accipiendæ, sed *disjunctive*; idemque est, ac si dictum esset, unum, aut alterum concedi aut *pro se*, aut *pro Defunctis*: Salmanticenses ibid.

Quantum vero spectat ad illas Indulgentias, quæ per Pontificem impertiuntur iis, qui Bullam nostræ Cruciatæ accipiant,

ant, aut eleemosynam conferant ad destinatum opus Belli adversus Infideles, paulo dubiosior res videtur. Idem Trullench. *Lib. IV. num.* 11. loquens de Indulgentia plenaria, quæ per Bullam Hispanicam conferebatur proficiscentibus ad Bellum, aut alios illuc mittentibus, diserte negat hanc ipsam Indulgentiam posse simul a proficiscentibus ad Bellum *pro se* adquiri, unaque etiam ad Defunctos juvandos transferri. At vero Salmanticenses *laud. Append. cap.* 3. *Punct.* 2. *num.* 89. de eadem ipsa Indulgentia loquentes oppositum, uti probabilius, tuentur ac docent; tum quia hujusmodi concessiones Indulgentiarum *late* sint interpretandæ, ac proinde extendendæ ad casus, de quibus dubitantur an sint comprehensi; tum etiam quia cum possit Summus Pontifex pro eodem opere utramque Indulgentiam tam pro vivis, quam pro Defunctis impertiri, hoc de facto & voluisse, & concessisse omnino tenendum, dum nihil sit, quod oppositum suadere possit.

At quidquid sit hac in re de Bulla Cruciatæ Hispanica, quæ nostra minime interest; quod quidem pertinet ad Bullam nostræ Cruciatæ, in qua consimilis concessionis formula, ac in Bulla Hispanica, occurrit, libentius concederem in opinionem Trullenchi dicendo, Indulgentias, quæ per nostram Bullam conferuntur elargientibus eleemosynam in desti-

natum

natum opus Belli adversus Infideles, non posse per viventes & *pro se* adquiri, unaque simul ad Defunctos juvandos transferri. Scilicet non *copulative* utramque concedi, sed *disjunctive* alterutram pro arbitrio; tum quia in hypothesi, quod Indulgentia isthæc pro utrisque valeret, aut valere posset viventibus simul ac Defunctis, deesse videretur caussa proportionata, quæ semper interesse debet, ut antea probatum est, inter hujusmodi concessionem; nam quæ est proportionata concessioni unius, aut alterutrius, non est proportionata concessioni utriusque simul; tum etiam quia verba nostræ Bullæ rectius, ac fortasse etiam conformius menti Pontificis explicari posse videntur de una tantum, aut de alterutra. Etenim quod in nostra Bulla post dictam Indulgentiarum concessionem viventibus, atque eleemosynam conferentibus factam adjungitur: *Atque eædem Indulgentiæ . . . . ut etiam Animabus Christifidelium Defunctorum, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint &c.* idcirco adjectum fuit, quia Indulgentiarum concessiones, uti certa & comperta res est apud Theologos, teste Suaresio *Disp.* 53. *Sect.* 1. *n.* 3. & confirmat Benedictus XIV. sæpius laud. *Encycl.* §. 1. *n.* 24. Defunctis prodesse non possint, nisi in ipsa concessionis formula hoc ipsum diserte sit expressum. Hoc unum itaque voluit Pontifex adductis verbis

bis indicare, ut Indulgentiis ibidem concessis viventes, atque eleemosynam conferentes possint sibi frui, aut si velint, possint etiam ad Defunctos juvandos illas transferre; alterutro pro suo cuique arbitrio concesso.

Q. VII. *Num Indulgentiæ per nostram Bullam concessæ possint simul animabus pluribus Defunctorum applicari, an uni tantum debeant?*

R. Affir. Quod nobis profecto verosimilius videtur. Etenim suffragia privata, sive privatæ Fidelium satisfactiones pro pluribus simul Defunctis applicari possunt; quod veluti certum, atque exploratum supponit Eximius Suaresius *in 3. Part. D. Thomæ Tom. IV. Disp.* 48. *Sect. 6. num.* 8. Ergo & Indulgentiæ siquidem istæ Defunctis non prosunt, nisi per modum suffragii satisfactorii, uti postea dicemus.

Haud profecto nos latet, Salmanticenses *loc. cit. Cap. 3. Punct. 2. num. 92.* & Trulenchum *Lib. IV. Dub. 11. n.* 4. contrarium sentire. Verùm si recte, ac diligenter ipsorum dicta perpendantur, nostræ Adsertioni minime refragari conspicientur; quandoquidem ipsi loquuntur, uti patet, de Indulgentia illa plenaria, quæ concedebatur proficiscentibus, aut mittentibus ad Bellum per Bullam Cruciatæ Hispanicam, quæ ex declaratione Commissarii, atque ideo ex mente Pontificis, pro unico Defuncto erat applicanda.

Qua-

Quapropter nullus profecto, uti videbitur, jure debitare poterit, priores illas Indulgentias in nostra Bulla concessas, quæ sunt participationes plurium, ac variarum Indulgentiarum, posse simul per conferentes eleemosynam ad plures Defunctorum animas juvandas transferri.

Atque hoc idem dicendum arbitramur de Indulgentiis illis, quæ dicuntur *Stationariæ*, quæque etiam nobis per memoratam Bullam statis diebus certis positis conditionibus impertiuntur; non solum cum *partiales* sint, quod certis dieb s contingit; sed etiam cum sint *plenariæ*; posse nimirum, & istas pluribus Defunctorum animabus juvandis applicari. Atque hoc sane est illud, quod docuit P. Mendo *in Exposit. Bull. Cruciat.* loquens de memorata Indulgentia *plenaria*, quæ *proficiscentibus*, sive *mittentibus* ad Bellum promittebatur per Bullam Cruciatæ Hispanicam, cujus sententiam veluti verosimiliorem in adducta Adsertione sectari maluimus, refragantibus licet Salmanticensibus, ac in contraria abeuntibus. Adeatur laud. Mendo *Disp.* 12. *cap.* 2. *n.* 13. & *Disp.* 36. *cap.* 1. *n.* 2.

Q. VIII. *Quinam sint Defuncti, qui Indulgentiis nostræ Bullæ, aliisque possint juvari?*

R. Defunctos in triplici ordine, seu classe esse constituendos, universa nos edocet Ecclesia cum B. Augustino; nimirum *quidam sunt valde mali, alii valde*

de boni, *alii in statu medio*. *Enchirid. cap.* 109. Per *valde malos* intelligendi sunt reprobi æternis inferorum cruciatibus addicti; per *valde bonos* Sancti cum Christo, atque in Christo feliciter in cælo regnantes; ac demum eos esse *in statu medio*, qui piacularibus flammis ad tempus emancipati temporalibus cruciatibus pœnas, quas debent pro peccatis admissis, atque etiam dimissis Divinæ Justitiæ persolvunt. Ii profecto justi sunt, atque in bono confirmati, atque proinde simpliciter boni; quia tamen beatitatem nondum sunt consecuti, & aliquid eis superest expiandum, unde & malo aliquo afflictantur, dicuntur esse *mediocriter boni*, sive *in statu medio*, uti loquitur B. Augustinus

Porro beati cum Christo, atque in Christo regnantes, in quibus nihil prorsus damnationis superest, nostris suffragiis, sive Indulgentiis omnino non indigent; neque damnati ignis æterni pœnam sustinentes possunt iisdem aliqua ratione juvari, non solum quantum ad expiationem, aut cessationem illius pœnæ, quæ æterna est ex Divina ordinatione; verum etiam quantum ad ejus mitigationem, remissionem, intermissionem. Superest ergo, ut unis animabus purgatorio igni addictis nostra suffragia, sive Indulgentiæ prodesse possint; harum namque pœna cum finita sit, ac temporalis, poterit his omnibus, suffragiis nempe, atque Indulgentiis, & re-

remitti, atque omnino tolli, ac per opus etiam finitæ virtutis compensari. At de his omnibus lege, si lubet, Eximium Suaresium integra *Disp.* 48. *Sect. V.*

De his itaque, qui postremo loco adnumerati fuere, esse intelligenda suffragia, Indulgentias nostræ Bullæ, ac quasvis alias; cum hac ratione conceduntur, ut possint etiam *per modum suffragii* transferri ad juvandas illas animas Defunctorum, quæ Christo in caritate conjunctæ ex hac vita migravere, nullus equidem, ne leviter quidem addubitare poterit.

Q. IX. *Quid sit Indulgentias concedi, aut applicari Defunctis per modum suffragii?*

R. Vocabulum *suffragium* designat auxilium, sive subsidium Ecclesiasticum; quapropter Indulgentias Defunctis concedi *per modum suffragii*, nihil aliud est, quam concedere, ut Defuncti juventur eo modo, quo piis operibus juvari possunt. Quod quidem triplici ratione posse contingere docent Theologi: vel merendo de congruo per bona opera illis hujusmodi subsidium liberationis; vel illud ipsum impetrando per orationes; aut demum satisfaciendo pro illis per proprias passiones. Jam porro cum per Indulgentias dispensetur Thesaurus satisfactionum Christi, ac Sanctorum, rectissime inde consequitur hujusmodi Indulgentias pro Defunctis concessas habere rationem tantum suffragii, sive auxilii satisfactorii. Ita Navarrus *Comm. De Jubil. & Indulg.*

Notab. XXII. *num.* 14 Estius *in IV. Sent. Dist.* 21. §. *ult.*

R. II. Indulgentias concedere *per modum suffragii*, nihil aliud est, quam illas non concedere *per modum judiciariæ absolutionis*, sed *per modum cujusdam eleemosynæ*, seu *amicabilis communicationis*, quæ a viventibus fiat ipsis Defunctis. Hoc autem contingit, cum Pontifex, sive Ecclesia satisfactiones Christi suo ex thesauro extractas virtute clavium offert Deo in remissionem pœnarum, quæ debentur Divinæ Justitiæ, pro illis, qui suæ jurisdictioni non amplius subjiciuntur.

Atque hinc fit, ut hujusmodi Indulgentia *per modum suffragii* non differat ab ea, quæ est *per modum absolutionis*, neque in quantitate effectus, neque in ejusdem infallibilitate, si cetera sint paria, uti mox ostendemus; sed tantum in modo moraliter caussandi illum effectum. Etenim in illa, quæ est *per modum absolutionis*, qui illam concedit, proxime & immediate remittit pœnam debitam, veluti Dei minister, & judex fungens vice ipsius Dei; in illa vero, quæ est *per modum suffragii*, non ipse concedens remittit pœnam, sed offert Deo pretium æquivalens, ut ipse Deus illam remittat. Hinc etiam fit, ut ad utramque concedendam non minus necessaria sit potestas jurisdictionis; hoc tamen interposito discrimine, quod in ea, quæ fit *per modum absolutionis*, necessaria est potestas jurisdi-

dictionis in subditos, cum sit judiciaria absolutio; in ea vero, quæ *per modum suffragii* conceditur, requiritur eadem potestas jurisdictionis, sed in ipsa bona communia, sive ad dispensanda, vel distribuenda bona communia. Lege doctissimum Suaresium fuse hac de re, nimirum de Indulgentia *per modum suffragii* disputantem *Disp.* 53. *Integr. Sect. III.*

Quod autem nonnulli hujusmodi Indulgentiam *per modum suffragii* arbitrentur esse tantum Indulgentiam *secundum quid*, & *analogice*, istud per quam merito rejicitur a laud. Suaresio *loc. cit. num.* 16. cum nihil ad rationem veræ ac propriæ Indulgentiæ pertinens, in ista, quæ est *per modum suffragii*, desideretur; ut cuivis rem penitius perpendenti patere arbitramur.

Q. X. *Num hujusmodi Indulgentiæ Defunctis applicatæ iisdem infallibiliter, atque ex justitia prosint?*

R. Quosdam nec infimi subsellii inter Theologos id negare, docentes, hasce Indulgentias iisdem Defunctis attributas prodesse tantum via gratiæ, & misericordiæ; quatenus nempe Divina misericordia illas acceptas habere velit ad pœnarum, quæ Divinæ justitiæ debentur, condonationem. I. Quia pœnæ hujusce vitæ sunt longe diversæ rationis, ac pœnæ animarum, quæ corporibus solutæ fuere; nec cum istarum acerbitate nostræ valent comparari; ut ergo istæ cum nostris commuta-

ri possint, Divinæ miserationis ratio intercedat necesse est. II. Quia animæ Defunctorum e corporibus egressæ exemtæ fuere a jurisdictione fori nostri, quod est veluti canonicum, ac civile, atque sortitæ fuere forum Dei, quod est forum iræ, ac severitatis Divinæ justitiæ, ac veluti sanguinis. At pœnæ civiles, ac canonicæ non sufficient ad redimendam pœnam sanguinis ex justitiæ vigore. Ergo &c. Ita post Cajetanum Natalis Alexander in *De Indulg. Reg.* 15. Estius *in IV. Sentent. Distinct.* 20. §. *ult.* Hisce tamen minime obstantibus,

Adsero: *Hujusmodi Indulgentiæ Defunctis applicatæ, iisdem infallibiliter, atque ex justitia prosunt.* Ita laud. cl. Suaref. *laud. Tom.* 4. *Disp.* 53. *Sect. III.* Navarr. *Notab. XXII.* Salmanticens. *Append. ad Bull. Cruciat. cap.* 3. *Punct.* 2. Colet *Append. De Indulg. cap.* 5. *Concl.* 3. aliique.

Prob. I. Ex Decreto Leonis X. in quo hæc habentur: *Omnes tam vivos, quam Defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta pœna temporali, secundum Divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ, & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet.* Ergo cum par sit utrobique ratio liberandi ab hujusmodi pœna temporali, utraque ex justitia, & infallibiliter prodesse debet, tam Indul-

gen-

gentia, quæ dicitur *pro Vivis*, quam *pro Defunctis*.

Prob. II. Omnis dispensatio Apostolica auctoritate facta, etiamsi jus Divinum attingat; infallibiter valida est, si rationabili caussæ innitatur. Ergo & dispensatio Thesauri Ecclesiæ facta per Indulgentias pro Defunctis infallibiliter valida est, atque efficax apud Deum, modo fiat ex rationabili caussa. Utraque enim nititur promissioni Petro factæ; *Quodcumque solveris &c.* cum nomine solutionis non sola judiciaria absolutio intelligenda est; sed quævis etiam dispensatio, imo & omnis favor, & gratia ex vi illius potestatis facta, uti patet.

Prob. III. Si effectui hujusce Indulgentiæ deesset infallibilitas; vel id esset, quia id quod applicatur in compensationem, & remissionem pœnæ Purgatorii non est æquivalens; vel quia deest promissio, sive pactum acceptandi unam pœnam pro alia respectu Defunctorum. Atqui neutrum dici potest. Ergo &c. Per Indulgentias enim applicantur Defunctis satisfactiones Christi, & Sanctorum, quæ pretium non solum æquivalens, verum etiam superabundans constituunt; imo & sufficiens patet promissio de infallibilitate hujusce effectus Indulgentiarum; quæ continetur in adductis Christi verbis: *Quæcumque &c.*

Prob. IV. Infallibilitas hujusce effectus Indulgentiarum pro Defunctis non potest

aliunde oriri, quam ex promissione Christi, aut ex pacto acceptandi satisfactiones exhibitas pro Defunctis in pœnarum, quas ipsi debent, condonationem. Atqui stante promissione Christi, ac posita conditione operis, nihil omnino deest ad veram rationem justitiæ; cum alioqui supponatur, atque exhibeatur æquivalens commutatio, sive compensatio. Ergo Indulgentiæ pro Defunctis applicatæ, iisdem & infallibiliter prosunt, atque ex lege justitiæ. Adeatur eximius Suaresius, qui hoc idem docet, ac probat etiam de ceteris privatis suffragiis *Disp.* 48. *Sect. VI.*

Neque porro argumenta Cajetani quidquam conficiunt adversus nostram Adsertionem, cum satis ex dictis convulsa maneant. Etenim cum per Indulgentias applicentur satisfactiones Christi, ac Sanctorum, minime dubitandum, quin illæ potis sint ad expungendam qualemcumque pœnam, cujuscumque generis illa sit. Lege si lubet Navarrum *Notab. XXII.* proposita Cajetani argumenta refellentem.

Q. XI. *Num Indulgentiæ ad Defunctorum animas juvandas exhibitæ iis prosint, pro quibus speciatim applicentur?*

R. Cardinalis Cajetanus, eumque secutus Natalis Alexander *in sua Theol. Dogmat. ac Maral. De Indulg. Reg.* 16. docent, id genus suffragiorum nimirum per Indulgentias illis tantummodo prodesse, qui in hac vita promeruere, ut sibi prodessent, Quamvis enim omnes, qui

in

in gratia, vel caritate obiere, promeruerint, ut hæc sibi prodesse possent; non tamen omnes, ut hæc sibi reipsa prodessent, promeriti sunt; sed illi duntaxat, qui reverentia, ac devotione singulari erga claves Ecclesiæ, & Indulgentias affecti fuere, qui misericordia, & solicitudine ad satisfaciendum pro peccatis, ac studio ad suffragandum Defunctis insignes exstitere. Id quidem probant auctoritate D. Thom. qui *in* 3. *Part. Qu.* 52. *art.* 6. *ad.* 1. loquens de descensu Christi ad Inferos, inquit: *quod non omnes illi, qui in Purgatorio erant* (cum Christus ad Inferos descendit) *fuerint a Purgatorio liberati, sed quod aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatum, illis scilicet, qui jam sufficienter purgati erant; vel etiam, qui dum adhuc viverent, meruerunt per fidem, & devotionem ad Mortem Christi, ut eo descendente, liberarentur a temporali Purgatorii pœna.* Id ipsum probare conatur doctissimus Cardinalis quibusdam aliis D. Augustini locis, quæ excutientur inferius.

Suarez porro contrariam penitus, ac priori recta fronte repugnantem sententiam sectatus fuit, docens suffragia pro Defunctis oblata, iisdem, quibus applicantur, prodesse, & quidem *secundum totum suum valorem*. I. Quia valor satisfactionis pro alio, quæ exhibetur per hujusmodi suffragia, æstimandus non est ex dignitate illius, pro quo offertur; sed ex

dignitate ipsius operantis. Etenim ex parte illius, pro quo offertur, non requiritur speciale meritum, sed tantum ut sit capax hujusce communicationis, sive ut obicem non adponat, in quo æquales sunt omnes animæ Purgatorio igni addictæ, licet gratia, & meritis impares sint. II. Quia hujusmodi suffragiorum applicatio facta pro Defunctis, est veluti quædam donatio, quæ ut sit valida, nihil aliud requirit præter capacitatem subjecti, cum illa fit. Hoc quidem cum antea docuisset de suffragiis privatis *Disp.* 45. *Sect. VI. num. 6. & seqq.* id ipsum repetit loquens de suffragiis per Indulgentias pro Defunctis oblatis. *Disp.* 53. *Sect. IV.* §. *Tertium Punctum &c.* At nobis in hac controversia placuit media via insistere; itaque

Adsero: *Defunctorum animas per suffragia Indulgentiarum aliaque hujusmodi a Fidelibus pro ipsis exhibita, juvari in altera vita, prout magis, vel minus pietatis operibus in hac vita commeruerint.* Ita cl. Estius *in IV. Sent. Dist.* 20. §. *ult.* qui docet hanc esse doctrinam non solum B. Augustini, sed etiam totius Ecclesiæ, & Petrus Colet *Append. De Indulg. Cap.* 5. *Concl.* 3.

Prob. auctoritate D. Gregorii Magni *Dialog. Lib. IV. Cap.* 39. ubi ad rem nostram ita eloquitur Beatissimus Pontifex: *Hoc autem sciendum est, quia illis saltem de minimis nihil quisque purgationis obtine-*

timebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur. Hic certum est, uti patet, Sanctum Doctorem, ut suffragia Defunctis suffragari possint, exquirere speciale meritum, quod in hac vita præcesserit; cujusmodi sunt *boni actus*, sive pietatis opera. Quemadmodum ergo pietatis operibus quis promereatur, ut sibi post hanc vitam suffragia pro ipsis oblata prodesse possint; ita, prout magis vel minus pietatis operibus in hac vita abundaverit, majorem fructum in altera vita, pro proportione hujusmodi meritorum, ex suffragiis pro se oblatis recepiat necesse est.

Atque id etiam esse colligendum ex locis B. Augustini propter eamdem rationem nullus dubito, uti ex illo *Enchyridii cap.* 120. & *Lib. de Cura pro Mortuis cap.* 4. (quos etiam apud Gratianum *Cap.* Non æstimamus. 19. & *Cap.* Tempus 23. *Causs.* 33. *Qu.* 2. offendes) aliisque consimilibus; licet ex iisdem solam necessitatem status gratiæ in Defunctis ad percipiendum suffragiorum fructum *secundum totum ipsorum valorem* deducat laud. Suaresius *loc. cit.* At cum proposita nostra Adsertio contineat doctrinam tum B. Augustini, tum etiam totius Ecclesiæ, uti clarif. Estio testante audivimus, nemo, ut nihil persuadere fas est, ab ea sese facile divelli patietur.

Huc etiam accedit, quod in eadem sententia, quam nos proposuimus, ac pro

viribus propugnavimus, fuisse Natalem Alexandrum, satis aperte ex adducto superius loco colligitur. Ibi enim agit de Indulgentia plenaria Defunctis applicata, quam illis ad pœnæ totius relaxationem, plenamque liberationem minime suffragari docet, nisi fide, & devotione ad Indulgentias, singulari solicitudine ad satisfaciendum pro peccatis, misericordia, studioque suffragandi Defunctis, aliisque piis operibus Deo in hunc finem acceptis, æternoque ejus consilio prædestinatis, atque insuper pietate, ac devotione singulari erga Passionem Christi, erga SS. altaris Sacramentum, erga Deiparam Virginem, ut sibi plenariæ Indulgentiæ ad plenam liberationem suffragarentur, dum hic viverent, meruerunt. Quod profecto illud ipsum est, quod nos docuimus; nempe pietatis operibus hic exhibitis, ac pro illorum mensura cumulatiorem Indulgentiarum nobis in altera vita fructum esse proventurum.

Quapropter merito, atque opportune ad rem nostram monet cl. Navarrus *Comm. De Jubil. & Indulg. Notab. XXII. num.* 41. utilissimum fore, si persuadeatur ægroto, ut jamjam moriturus concipiat propositum, ac firmam voluntatem Deo satisfaciendi dignis pœnitentiæ fructibus pro peccatis admissis in hoc seculo, si vita ei superstes erit; vel quia hoc mente concepto plenarie absolutus per

Bul-

Bullas ad id idoneas plenariam in illo mortis articulo Indulgentiam consequetur; vel etiam quia corpore solutus vivorum suffragiis, atque Indulgentiis pro mortuis concessis juvari poterit in altera vita; vel demum quia id quammaxime proderit ad cumulatiorem suffragiorum, atque Indulgentiarum fructum recipiendum. Idem quoque dicendum de ceteris pietatis operibus per nos nuper recensitis, quæ ad hunc quoque effectum præstandum non exiguam vim præseferre divinæ Providentiæ consilio probavimus.

Hinc duo præterea nobis colligenda occurrunt. I. Quid sentiendum sit, ac dicendum de Indulgentiis, quas vocant Bullæ Sabbatinæ, Altaris privilegiati, aliisque consimilibus; quantaque sint sobrietate prædicandæ; in quo & illud etiam erit maximopere cavendum, ne plus nimio extollantur, ampliorque illis effectus tribuatur, quam par sit, atque Ecclesiasticæ doctrinæ regula patiatur. Qua de re & illud exstat monitum, sive præceptum Indulgentiarum Prædicatoribus inculcatum in Concilio Viennensi a Clemente V. *In virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, ne in sermonibus suis Indulgentias pronucient indiscretas.*

II. Quando studio curandum sit, ut ad Deum preces fundantur pro anima alicujus Defuncti, pro eaque statuta sacrificia, atque anniversaria recolenda præ-

scriptis temporibus non intermittantur, licet sæpius pro eadem ipsæ Indulgentiæ Altaris privilegiati, aliæque consimiles applicatæ fuerint. Primo enim incertus est gradus fervoris, ac caritatis, quo viventes mortuis Indulgentias lucrifecerint. Secundo, incertus quoque est gradus caritatis, in quo Fideles ex hac vita decesserint, qui regula est, ac mensura hujusce applicationis effectus Indulgentiarum; ac proinde certo nobis constare non potest, num omnia adfuerint, atque completa sint, quæ ad Indulgentiæ effectum, eumque plenum, atque integrum recipiendum requiruntur. Quod postremum maxime timendum erit illis, qui misericordiæ operibus sive spiritualis, sive corporalis erga proximos, dum in vivis agerent, defuere; uti recte infertur ex parabola servi illius nequam, qui idcirco quod in fratrem durior exstiterit, jubente Domino *traditus est tortoribus, quoad usque redderet universum debitum*. *Matth. Cap.* 18. atque ex illo Christi effato apud *Marcb. Cap.* 4. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis*. Ita duoviri doctissimi Estius, atque Colet *loc. cit.*

Q. XII. *Ut suffragiorum sive Indulgentiarum applicatio facta pro Defunctis ab aliquo Fideli vivente valida sit, num necesse sit, ut ipse offerens in gratiæ statu sit constitutus.*

R. I. Si sermo sit de suffragiis, quæ a privatis personis offeruntur nomine proprio,

prio, certa atque explorata res est apud omnes Theologos necessarium esse statum gratiæ in eo, qui offert hujusmodi suffragia pro Defunctis; sive Defuncts velit illa applicata. Hujusce rei ratio in promtu est; quia solutio sive satisfactio pro alio supponit potestatem solvendi, sive satisfaciendi pro se ipso, & simpliciter exquirit valorem in ipso opere. At ille, qui est extra statum gratiæ, & caritatis, sive in statu lethalis peccati, incapax est ad satisfaciendum pro se ipso; neque opus pœnale sine gratia factum habet moralem valorem ad solvendam pœnam peccatis debitam neque in se ipso, neque in alio; uti patet ex illo Pauli *ad Corinth. I. Cap.* 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Ergo &c. Ita post D. Thomam, eximius Suarez *Disp.* 48. *Sect. VIII.* ceterique passim Theologi.

R. II. Si vero sermo erit de suffragiis Indulgentiarum pro Defunctis oblatis, quod ad rem nostram in præsenti magis pertinet, plures ex Theologis, uti Suarez *Disp.* 52. *Sect. VII. n.* 4. Salmanticenses laud. *Appen. De Bull. S. Cruciat. Cap.* 3. *Punct.* 2. *n.* 98. Trullench. *L.* 4. *Dub.* 10. aliique; quibus adjunge Navarrum *Comment. De Jubilæo & Indulgent. Notab. XXII. n.* 31. docent; hujusmodi statum gratiæ non requiri in offerente suffragia Indulgentiarum pro Defunctis, ut hæc

istis

istis prodesse possint. 1. Quia status gratiæ hac tantum de caussa exquireretur in lucrifaciente Indulgentias; nimirum ad removendum obicem, ne intercipiatur, aut impediatur in illo Indulgentiarum effectus per peccatum; cum autem quis Indulgentiarum suffragia applicet Defunctis, non ipse est recepturus Indulgentiarum effectum; sed ipsi Defuncti, pro quibus offeruntur. Ergo &c. 2. Quia nihil absurdi videri debet, si aliquis exsistens in peccato possit alteri aliquem effectum obtinere, minime vero sibi; sic enim Sacerdos lethali peccato maculatus potest per Sacrificium Missæ obtinere alteri remissionem poenæ, at non sibi. At hæc nobis minus arrident, ut iis adhærere possimus; quare ad verosimiliora & certiora animum mentemque intendamus.

Adsero. *In lucrifaciente Indulgentias, easque pro defunctis applicante omnino etiam statum gratiæ requiri, certius nobis, aut saltem multo probabilius videtur.* Ita Cajetanus. Colet, aliique.

Prob. I. Peccato infectus non est potentior atque efficacior ad obtinendum alteri beneficium, quam sibi. At sibi Indulgentiarum subsidia adquirere nequit. Ergo neque alteri; nec proinde Defunctis.

Prob. II. Peccator non est idoneus ad offerendum Deo satisfactiones Christi in gratiam aliorum. Ergo neque ad Indulgentiarum subsidia Defunctis adquirenda.

Id

Id enim aliter obtineri nequit, quam satisfactiones Christi Patri offerendo in condonationem poenæ, quæ Defunctis luenda superest.

Prob. III. Suffragia privata applicata pro animabus Defunctorum, iisdem nullatenus proderunt, nisi fidelis offerens in gratiæ statu reperiatur; quia quamdiu erit in peccato, non potest de condigno, atque ex justitia mereri, ut suorum suffragiorum effectus Defunctis applicetur in ipsorum levamen, atque liberationem. Ergo neque etiam suffragia Indulgentiarum iisdem proderunt, si fidelis offerens extra statum gratiæ constitutus reperiatur; cum in hoc statu neque mereri poterit, ut de condigno, atque ex justitia Indulgentiarum suffragia iisdem applicentur.

Quod autem in hanc rem nobis objiciunt argumentum deductum ex Missæ Sacrificio, id nullius penitus momenti nobis videtur. Idcirco enim Sacrificium Missæ oblatum etiam ab iniquo Sacerdote animabus Defunctorum suffragatur ad remissionem poenæ; quia ibi occurrit victima, quæ per se ipsam intercedit; secus vero sese res habet in Indulgentiis. Ita laud. Colet *loc. cit.*

Q. XIII. *Utrum necesse sit, ut opus præscriptum sive in hac nostra Bulla, sive alibi, fiat ex intentione & voluntate obtinendi Indulgentiam Defuncto?*

R. Affir. Quia alias tale opus *formaliter* le-

loquendo non esset opus Indulgentiæ, *i. e.* nullo modo esset factum pro illo, cui Indulgentia procuratur; quod tamen & per sese est necessarium ad effectum moralem, & in ipsa concessione Indulgentiæ postulatur. Quod etiam ex nostra Bulla satis aperte dignoscitur. Ita Suarez *Disp.* 53. *Sect. IV. n.* 3. Idem quoque docet de ceteris suffragiis privatis, *Disp.* 48. *Sect. VIII. n.* 22.

Quod autem in disputationem adducit idem eximius Doctor illud est; num etiam satisfactio, quam ex se habet opus præscriptum, sit etiam offerenda pro animabus Defunctorum; uti si E. G. ad lucrandam Indulgentiam pro Defunctis præscriptum sit jejunium, aut oratio, num solum hæc peragenda sint ex intentione comparandi Indulgentias Defunctis; an etiam necesse sit, ut satisfactio, quam habent hujusmodi opera, ex *opere operantis* pro iisdem offeratur. Atque hoc postremum minime reputat necessarium vir doctissimus, nisi id in concessione expresse, aut sufficienter mandatum sit; quia opus non necessario exigitur ab operante uti satisfactorium; sed solum uti pium, pertinens ad cultum Dei, vel conducens ad complendam caussam sufficientem ad Indulgentiam, quæ potest compleri ex eo quod fiat, etiamsi specialis fructus satisfactionis non applicetur tali animæ. Unde deducitur posse operantem peragendo opus præscriptum ad effectum comparandi In-

dul-

dulgentias Defuncto, posse, inquam, vim, satisfactionis, quam præ se gerit ipsum opus, sibi retinere; imo eo ipso, quod non applicatur alteri, sibi retinetur, cum specialis intentio non sit ad id necessaria. Legatur eximius Doctor *ll. cc.*

At cum in nostra Bulla Cruciatæ opus visitationum Ecclesiarum, sive Altarium pro ipsis Defunctis fieri jubeatur (etenim conceditur posse Indulgentiam illam *Stationariam* transferri ad Defunctos juvandos, pro quibus opus visitationum peractum sit, sive, ut utamur verbis ipsius Bullæ, *pro quibus visitaverint* Ecclesias, aut Altaria fideles) etiamsi dicere mavis non esse necessarium ex mente concedentis ipsam quoque satisfactionem, quæ operi præscripto visitationum, sive orationis inest, pro ipsis Defunctis offerre, quibus Indulgentiam comparare velis; optimum tamen factu semper erit, ipsam quoque satisfactionem propriam ipsius operis pro iisdem offerre; tum quia ampliora subsidia ipsis conquiruntur, uti patet, tum quia fortasse hac ratione complebitur caussa sufficiens ac præscripta ad lucrandam integram Indulgentiam, quæ alias non esset.

Q. XIV. *Utrum ex parte Defunctorum requiratur specialis acceptatio, aut notitia beneficii Indulgentiarum pro ipsis impensi?*

R. Neg. Hoc enim non est per se necessarium. Et primo quantum ad acceptationem ex parte Defunctorum, certum

tum eſt illam minime requiri; quia ſufficit generalis voluntas, quam unuſquiſque juſtus habet obtinendi a Deo remiſſionem temporalis poenæ, & ſolvendi Divinæ Juſtitiæ quidquid debet, quacumque ratione id poſſit; in quo profecto ſufficienter includitur implicita voluntas acceptandi ſolutionem ab alio pro ſe oblatam, etiamſi ignoretur. Potius iſthæc acceptatio neceſſaria eſt ex parte ipſius Dei, unde pendet effectus applicationis modo, quo ſupra explicuimus.

Idem quoque dicendum de neceſſitate alicujus ſpecialis notitiæ. Nam primo dubia ſatis res eſt, num Animæ in Purgatorio detentæ cognoſcant ſuffragia, quæ pro eis offeruntur, & a quibus offeruntur; quia neque in Verbo vident, quæ hic agimus, neque naturali virtute hæc poſſunt intueri, uti ſentit Auguſtinus in *Lib. de Cura pro Mortuis Cap.* 13. Nec etiam videtur id debitum ſtatui illarum animarum, ut hæc illis revelentur. Secundo hæc cognitio non eſt neceſſaria ad prædictum effectum, neque ad ipſum aliquid confert. Et licet aliquando nuntiantibus Cuſtodibus Angelis diſcant in particulari, a quonam oblata fuerint ſuffragia; iſtorum tamen cognitio minime prærequiritur, ut illa optatum effectum operari valeant. Ita laud. Suareſius *Diſp.* 48. *Sect. VII. n.* 7. loquens de ſuffragiis privatis. Eadem quoque ferme repetit *Diſp.* 53. *Sect. IV.* §. *Tertium Punctum*, ubi de

In-

Indulgentiis peculiariter, & fusius pertractat.

Q. XV. *Quid circa Indulgentiam, quæ dicitur* Stationaria, *in nostra Bulla Cruciatæ præscriptum occurrat, ut illa lucrifieri per nos possit?*

R. Visitationes quinque Ecclesiarum, sive Altarium faciendas diebus *Stationibus* destinatis, precesque ibidem effundendas ad mentem Summi Pontificis, ibique præscriptam intentionem. Quæ quidem omnia abunde patent ex verbis nostræ Bullæ tum Latinæ, tum Italæ; quæ alibi per nos adducta fuere. Verum circa hujusmodi præscripta opera, veluti conditiones ad lucrifaciendam memoratam Indulgentiam, nonnulla quædam nobis enucleanda supersunt, quod & seduliori cura præstare conabimur; ne imposito muneri aliqua ex parte deesse videamur; tum etiam ne quid hac in re incompertum, aut importuno silentio obvolutum studiosus Lector jure conqueratur.

Q. XV. *Num iterato eadem die* Stationum *opere visitationum, ac præscriptarum precum, possit quis pluries hujusmodi Indulgentiæ fructus esse compos?*

R. Neg. Etenim ex Doctrina Angelici Præceptoris *Suppl. in 3. Part. Qu.* 25. *art.* 2. *ad* 4. quando Indulgentiarum concessio facta est ad certum, ac definitum tempus, nonnisi *semel*, aut pro prima vice Indulgentiæ concessæ intelligendæ sunt. Atqui hujusmodi sunt Indulgentiæ

per

per nostram Bullam concessæ visitantibus Ecclesias, sive Altaria, quæ intra breve spatium unius anni conclusæ recipientibus Bullam, sive conferentibus definitam stipem, non ultra protenduntur. Ergo *semel* tantum eadem die *Stationum* concessæ intelligendæ sunt; ac proinde iterato opere visitationum, ac præscriptarum precum nihil proficitur ad iteratam hujusmodi Indulgentiarum adsecutionem. Aliter hac tamen in re Trullench. *in Exposit. Bull. Cruciat. pro Regnis Hispaniarum Lib. I.* §. *6. Dub.* 3. At nos a proposita D. Thomae doctrina, aliorumque summorum Theologorum recedere minime fert animus. Conferantur huc quoque, quæ in hanc rem dicta fuere §. *superiori Qu.* 19.

Q. XVII. *Utrum ille, qui privilegio, sive indulto potitur, ut Altaria visitando animam e Purgatorio liberet; possit eadem simul visitatione utriusque Indulgentiæ tum nostræ Bullæ, tum indulti effectu potiri?*

R. Neg. Etenim ex doctrina Suaresii superius producta, cum plures Indulgentiæ conjungantur in eadem persona diversis viis, h. e. per plura distincta privilegia, ita intelligendæ erunt, ut secum ferant, sive exposcant multiplicationem actus, pro quo unaquæque ipsarum fuit concessa juxta modum ipsius concessionis. Tum quia aliter esset aliqua illarum sine aliquo opere injuncto, quod fere nunquam fieri adsolet; tum etiam quia alioquin

quin secunda Indulgentia concessa fuisset pro opere aliunde debito, nempe pro priori adquirenda injuncto; quod etiam abhorret ab usu & consuetudine, cui Pontifices in illarum concessione adhæsisse compertum est; nimirum, ut super ac opus præscriberent, ad illarum adsecutionem promerendam, semper exquisiere opus aliunde minime debitum. Consulantur quæ dicta fuere tum hoc *Paragraph. Qu.* 3. tum etiam *Paragr.* 2. hujusce *II. Part. Q.* 12.

Q. XVIII. *Qua ratione penso, sive operi visitationum Ecclesiarum, aut Altarium sit satisfaciendum, ut hujusmodi* Stationariæ *Indulgentiæ effectu quis perfruatur?*

R. Cum in nostra Bulla Cruciatæ, quod etiam in Bullis Indictionis Jubilæi contingit, ad lucrifaciendos Indulgentiarum promissarum fructus non solum certæ quædam visitationes Ecclesiarum præcipiantur; verum etiam modus præscribatur, quo eaedem ipsæ visitationes sint obeundæ, nimirum *devote*; in illud inquirere instituti nostri ratio nos compellit, quid sibi velit, quidque secum ferat modus iste præscriptus *devote* visitandi Ecclesias, sive Altaria.

Itaque cum præscribitur *devota* visitatio Ecclesiarum, illud nobis indicitur, scilicet quod ad implendum opus visitationum, necesse est, ut illæ fiant consilio, atque animo exhibendi honorem Deo, ac Sanctis

ctis ejus, uti opportune ad rem nostram explicat, docet, ac sancit Benedictus XIV. laud. sæpius *Encycl.* §. 8. *num.* 77. Etenim cum *devotio* juxta Angelici Præceptoris scita nihil aliud sit, quam voluntas quædam promte sese tradendi ad ea, quæ pertinent ad divinum famulatum 2. 2. *Qu.* 182. *art.* 1. sive faciendi ea, quæ obsequium Deo exhibendum respiciunt; merito tunc visitationes dicendæ erunt *devote* expleri, quando illæ provenerint ex hujusmodi voluntate faciendi ea, quæ ad Dei famulatum, cultum, atque obsequium pertinent.

Atque hinc profecto quivis facili negotio deducere poterit, quam rectissime Hadrianus Pontifex *in Quarta Quæst. De Indulgentiis Concl.* 4. & post ipsum Navarrus *Notab. XIX.* docuerint ad percipiendos Indulgentiarum fructus necesse esse, ut opus præscriptum non solum sit ex *genere suo* bonum, sive *in specie*; verum etiam, ut tale sit *in individuo*; sive ut bene moraliter fiat. Quod profecto cum in reliquis omnibus operibus ad adsecutionem Indulgentiarum necessario præscriptis locum habeat; tum maxime in explendis hisce definitis Ecclesiarum visitationibus, ubi & opus, & *modus* ipsius operis disertissimis verbis præscribitur; & utrumque velut conditio necessaria ad lucrifaciendas Indulgentias decernitur.

Dixi, *cum in reliquis omnibus operibus &c.* Quemadmodum enim *modus legis* cadit

cadit sub præcepto legis Ecclesiasticæ; ut nimirum ex fine honesto impleatur, uti ex doctrina gravissimorum Theologorum didicimus; ita etiam & in hisce operibus, quæ præcipi solent ad Indulgentiarum adsecutionem; licet de ipso *modo* expressa non fiat mentio.

Quapropter Salmanticenses adversus hoc doctrinæ caput obnitentes jam antea alibi refutavimus, & dimisimus, quemadmodum & nunc ipsum Suaresium, qui *Disp.* 52. *Sect. VI.* non parum oppositæ sententiæ tutandæ adlaboravit. Adeantur, quæ in hanc rem dicta fuere *Qu.* 4. §. *superiori* in hac II. *Part.* ubi graviora occurrunt hujusce propositæ pro nos doctrinæ momenta.

Putarem tamen, nec temere, leve peccatum admissum in ipso actu visitationis, quod se teneat potius ex parte ipsius operantis, haud impeditum ire Indulgentiarum in nobis effectum; ut si quis recto, ac præscripto fine ductus accesserit ad opus visitationum obeundum; dumque religiose illi incumbit levi inanis gloriæ cupiditate titilletur, ac moveatur, Indulgentiarum fructu non inde carere dicendus erit. Etenim si hujusmodi opus valeret ad complendum præceptum, ut ostendunt Theologi in materia de legibus, valere etiam debet ad explendum opus injunctum pro adsecutione Indulgentiarum. Atque ita intelligendum puto, quod leve

pec-

peccatum admissum non impedit Indulgentiarum effectum.

Q. XIX. *Quid de precibus ex præscripto nostræ Bullæ effundendis in ipsa Altarium, sive Ecclesiarum visitatione?*

R. Eodem pietatis, Religionis sensu, ac devotionis affectu esse effundendas nullatenus dubitandum, si propositis Indulgentiarum fructibus potiri velimus; quod & satis luculenter nobis insinuatur ipsis Bullæ verbis supra adductis; *pias ad Deum preces effundentibus*,

Hic tamen præ oculis habenda erit doctrina D. Thomae, quam tradit 2. 2. *Qu.* 83. *art.* 13. nimirum quod ad consequendum orationis effectum tum meriti, tum impetrationis, sufficiat *vis primæ intentionis*, seu *prima intentio*, *quam Deus principaliter intendit*; scilicet, ut quis *ex instinctu Spiritus ad orandum accedat, etiamsi ex aliqua infirmitate mens postmodum evagetur*; sive ut verbis apud Theologos usitatioribus utamur, sufficit virtualis intentio.

Quapropter si quis dum preces hic nobis præscriptas ad adsequendos Indulgentiarum fructus Deo porrigere studeat, aliquas mentis evagationes invitus patiatur quemadmodum nec orationis effectu; ita nec etiam Indulgentiarum fructibus carere dicendum est.

Q. XX. *Num hic præscriptæ preces dirigendæ sint in finem a Pontifice propositum*, *scilicet* pro Christianorum Principum

pum concordia, *hæresum* extirpatione &c.?

R. Affir. Etenim ex unanimi Theologorum sententia, *finis extrinsecus* præcepti etiam cadit sub præcepto, quoties a Legislatore expresse præcipiatur; quemadmodum hic nobis contingit in oratione nobis præscripta ad consequendos Indulgentiarum fructus.

Illud tamen a veritatis tramite minime videtur deflectere, quod hic docent Theologi; scilicet haud opus esse, ut recensitus finis, atque per Pontificem præscriptus, expresse sibi ab operante proponatur; sed satis erit si in illum *in genere* tantum, *implicite*, & *confuse* intendatur; quod profecto accidit, si quis orationem dirigat in finem a Pontifice propositum, quin *expresse* illum designet; vel si quis ad eum finem præstitutæ orationi incumbat, ut propositæ Indulgentiæ compos esse possit. Ita Salmanticenses *Append.* sæpius laudata *Cap.* 3. *Punct.* 3. *n.* 121. Viva *De Operib. Injunct. ad Jubil.* assequendum *Qu.* 8. *Art.* 5. *n.* 6. Trullench. *Exposit. Bull. Cruciat. L.* 1. §. 6. *Dub.* 2. *n.* 5. aliique passim; in quorum sententiam & propendet & concedit etiam Petrus Colet *App. II.* §. 5. *n.* 6., qui etiam rectissime monet haud recedendum esse a tutiori, cui adhærere haud nimis grave est, imo facillimum; ac proinde specialem etiam in effundendis precibus intentionem in finem propositum per Pontificem in Bulla esse habendam. Et sane

nimis imprudenter sese geret, qui a tutiori via recedit, aut deflectit, cum illi insistere nullo, aut levi negotio poterit. Verum de hac proposita quæstione legenda est, ac sequenda Declaratio nostri Commissarii, quæ occurrit *Append. I. tom. II. Dub. III. Resp. ad VI.*

Q. XXI. *Cujusmodi sit oporteat Orati hic nobis præscripta*, vocalis *nempe*, *an* mentalis; *& ad quantum temporis illa sit protrahenda?*

R. I. Diffident Theologi circa Orationis præscriptæ in hisce Concessionibus qualitatem, num scilicet *mentalis* sufficiat, an vero omnino requiratur *vocalis*. Pro *vocali* pugnant Rodriquez, Ludovicus a Cruce, scribentes de Bulla Cruciatæ Hispanica, quorum argumenta legi poterunt apud Trullench. mox laudandum. Pro *mentali* vero decertant Trullench. *Exposit.* Bullæ Cruciatæ *L. I. §. 6. Dub. 2. n. 7.* & Dominicus Viva pertractans *De Operib. Injunctis* ad Jubilæum adsequendum *Qu. 8. Art. 5.* Salmanticenses porro utramque recensitam sententiam probabilem esse testantur, *Append. De Bull. Cruciat. Cap. 3. Punct. 3. n. 121.* At rejectis hisce probabilitatibus, alia ratione controversiunculam istam componendam esse arbitramur, sequuti auctoritatem Benedicti XIV. qui loquens de Visitationibus Ecclesiarum injunctis tempore Jubilæi, precibusque in iisdem visitationibus effundendis hunc in modum de-

decernit: *Injunctæ piæ preces in singularum visitatione Basilicarum . . . . satis erit, si vocales fuerint. Qui sola mente ad eosdem fines orare voluerit, laudandus est: aliquam tamen etiam vocalem adjungat.* In Constitut. *Convocatis n.* 51. Quam quidem Pontificiam declarationem, sive præceptum ad rem nostram pertinere, sive ad preces etiam effundendas ex præscripto Bullæ nostræ Cruciatæ, nullus dubito; cum Pontificio Oraculo declaretur quæ sit Ecclesiæ mens, dum in hujusmodi Bullis sive Jubilæi, sive Cruciatæ S. hujusmodi pias preces injungat ad Indulgentiarum, quæ idem proponuntur, fructus capessendos. Deinde cum utrobique h. e. tam in Bullis Jubilæi, quam Cruciatæ S. par atque ibidem occurrat præceptum, eademque verba; nullatenus video cur eadem Pontificia declaratio non sit utrobique adhibenda.

R. II. Circa alterum propositæ Quæstionis caput; de tempore scilicet, quo perdurare debeat præscriptum Orationis pensum, aliquantulum etiam discrepant Theologi. Trullench. *l. c. n:* 6. autumat sufficere quamcumque brevem orationem; adeo ut fidelis huic oneri imposito sit satisfacturus, si tantisper singulis coram Altaribus oret, quantum Orationi Dominicæ, & Salutationi Angelicæ recitandæ satis esset. Mendo vero, cui perexiguum visum fuit designatum temporis spatium, monet, ac censet tantum temporis coram

singulis Altaribus orandum, quantum Orationi Dominicæ, & Salutationi Angelicæ bis recitandæ insumendum esset. Illud vero nobis hac in re certum videtur; nimirum quamcumque brevem, sive quamvis exiguam orationem minime sufficere; quando enim præscribuntur media ex efficaci intentione finis, medium ipsum oportet, ut sit aptum, ac proportionatum ad finem adsequendum; cujusmodi profecto non est, uti patet, quæcumque exigua oratio, sive quamvis minima ad finem propositum in oratione indicta per Bullam nostræ Cruciatæ. Quapropter hortandi saltem erunt fideles, ut tantum temporis orationi instent coram singulis Altaribus, quantum requiritur ad quinquies recitandam Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, simul cum *Gloria Patri &c.*; aut quinquies recensitas precatiunculas recitent coram singulis Altaribus. Vide Salmanticens. *loc. cit.* & Petrum Colet *loc. cit.* §. 8.

Q. XXII. *Num in hujusmodi quinque Altarium in eadem Ecclesia visitatione complenda, aliquis corporis motus sit adhibendus?*

R. Cum in nostra Bulla Cruciatæ disjunctive præcipiatur visitatio aut quinque Ecclesiarum, aut quinque Altarium in eadem Ecclesia, poterit fidelis, uti patet, utramlibet partem pro arbitrio eligere. Etenim in alternativis debitoris est electio, uti constat *ex Reg. Jur. 70. in 6.* Hinc orta est quæstio, num quando in ea-

eadem Ecclesia quinque Altaria ex præscripto nostræ Bullæ visitentur, aliquis motus corporis sit adhibendus, ad singula accedendo, aut saltem sese convertendo. Qua quidem in re Trullenchi opinionem ceteris anteferendam arbitramur, quam non solum tutiorem, verum etiam verosimiliorem judicamus, quam etiam insinuat Petrus Colet *Append. II. De Jubilæo* §. 8. *Concl.* 4. Nimirum requiri corporalem aliquem motum, quo nimirum quis aut accedat, aut saltem corporis ipsius situ sese convertat versus illud Altare, quod sibi visitare proponit. Etenim 1. qui alicujus loci, aut Altaris visitationem injungit, requirere videtur actionem sensibilem, atque humanam, cujusmodi profecto non erit visitatio, nisi eo modo perficiatur, quo antea descripsimus. 2. Quia aliter non quinque Altaria, sed quinquies unum, atque idem Altare visitatione prosequeremur; sive potius unica tantum esset visitatio dicenda.

Hinc si quis de loco in locum minime dimoveretur, & mente tantummodo ad illud Altare sese converteret, dubium saltem esset, an visitationes compleverit juxta præscriptum Bullæ, ac mentem Pontificis; ac proinde num ad propositos Indulgentiarum fructus percipiendos pervenerit. Ita laud. Colet.

Quid si deficientibus quinque Altaribus, circa unum, & idem Altare visitationes omnes præscriptæ essent complendæ?

 Re-

Refpondet laud. Trullench. *Lib.* 1. §. *6. Dub.* 2. *num.* 4. hac in hypothefi quis eodem etiam fitu confiftens corporis poterit unum, atque idem Altare quinquies vifitare; dummodo tamen qualibet vifitatione completa faltem corpus, & caput inclinet in fignum diftinctæ vifitationis. Aliter tamen hac in re Salmanticenfes *loc. cit. num.* 128. qui non paucos etiam Theologos pro contraria fententia decertantes producunt in medium. Verum propofita per nos nuper fententia licet fortaffe haud verofimilior, in praxi tamen unice confulenda, ne dum a tutioribus recedimus probabilia confectantes, promiffo Indulgentiarum fructu vacuas manus referamus.

Q. XXIII. *Intra quantum temporis fpatium ftatutæ vifitationes erunt perficiendæ?*

R. Intra fpatium integræ diei naturalis, quæ fit *Stationibus* deftinata incipiendo a media nocte, & definendo ad alteram mediam noctem diei infequentis. Quare fi quis erit, qui ultra præftitutos hofce terminos Altarium vifitationes protraxerit, aut illarum partem diftulerit, Indulgentiæ, quæ dictæ diei eft affixa, fructu careat neceffe eft.

At vero fi quis intra ambitum unius, ejufdemque diei naturalis Altarium vifitationes juxta definitum numerum compleverit, licet interruptis vicibus, non quinquies continenter eadem vifitaverit: h. e. quædam mane, quædam vefpere vi-

visitet, haud inde impeditur ab Indulgentiarum fructu capessendo. Quia Pontifex non præcipit, ut quinque Altaria simul, ac semel visitentur, nulla interposita mora, vel interruptione; & illorum præscriptæ visitationes dividi aliunde inter sese possunt; nec unius visitatio ab alterius visitatione dependet. Ita Salmanticenses *loc.cit.num.* 123. Faciunt huc etiam, quæ edisserit Benedictus XIV. de formula illa *semel in die*, quæ in Bullis Jubilæi adponitur circa præscriptas visitationes peragendas Encycl. *Inter præteritos* §. 1. *n.* 10.

Hic porro advertendum occurrit discrimen inter visitationes injunctas per Bullas Jubilæi, ac illas, quæ hic nobis præscribuntur per Bullam nostræ Cruciatæ. Istæ enim, uti jam diximus, intra ambitum unius ejusdemque diei naturalis complendæ omnino sunt; illæ vero ex concessione Benedicti XIV. intra spatium diei sive naturalis, sive Ecclesiastici perfici poterunt. Nimirum visitationes quatuor Basilicarum Romanæ Civitatis, sive quatuor Ecclesiarum, quæ ab Ordinariis locorum ad hunc finem designentur, per Bullas Jubilæi præscriptæ, peragi poterunt intra spatium diei non solum *naturalis*, sed etiam Ecclesiastici, h. e. incipiendo *a primis Vesperis unius diei*, usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum. Quod profecto ea de caussa fuerat sancitum, quo expeditior, ac facilior pateret via Fidelibus omnibus

Indulgentias per Bullas Jubilæi propositas adsequendi. Lege Bullam *Peregrinantes num.* 6. Epistolam Encycl. *ad Pœnitentiar.* §. 1. *num.* 13. Bullam *Benedictus Deus* pro extensione Jubilæi Anni S. *num.* 3. ab eodem Pontifice Benedicto XIV. editas.

Q. XXIV. *Quid si definito visitationum numero aliqua tantummodo desit: num hujusmodi defectus impedimento sit ad Indulgentias hic nobis promissas lucrifaciendas?*

R. Affir. Quia conditio præscripta, cum induat rationem formæ, adamussim servanda est ex *Cap.* Dilectus 21. *De Præbend. & Dignitat.* Insuper forma consistit in indivisibili, & definitus hic numerus etiam in indivisibili sistit. Ergo cum conditio, sub qua Indulgentia isthæc impertitur, consistat in definito numero visitationum quinque Ecclesiarum, hoc numero deficiente deficit conditio simpliciter, & forma a Pontifice requisita; ac proinde Indulgentiæ propositæ locus esse non poterit.

At inquies: omissio visitationis unius tantummodo Alaris levis in se videtur. Sed propter levem omissionem in operis præscripti exsecutione admissam non impeditur Indulgentiarum fructus alioqui capessendus, uti plures, & graves Theologi edocent. Ergo &c.

R. Id minime locum habere posse in isthac proposita Quæstione. Etenim licet ad-

admittere velimus recensitam. Theologorum sententiam, de cujus veritate dubitat Suaresius, illa tamen intelligenda erit de illa omissione, quæ tum *in se*, tum *respectu habito* ad rem præscriptam levis sit, uti recte sese explicant laudati Theologi; hujusmodi autem, uti per se patet, non est omissio, de qua loquimur. Licet enim omissio visitationis unius tantummodo Altaris levis *in se* videatur; talis tamen non est respectu visitationum quinque tantummodo Altarium. Confer huc quæ dicta fuere *in Append. adjuncta ad* §. 2. hujusce *II. Partis Qu.* 8. ubi de levi omissione in jejunio præscripto tempore Jubilæi sermo est.

Hinc rectissime Dominicus Viva, imo & communis Theologorum sententia nos edocet, quod in Indulgentiæ plenariis per Jubilæum concessis, ad quas adsequendas præscribuntur visitationes quatuor Basilicarum Romanæ Urbis *per triginta continuos, aut interpolatos* dies Romanis, aut incolis Romanæ Urbis; (lege laud. Encycl. *Inter præteritos &c.* §. 6. *num.* 72.) si ex præscriptis hisce triginta visitationibus, una tantummodo desit, Indulgentiarum illic promissarum fructus non adquiritur; Lege Vivam laud. *De Operib. Injunct.* ad Jubil. adsequendum *Qu.* 8. *Art.* 5.

Idem quoque potiori jure adserendum erit de visitationibus *per quindecim* aut continuos, aut interpolatos dies faciendis etiam tempore Jubilæi, ab iis, qui *pere-*

S 3 *gri-*

grini sunt in Romana Urbe, aut degunt fortasse in locis, ad quæ ex Pontificia Concessione facta sit extensio Jubilæi An. S. laud. Encycl. *Inter Præteritos loc. cit.* & Constit. *Benedictus Deus*; nempe si ex istis præscriptis visitationibus unica tantummodo detrahatur sive necessitate compellente, sive voluntate id pessime suadente, promissioni Indulgentiarum adsequendæ locus esse non poterit.

Excipiendum tamen tantummodo putat Colet illum, qui ante completam ultimam visitationem repentina morte e vivis eripiatur; illum enim a consecutione Indulgentiæ Jubilæi non inde arcendum arbitratur, cum cetera omnia præscripta pie, devoteque compleverit. *Append. De Jubil.* §. 8. *Q.* 2. Excipiendi etiam sunt Peregrini, quibuscum benignius actum est, qui si iter Romam versus susceperunt, vel illuc delati visitationes nec incipere nec complere possint, fructu tamen indulgentiarum minime inde privantur, si morte fuerint prærepti, aut alia legitima caussa impediti, modo vere pœnitentes sint, ac confessi, ac sacra Communione refecti. Lege Benedicti XIV. Constitutionem *Peregrinantes* §. 7. atque Encyclicam *Inter Præteritos* § 1. *n.* 14. *&* *seqq.*

Q. XXV. *Quid intelligatur nomine* Ecclesiarum, *vel* Altarium, *quæ ex præscripto nostræ Bullæ sunt nobis visitanda?*

R. I.

R. I. Nomine Ecclesiæ, quantum attinet ad præsens nostrum argumentum, intelligitur Templum ad divinum cultum dedicatum, item Monasteria, Hospitalia, in quibus est sacer locus ab Episcopo approbatus ad sacrorum ministerium; item Eremitoria, Sacella, sive Oratoria, etiamsi sint privata; & quamvis Cappellæ, & Eremitoria in prædiis, agris, Suburbiis, aut etiam in carceribus exsistant.

R. II. Nomine *Altaris* illud intelligitur, quod ad Missas celebrandas, auctoritate Prælatorum, jurisdictionem ad id habentium, est deputatum, & approbatum; huic quippe nomen & essentia Altaris convenit. Quare Altare proprie dicitur, quod erigitur in prædiis, in navibus, & in domibus privatis ad Missarum celebrationem. Nec requiritur, quod aliquando Missæ sacrificium fuerit celebratum, sed sufficit, quod ad hoc fuerit destinatum, atque approbatum.

Quare in omnibus Ecclesiis aut Altaribus hactenus per nos descriptis, si in ipsis completæ fuerint præscriptæ visitationes, *Stationariæ* Indulgentiæ hic nobis promissæ adsecutio comparabitur. Si porro Altare aliquod reperiatur, in quo aliquando Missam celebrandi licentia adfuit, sed in præsenti talis licentia non amplius exsistat, per illius visitationem Indulgentiam consequi haud valebimus. At vero, si Ecclesia, aut Altare paullatim collabatur, & simul paullatim reædificetur, illa visi-

tare ad Indulgentiæ consecutionem satis erit; quia adhuc essentiam Ecclesiæ, & Altaris retinent, & moraliter in ipsis perseverare censetur. Salmanticenses laud. *Append. Cap.* 3. *Punct.* 3. *n.* 122. Trullench. *Lib. I.* §. 6. *Dub.* 2.

Comperta porro, atque explorata res est, nobis ex Apostolica benignitate optionem esse concessam aut quinque Ecclesias, aut etiam quinque tantummodo Altaria in una eademque Ecclesia aut etiam in diversis Ecclesiis pro nostro lubitu visitandi. Id profecto quam luculentissime patet ex verbis ipsius nostræ Bullæ tum Latinæ, tum Italæ, & nos jam ante innuimus. Quemadmodum etiam æque certum, atque exploratum est, posse nosmet in defectu quinque Altarium, quinquies unum atque idem Altare visitatione prosequi: *Aut in illorum defectu* (quinque nempe Altarium) *quinquies unum, & idem Altare*, verba sunt nostræ Bullæ Latinæ. Hæc profecto cum luculentiora sint, quam desiderari possit, neque ullatenus in dubium revocari possint; illa tantum indigitasse sit satis. Quare ad quædam alia, de quibus inter Theologos controversia excitari solet, nobis properandum erit.

Q. XXVI. *Quomodo sit intelligenda formula illa adhibita in nostra Bulla*, aut in illorum defectu, *quo posito quinquies unum atque idem Altare visitari poterit?*

R.

R. Quosdam in ea fuisse sententia, qua docerent recensitam formulam ita esse intelligendam; quando nimirum in locis, ubi forte incolæ hujusce nostri Regni reperiuntur, nullæ adsint Ecclesiæ quinque Altarium numero decoratæ, neque aliæ sint Ecclesiæ, aut Altaria; tunc licere, atque satis reputandum pro adsecutione hujusce Indulgentiæ hic nobis promissæ adeundo Ecclesiam unico Altari ornatam, quinquies unum atque idem Altare visitatione prosequi. Quod profecto sat luculenter patere arbitrantur ex adductis verbis nostræ Bullæ, *aut in illorum defectu;* quibus permittitur quinquies unum, & idem Altare visitare, si eo loci, ubi quis degat, nulla alia adsit Ecclesia, aut Altare; alioquin adposita conditio haud sufficienter verificata maneret, si in eodem loco plures aliæ reperiantur Ecclesiæ, aut Altaria.

At contra P. Mendo *in Expositione Bull. Cruciat. Disp.* 20. *Cap.* 5. *num.* 41. aliique in oppositam abiere sententiam, edocentes, minime opus esse visitationem quinque Altarium in aliis Ecclesiis, ubi adsint, compleri; sed sufficere unum, atque idem Altare iterato, aut quinquies visitare in ea Ecclesia, in qua unicum duntaxat reperiatur. Id probant I. ex usu atque praxi ipsorum Fidelium, atque ex interpretatione communiter, & facto ipso adhibita ad recensitam formulam. Etenim, ut Indulgentiarum per Bullam pro-

promissarum adsecutione potiantur Fideles, visitantes Ecclesiam, in qua unicum, aut duo Altaria erecta sint, ibidem illius, aut illorum visitationem iterare curant juxta definitum numerum, ac per Bullam præscriptum; atque hoc satis esse judicant, ut præscripto operi visitationum jure satisfactum dici possit; nec ulla prorsus afficiuntur sollicitudine, aut cura, reliquas illius Religionis, aut Oppidi Ecclesias, quæ ibidem erectæ occurrunt, visitandi. II. Quia adducta clausula *In illorum defectu* sufficienter quoque verificatur in hac posteriori sententia; siquidem illa non solum erit intelligenda in ea hypothesi, quando eo loci, ubi quis diversatur, unica tantum Ecclesia constructa sit, in qua & unicum Altare erectum prostat; sed etiam quando in ea Ecclesia, ad quam quis accedit visitationum præscriptarum opus completurus, nonnisi unicum Altare occurrit, licet aliæ ibidem constructæ sint Ecclesiæ quinque Altaribus decoratæ.

Ex hac porro posteriori sententia deduxere Ægidius Trullench. *loc. cit. Lib. 1.* §. *6. Dub.* 2. *num.* 2. aliique, posse virum nobilem quinquies visitando suum Oratorium ab Episcopo designatum, atque approbatum, hujusmodi *Stationariis* Indulgentiis perfrui; tum quia Oratorium privatum in favorabilibus ex Ecclesiastici Juris sanctionibus, tamquam vera Ecclesia reputatur, quod & antea innuimus; tum

tum etiam quia sufficit quinque Altaria minime reperiri in ea Ecclesia, ad quam pro visitationibus peragendis accedimus; ut *in illorum defectu* quinquies unum, atque idem Altare ejusdem privati Oratorii possit visitari juxta Pontificiam concessionem. Neque etiam in hac adducta hypothesi opus erit, ad quinque visitationum opus perficiendum, ut quis quinquies egrediatur, atque ingrediatur suum Oratorium; sed sufficiet, si eodem loco consistens post primam visitationem completam, atque orationem, profunde caput, & corpus inclinet; & sic deinceps in aliis, per quam profecto inclinationem visitationes præscriptæ satis distinguerentur, quemadmodum antea ediximus. Hanc posteriorem recensitam sententiam probabiliorem arbitrantur Salmanticenses; adeoque in praxi satis tutam, utpote innixam communi Fidelium persuasioni: at prior tutior est, ideoque omnino consulenda, saltem ubi commode exsecutioni demandari poterit. Lege Salmanticenses *loc. cit. Cap.* 3. *Punct.* 3. *n.* 125. Verum de visitatione proprii privati Orotorii aliter rem definivit noster Commissarius. Vide *t. II.* Appendice I. *Dub. III. Respons. ad V.*

Illud porro certum videtur consentientibus utriusque nuper recensitæ sententiæ patronis; nimirum Religiosos, sive Moniales, quæ e claustris egredi nequeunt aut easdem non decet ad alienas Ecclesias accedere visitationum opus complebturæ-

quies visitare ad propositam Indulgentiam consequendam?

R. Neg. Etenim juxta mentem Pontificis non videtur concessum quinquies visitare unum, atque idem Altare, nisi eum aliæ Ecclesiæ, aut Altaria desint; aut cum non adsit nisi unicum in Ecclesia Altare. Hoc autem in facti specie, quam proposuimus, minime contingit. Ergo &c. Alioquin clausula illa *In defectu illorum* minime veritatem haberet, si occurrentibus in eadem Ecclesia aliis Altaribus, licet infra quinque designata, coram uno duntaxat illorum, præscriptum visitationum opus debitæ exsecutioni demandaretur. Insuper hoc ipsum patet ex usu, ac praxi Fidelium omnium cujuscumque conditionis, ac status tam sapientiorum inter ipsos, quam rudiorum, uti testantur plures Theologi, qui hanc sententiam propugnant, atque uti probabiliorem amplectendam proponunt. Lege Salmanticenses laud. *Append. Cap.* 3. *Punct.* 3. *num.* 127.

Quapropter ex eorumdem Theologorum sententia in adducta hypothesi, cum scilicet in Ecclesia duo, vel tria tantum adsint Altaria, omnia iterato erunt visitanda, donec perventum fuerit ad præscriptum numerum quinque visitationum; quam quidem agendi rationem hic propositam conformiorem esse menti Pontificis præscribentis ad adsecutionem Indulgentiarum quinque Altarium visitationem,

te-

testatur Trullench. *Exp. laud. Bull. Cruciat. Lib.* 1. §. 6 *Dub.* 2. *n.* 3. Consonat etiam dictis Declaratio nostri Commissarii. Vide *tom. II.* Appendice I. *Dub. III. Resp. ad IV.*

Q. XXIX. *Quid si quis Ecclesiam ingredi nequeat obstante Populi nimia frequentia; num satis sit præ foribus ejusdem Ecclesiæ præscripta quinque Altaria visitare?*

R. Neg. Ita laud. Salmanticenses *n.* 189. Trullench. *loc. cit.* Petrus Colet *Append. De Piis Operib. ad Jubil. Consecut.* §. 8. *Concl.* 4. aliique. Ratio autem quæ hic affertur hujusmodi est, quia discrepant hæc duo inter se: nimirum onus injunctum visitandi Ecclesiam, & visitandi Altaria. Quando enim opus præscribitur visitandi tantummodo Ecclesiam; uti fit per Bullas Jubilæi, & hic etiam nobis per Bullam nostræ Cruciatæ optione nobis data, permittitur visitare quinque Ecclesias, si hoc nobis magis arrideat, quam visitare quinque Altaria; ille qui præ foribus Templi consistens, quia vel illæ jam clausæ fuere, vel ingredi non possit propter populi frequentiam, ibi præ foribus inquam orationis pensum pro suo munere persolvit, plane satisfacit oneri imposito visitandi Ecclesiam, atque Indulgentias visitationi adnexas, si cetera concurrant, lucrabitur. Etenim licet iste præ foribus orat, censetur tamen moraliter intra ambitum Ecclesiæ orationi pro suo

suo munere vacare, ac proinde ab Indulgentiarum adseeutione non idcirco excludendus. Secus vero sese res habet, quando nobis ipsa Altaria sint visitationibus prosequenda; tunc enim minime sufficit præ foribus Ecclesiæ orando visitare; sed omnino oportet ut illuc introgressi coram ipsis Altaribus, aut saltem ad conspectum illorum orando, visitationis munus impleamus. Etenim licet ille, qui præ foribus visitat, censetur moraliter ipsam Ecclesiam visitare, ut antea diximus; haud tamen ille, qui præ iisdem ipsis foribus Templi visitat, censendus erit moralirer Altaria visitare.

Quod autem aliquis ante fores Templi consistens, quando præ multitudine ingredi illuc nequeat, obligationi audiendi sacrum satisfacere possit, licet nec Altare, ubi immolatur victima propitiationis, nec Sacerdotem sacris operantem conspiciat; dummodo ex aliorum signis dignoscere possit quid in Altari per Sacerdotem agatur; quia hac ratione censetur Missæ moraliter præsens; hoc sane inde provenit, quia ille facit unum moraliter tum cum ceteris fidelibus adstantibus, tum maxime cum Sacerdote actioni Sacrificii vacante. Omnes enim fideles adstantes, imo & omnis Ecclesia per Sacerdotem veluti publicum ministrum ad id destinatum nostræ redemtionis pretium offert in Sacrificio. At vero in visitationibus Altarium, qui extra Templi januam consistentes visitant,

tant, non faciunt unum moraliter cum iis, qui Ecclesiam introgressi coram Altaribus procumbentes præscriptum visitationum opus pro suo munere explere student: neque visitationes ab uno peractæ habent connexionem cum aliis: neque demum aliquid est, in quo moraliter uniantur. Quapropter extra Ecclesiæ januam visitans Altaria, nequit dici moraliter præsens Altaribus, cum nullo modo illa conspiciat, cumque præscriptæ visitationis Altarium oneri minime satisfaciat, ab adsecutione Indulgentiarum inde arcendus.

Libentissime tamen concedunt laud. Theologi posse aliquem etiam extra Ecclesiæ januam præscriptas visitationes complere; modo ibi consistens Altaria ipsa, quæ sibi sint visitanda, conspiciat; hoc enim satis esse putandum erit, ut ipsis Altaribus moraliter præsens censeatur ad præscriptum visitationum opus complendum.

Q. XXX. *Num omnes, & singulæ Altarium visitationes in statu gratiæ sint perficiendæ, ut vel sibi, vel Defunctis promissæ Indulgentiæ comparentur?*

R. I. Proximo *Superiori* §. *Qu.* 3. invictis argumentis demonstratum est, non oportere, ut omnia, & singula pia opera præscripta ad Indulgentiarum adsecutionem in statu gratiæ perficiantur: sed satis esse, si postremum opus perquisitum ad lucrandas Indulgentias in gratiæ statu pe-

peragatur, tunc nimirum cum recipiendus est Indulgentiarum effectus. Legi poterit præterea hac de re Eximius Suaresius *Tom. IV. in 3. Part. D. Thom. Disp. 52. Sect. V. num. 7. & seqq.* Cajetani argumenta pro contraria sententia scite suo more dissolvens. Atque hinc profecto prono alveo fluere nemo non videt, gratiæ statum minime esse necessarium ad omnes, & singulas recensitas Altarium visitationes, sive interruptis vicibus fiant, sive continuato; at satis erit in gratiæ statum sese recipere, cum postrema Altaris visitatio erit peragenda, & recipiendus Indulgentiarum fructus. Etenim quando opus præscriptum aut omnino, aut ex parte antecedit Indulgentiarum receptionem, gratiæ status in toto illo opere minime est necessarius; sed solum erit necessarius, cum consummatur opus, & percipiendus est Indulgentiarum fructus; quod profecto accidit in postrema Altaris visitatione.

R. II. Cum Indulgentiarum effectus ad Defunctorum animas juvandas transferri velit; ut illis reapse Indulgentiarum adsecutiones prodesse possint, omnino requiri in Fidelibus offerentibus pro Defunctis Indulgentiarum suffragia, statum gratiæ, supra propugnavimus cum Cajetano, & Colet nimirum *Qu.* 12. hujusce §. repugnantes licet communiori Theologorum sententiæ.

Verum hoc ipsum ita erit intelligendum,

dum, scilicet, ut quando opus exsequendum, vel pars ejus tempore antecedit effectum Indulgentiæ, pro eo tempore statum gratiæ, minime esse necessarium; quemadmodum & antea dictum est de Indulgentiis, quæ a Viventibus sibi comparentur; at necessarium esse statum gratiæ, cum consummato opere Indulgentiarum effectus statim erit tribuendus. Atque hæc fuere, quæ de Indulgentiis nostræ, earumque necessariis conditionibus, sive dispositionibus edifferenda suscipere operæ pretium duximus: si quae deesse videantur studioso Lectori, apud laud. Theologos ejusdem Bullæ Expositores abunde ei occurrent. Nobis enim haec delibasse satis videri poterit, ne Lectoris benignitate indigne abuti videamur. Superest tandem, ut de Indulgentiis *Stationariis*, quae hic nobis promittuntur, pauca quaedam scitu necessaria, aut oppido utilia delibemus.

§. IV.

§. IV.

De Antiquitate Indulgentiæ Stationariæ, *ejusque valore ac praestantia; ac de numero dierum* Stationum, *quae nobis per Bullam nostram concessae fuere.*

INter cetera errorum monstra, quæ Romanæ Communionis hostes ex erebi faucibus revocare, atque ad Orthodoxam Fidem dilacerandam, ac labefactandam per summam dementiam, impudentiamque immittere ausi fuere; illud etiam fuit, quo usum Templorum, sive Ecclesiarum, quæ Domus Summi Dei sunt, ipso sacro eloquio testante, damnarent, atque e Christianæ ditionis finibus penitus eliminandum effutirent. Profecto nostri instituti ratio non patitur, ut in hisce erroribus profligandis aliquantisper immoremur; quare sat nobis erit eruditos Lectores amandare ad Polemicos Scriptores, qui de hoc argumenti genere adversus Heterodoxos scriptitarunt, ac præcipue ad doctissimum purpuratum Bellarminum, qui *Lib. III. controvers. Cap.* 4. *De Cultu Sanctorum.* docte pro suo more hujusmodi errorum congeries pessumdat, ac penitus evertit.

Interim liceat nobis (quod & propius rem nostram spectat, & simul hæreticae in-

insaniæ jugulum petit) in memoriam revocare, quanta animi religione, ac pietate Fideles ab ipsis Christianæ Religionis incunabulis Divini Spiritus magisterio edocti, hujusmodi loca Deo sacrata, quas *Ecclesias* vocabant, colerent ac prosequerentur.

Et re quidem vera (ut de Veteri Testamento taceamus) statim, ac Apostolicæ prædicationis tuba Ecclesia colligi, atque supra inviolabilis Fidei Petram cœleste ædificium exstrui cœpit; hujusmodi loca divino cultui addicta, ac mancipata, semper conspicua fuere, quae primitus quidem in ipsis privatis domibus sita erant; cujusmodi erat Ecclesia illa, de qua loquens Paulus *Corinth. II. v. 22.* Corinthis ipsis ita exprobabat; *aut Ecclesiam Dei contemnitis* juxta interpretationem Augustini, aliorumque. Vide Bellarminum, *loc. cit.* Cujusmodi etiam fuit Cœnaculum illud, quo Troades *una Sabbati* convenerant ad frangendum panem, ubi disputante Paulo, ac sermonem protrahente usque ad mediam noctem; adolescens Eutychus gravi somno correptus super fenestram, cecidit de tertio coenaculo deorsum, & mortuus est; quem postea idem Paulus ad vitam revocavit, *Act. 20.* Atque hinc dein factum, ut ipsæ privatae domus, quandoque in Aedes Deo sacra converterentur; uti fuit inter ceteras domus S. Pudentis Senatoris, qui pater fuit S. Pudentianae, & S. Praxedis.

Sue-

Succrefcente porro Chriftianorum numero publice Templa Deo O. M. ædificari, atque dicari cœpere. Horum facrorum ædificiorum exempla confpiciebantur Imperii clavo adfidentibus Alexandro, & Gordiano, h. e. circa feculi tertii dimidium. Hinc diram illam perfecutionis procellam in Chriftianos commovente Diocletiano ann. Chrifti 302. a disjectione, ac direptione hujufmodi facrarum Aedium, five Ecclefiarum incœptum eft.

Demum optatæ pacis quiete jam perfruente Ecclefia, Conftantino Magno Imperii Romani fræna moderante, ab anno nimirum 311. ipfius Conftantini Religiofiffimi Imperatoris exempla confectantes fecutis deinceps ætatibus Romani Imperatores, magnis impendiis Templa exftruere, ac Vero Deo dicare certatim geftientes, infignia plane Imperialis munificentiæ hac in re monumenta pofteris admiranda reliquerunt.

Ad hæc itaque loca Deo facra, Deique numine plena Chriftiani humanarum viciffitudinum fluctibus jactati confugiebant, atque confluebant veluti ad portum cœleftis requietis, atque ad anchoram fpei firmam ac tutam. Huc ftatis diebus convenientes fumma animi pietate, ac religiofo pavore perculfi, cæleftis doctrinæ pabulo tum paftorali prædicatione, tum facris lectionibus nutriebantur, Sacramentorum præfidio adverfus ingruentium hoftium impetus fefe armabant, ac facri-

cium illud Agni immaculati, atque intaminati Christi uni Deo debitum in innocentia animi, ac cordis caritate per manus Pontificum offerebant. Legi poterunt quæ hanc in rem ex probatissimæ fidei auctoribus congerit Cl. Fleuri in *De Moribus Christianor. n. 13. & seqq.*

Huc etiam potissimum religiosissime conveniebant, quo in unitate cordis atque animi, orationibus, ac precationibus vacarent, memores profecto Dominicæ promissionis factæ Salomoni, qua pollicitus fuit sese facilius, ac citius exauditurum preces ab hominibus in hujusmodi sacratis locis effusas, *III. Reg. Cap. 9.* imo & ipsius Christi promissionis, uti liquet ex illis verbis: *Si duo ex vobis consenserint de omni re quacumque petierint, fiet illis a Patre meo, Matth. Cap. 18. v. 12.* Hinc illud Tertulliani loquentis de hac laudabili Ecclesiastica disciplina; *Coimus in coetum, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes &c. Hæc vis Deo grata est, Apolog. Cap. 39.* Hic integras sæpe noctes, illas nimirum quæ potiores Solemnitates anteibant, vigiles, atque erecti animo Divinis laudibus, atque orationibus transmittebant. Huc demum convenientes certis diebus statim ab exortu solis orationibus, hortamentis, sacrarum lectionum interpretationibus vacantes, & jejuni ad horam nonam usque perstabant; hora autem nona post Eucharistiam & pacis oscula conventus, & je-

jejunia solvebant. Hi porro conventus dicti fuere *Stationes*. Neque uti arbitramur, est ignotum hac in re factum D. Gregorii Magni Pontificis, qui ut ajunt Salmanticenses laud. *App.* c. 3. *Punct.* 3. *n.* 110. ad avertendum contagionis morbum, qui per universam fere Italiam grassabatur ad varias Romanæ Urbis Ecclesias *Stationes* indixit, atque ordinavit, atque Indulgentias iisdem adnexuit. Verum hic Salmanticenses, non recte confundere videntur *Litaniam majorem*, sive *Rogationem*, uti vocant, a D. Gregorio institutam, (vide Fleuri in sua Hist. *L.* 35. *n.* 1. & Benedicti XIV. *Notific.* 3.), ut Romæ pestem sævientem Divinæ misericordiæ præsidio abigere posset, cum *Stationibus*, quas ab eodem Pontifice ordinatas tantum, atque præscriptas narrat Joannes Diaconus in ipsius Pontificis vita. Hæc enim non sunt invicem confundenda, sed accurate secernenda. Vide laud. Fleuri *Lib.* 36. *n.* 16. Quare factum D. Gregorii quod hac in re circumfertur referendum ad illud posterius, quod de eodem Pontifice circa *Stationes* ordinatas narrat laud. Joannes Diaconus. At de hujusmodi D. Gregorii facto fusior nobis infra erit sermo instituendus, cum de antiquitate Indulgentiæ *Stationariæ* agendum nobis erit.

Itaque, ut ad propositum nostrum deveniamus, *Stationes*, unde Indulgentiæ *Stationariæ* vocabulum arcessitum est, uti

omnibus probe compertum; *Stationes*, inquam, sic dictæ fuere, vel cum indictis, atque ordinatis solemnibus supplicationibus ad certas Ecclesias, ibique consistentibus, sive *stantibus* Fidelibus, orationes precationes, piaeque vigiliæ diutius protrahebantur ad promerenda cælestis opis præsidia; divinaque etiam officia ibidem solemniori ritu persolvebantur, cujusmodi fuere *Stationes* a D. Gregorio indictæ, atque ordinatæ, uti mox dicemus; vel cum etiam sine supplicationibus ad certas Ecclesias convenientes Fideles ibi consistebant, sive stabant maximam diei partem in piis precationibus, sive orationibus Deo porrigendis insumendo; cujusmodi porro Conventus, qui antiquissimis Ecclesiæ temporibus celebrari consuescebant, *Stationum* qnoque nomine fuisse insignitos docet cl. Graveson *in Histor. Ecclesiast.* cujus testimonio mox etiam utendum nobis erit, aliique passim Eruditi, & abunde patet ex Tertulliani Operibus. At de his vide præsertim cl. Panvinium *in libello de Stationibus Roman. Urbis ad Hist. Plat. De Vit. Roman. Pontif.* ubi quæ docuimus fusius demonstrata deprehendes.

Plura quoque de hujusmodi antiquissimis *Stationibus* congerit cl. Gonzalez *Comment. in Cap.* 1. *De Observant. jejunior. num.* 5. adductis quibusdam Tertulliani testimoniis, quæ legi poterunt apud laud. Canonum interpretem, si eadem sciendi cupido insit. Inter quæ & illud ani-

animadvertendum, quo Fideles saltem in his *Stationibus* postremo loco descriptis non *stando* orabant, sed in genua provoluti, & jejunium servabant perquam religiose; pietate potius, an Ecclesiæ præcepto non liquet; ex pietate enim, & singulari devotione illud servatum docet laud. Graveson, quod profecto nobis probabilius videtur; (Vide Natal. Alexandrum, & cl. Albaspinæum) ex Ecclesiæ vero præcepto tradit Gonzalez, ut videtur.

Prædictum porro *Stationis* vocabulum e re militari ad designandos hujusmodi Ecclesiasticos conventus aptissime, ac recte translatum est. Etenim quemadmodum milites excubiis agendis addicti, publicæ incolumitati providentes, *Stationes* dicebantur, aut *Stationarii*, & ipse locus, in quem recipiebantur, ut suo muneri vacarent, *Statio* dicebatur, uti Latinum eloquium callentibus plane compertum; ita quoque conventus hujusmodi, ubi Fideles collecti vigilando, orando, opemque divinam in communem totius Christianæ Reipublicæ utilitatem implorando perstabant, *Stationes* dictæ fuere. Postea eadem vox *Sationis* adhibita est non solum ad significandas visitationes diversarum Ecclesiarum, ad quas *processionaliter* accedebatur; verum etiam & diversorum Altarium in eadem Ecclesia. Quia vero hujusmodi Ecclesiarum, sive Altarium visitationibus, sive *Stationibus* posterioribus

saltem temporibus, quo ferventius ac facilius obiri possent, Indulgentiæ quædam adnexæ fuere; hinc factum est, ut hujusmodi Indulgentiæ *Stationes* dicerentur, sive *Indulgentiæ Stationum*, aut *Stationariæ*.

Quid ergo discriminis interest inter veteres, & recentiores nostras Stationes.

R. Multum discriminis interesse, utrasque conferenti colligere licebit. Et I. quidem veteres *Stationes* diebus solemnium jejuniorum fieri solebant; hinc quarta, & sexta Feria, qui dies *Stationibus* erant destinati, jejunium servabatur, quod ex communi usu, ac consuetudine frequentatum, non ad Vesperam usque ut olim Quadragesimale producebatur, sed hora nona solvebatur; inde hujusmodi a Tertulliano dicta fuere *semijejunia*. Primus vero, qui creditur *Stationes* a jejuniis distraxisse, fuit Gregorius Magnus, qui *Stationes*, uti postea fusius ostendemus, etiam diebus Dominicis intra tempora Adventus, & Quadragesimalis Jejunii; imo ipsa etiam Dominicæ Resurrectionis Die *Stationes* fieri voluit, cum antea solis jejuniorum diebus fieri solerent. At vero nunc temporis juxta præscriptum, atque inductum a D. Gregorio morem *Stationes*, non unis jejuniorum diebus, sed etiam in Festis, ac Dominicis diebus non solum ante prandium, sed etiam post prandium celebrantur. II. In veteribus *Stationibus* iidem homines tunc in orationibus

nibus perſeverabant a ſummo mane, uſque ad horam nonam, & fortaſſe etiam quandoque uſque ad Veſperas; nunc autem alii, atque alii pervigilant in orationibus, ita tamen, ut a ſummo mane uſque ad Veſperas non deſint, qui in Eccleſia Deum precentur, & laudent. Hoc enim neceſſitate jubente rectiſſime inductum eſt, ut cum Baſilicæ, ad quas forte *Staiones* indicebantur, tantam hominum multitudinem capere non poſſent, & omnes contra *Stationum* fructum percipere vellent; ideo merito conſuetudo introducta fuit, ut nunc iſti, nunc illi *Stationis* locum adirent. III. Veteribus *Stationibus* nullæ exſtabant affixæ Indulgentiæ, iſtæ enim *Stationibus* adnecti cœperunt non ante ſeculum XII. uti poſtea probabimus, antiquitus enim alia elargiendi Indulgentias vigebat diſciplina, quod & nos diligenter proſecuti ſumus *in Append. ad II. Part.* §. 1. Noſtris vero recentioribus *Stationibus* Indulgentiæ, & quidem abundantiores per Romanos Pontifices adnexæ fuere, quo Fidelium pietati, ad illas frequentandas ſtimuli adjungerentur. Lege hanc in rem doctiſſimum Bellarminum in *De Bonis Operib. Lib. II. Cap.* 21. & Natalem Alexandrum *Hiſtor. Eccleſiaſtic. Secul. II. Diſſert.* 4. *art.* 5.

Indulgentia itaque *Stationum*, ſive *Stationaria* aliud non eſt, niſi illa, quae conceditur fidelibus viſitantibus Eccleſias,

tam intra, quam extra muros Urbis certa quadam die, ad quas Ecclesias solemnis *processio* pro comparando ejusdem Indulgentiæ fructu instituta erat. Ita laud. Trullench, *Exposit. Bull. Cruciat. Lib. I.* §. *6. Dub.* 1. *n.* 2.

Circa antiqaitatem porro hujusmodi Indulgentiæ grande litigium Theologos inter, atque eruditos vertitur; pro cujus quæstionis expeditione sit

Q. I. *Quo præcise tempore Indulgentia istbæc* Stationaria *in Ecclesiasticam disciplinam fuerit inducta?*

R. Si quæramus de antiquitate *Stationum*, illas longe antiquissimas in Ecclesia fuisse, quam forte suspicari quis posset; comperta res est. Etenim hujusmodi conventus, in quibus & orationibus, aliisque piis religiosisque exercitationibus fideles vacabant, semper in Ecclesia habiti fuere, uti constat ex Apologistis præsertim Christianæ Religionis (vide Fleuri in *De Morib. Christianor. loc. cit.*) qui licet variis nominibus designari solebant, uti *Coenæ*, *Fractionis panis*, *Oblationis*, *Synaxis*, *Collectæ*, *Eucharistiæ*, *Liturgiæ*, jam inde tamen ab ætate Tertulliani *Stationum* nomine indicati fuere; præsertim cum longius protraherentur, scilicet usque ad Nonam, aut fortasse etiam ad Vesperam, uti suspicatus est Bellarminus (at non recte, uti videtur. Vide cl. Albaspineum); nam de iisdem sæpe meminit laudatissimus Scriptor, Tertullianus inquam, uti

uti in *de Oratione De Corona Militis*, & alibi. Hinc rectissime laud. Graveson *in Histor. trium priorum Ecclesiæ seculorum Colloquio 7.* hujusmodi *Stationes*, in quibus diutius orationibus aliisque piis exercitationibus instabant fideles, recenset inter capita disciplinæ, quæ tribus prioribus Ecclesiæ seculis jam vigebat. Lege hac de re doctissimum Albaspineum *Lib. I. Observat. Observat 6.* qui perdocte hanc rem illustrat.

Quod vero pertinet ad antiquitatem Indulgentiæ *Stationariæ*, sive *Stationibus* affixæ, res plane non liquet propter dissidentium Scriptorum oppositas sententias. Plures hujusmodi Indulgentiarum initia repetunt ab ipsa ætate Gregorii M. quo auctore illas incepisse autumant; h. e. jam inde a seculo Christiani nominis sexto. Ita Scholastici ferme omnes duce D. Thoma. *In Supplement. Qu. 25. Art. 2. in corp.* vide Salmanticenses & Trullench. *loc. cit.* licet haud plane conveniat inter hujusce sententiæ patronos, cujusmodi fuerit isthæc Indulgentia a D. Gregorio instituta, quibusdam contendentibus fuisse *plenariam*; Scholasticis vero tantummodo *partialem* opinantibus, h. e. *Septennem*. Qua de re h. e. de institutione hujusmodi Indulgentiæ *Stationariæ* a D. Gregorio facta, advertit sapientissimus Suaresius, *tom. 4. in 3. Part. D. Th. Disp. 49. Sect. 2. n. 12.* non haberi scriptam historiam, sed tantummodo publicam famam; quam

secutus Bonifacius VIII. hunc in modum proloquitur: *Frequenti considerationis indagine perlustramus, & intra claustra nostri pectoris solicita meditatione discutimus, qualiter Doctor optimus, Ecclesiæ S. lumen B. Gregorius dum adhuc in terris gereret vices Christi, Patriarchalibus, & aliis ejusdem Urbis Ecclesiis primo (prout tradit Antiquitas) & alii postmodum Romani Pontifices . . . De Apostolicæ Sedis liberalitate munifica, diversorum temporum Stationarias Indulgentias concesserint.* Apud Van-Espen mox laudandum. Vide Panvinium *loc. cit.*

At emunctioris naris, atque exactioris critices Scriptoribus ista minime arrident, quibus persuasum est, nec immerito, hujusce Indulgentiæ *Stationariæ* institutionem ad tempora longe recentiora, ac posteriora ætate D. Gregorii esse referenda. Quænam porro ex recensitis verosimilior, ac probabilior sententia nobis visa fuerit, subjecta protinus Adsertio exhibebit.

Adsero: *Stationariæ Indulgentiæ originem, sive institutionem D. Gregorio Pontifici non esse adscribendam, neque antiquiorem esse seculo XIII. aut saltem XII. Ita* Mabillonius *Præfation. ad Secul. V. Benedictin.* Dainel Papebrochius in suo *Conatu Chronico Histor. Dissert.* 17. Morinus in *De Pœnitent. Lib.* X. *Cap.* 20. *n.* 9. Van-Espen in *De Indulg. tit.* 7. *Cap.* 1. Gra-

1. Gravefon. *in Histor. Ecclesiast. IX. Secul. Colloq.* 2.

Prob. I. Isthæc concessionis formula, qua visitantibus Ecclesias certæ quædam Indulgentiæ tribuerentur, prorsus ignota erat ætate memorati Pontificis Gregorii, qua nimirum consuetudo, sive disciplina exigendi, ac persolvendi canonicas pœnitentias ubique vigebat, atque integra perdurabat Ergo &c. Vix enim seculo septimo, aut octavo inductus est, usus redimendi canonicas pœnitentias eleemosynis collatis sive in pauperum subsidium, sive in Ecclesiarum ædificationem, uti fuse probat eruditissimus Morinus laud. *Lib.* X. *Cap.* 20. & seculo tantum XI. ad promovendam expeditionem pro Hierosolymorum liberatione de rigore prioris disciplinæ multum relaxatum est, amplissimas Indulgentias proficiscentibus ad hujusmodi Bellum concedendo. Lege Nat. Alex. *Hist. Ecclesiast. secul. IX. & X. art.* 1. *Cap.* 1. Profecto si sola Ecclesiarum visitatione, Indulgentiæ tunc temporis comparari potuissent, neque ad redimendas canonicas pœnitentias eleemosynis, neque ad suscipienda ardua belli discrimina illius ætatis homines facile induci potuissent. Confer huc, quæ in hanc rem dicta fuere *in Append. I. ad* §. 1. *hujusce II. Partis*, ubi integram ac variam variis ætatibus Ecclesiæ disciplinam in concessione Indulgentiarum fusius prosecuti sumus.

Prob. II. Hujusmodi institutionis Indulgentiæ *Stationariæ*, a D. Gregorio, aliisque veteribus Pontificibus factæ nullum prostat historicum monumentum, sed tantum publica fama, uti cum Suaresio nuper advertimus. Sed isthæc publica fama hac in re in minimis habenda, aut pro nihilo ducenda est, Ergo &c. Etenim isthæc fama oriri potuit, & reapse orta est ex falsa populari persuasione. Cum passim Seculo XIII. labente, cernerentur Pontifices *Stationibus* varias Indulgentias adnectere, easque impertiri visitantibus Ecclesias *Stationarias*; cumque legeretur, aut sciretur simul a veteribus Pontificibus præscriptas, aut ordinatas diversas *Stationes*; facile vulgus abduci potuit falsa isthac persuasione: nimirum tum *Stationum*, tum etiam Indulgentiæ *Stationariæ* institutionem ex facto veterum Pontificum promanasse; ab iisque repetendam utriusque institutionis originem. Pervulgata porro isthæc fama in caussa fuit, cur Scholastici memoratam opinionem & amplecterentur, suisque in disputationibus de Indulgentiis traderent. Huic demum Scholasticorum opinioni sese conformasse Bonifacium VIII. nihil mirum videri debet, cum alioquin de re meri facti ageretur. Ita laud. Van-Espen.

Prob. III. Expendendo factum D. Gregorii, cujus narrationem exhibet Joannes Diaconus in ejus vita. Refert itaque laudatus Historicus: Sanctum Pontificem

Sta-

Stationes per Basilicas, vel *beatorum Martyrum coemeteria ordinasse*. (Vide Panvinium *loc. cit.*) Quo ordine etiam nunc in Missali Romano digestæ visuntur. Itaque de *Stationibus* tantum a B. Gregorio ordinatis profert testimonium Joannes Diaconus; de Indulgentiis vero iisdem ab eodem Pontifice adnexis nulla apud laud. Historicum mentio, neque vola, ut ajunt, aut vestigium. Ergo immerito, imo prorsus temere, uti videtur, hujusmodi Indulgentiæ *Stationariæ* originem B. Gregorio, aliisve antiquioribus Pontificibus adscribendam esse contenditur.

Idem quoque esto judicium de quibusdam aliis consimilibus Indulgentiis, quæ dicuntur concessæ a veteribus Pontificibus, Fidelibus visitantibus quasdam Ecclesias, uti est illa, quæ creditur concessa a S. Sylvestro illis, qui visitaverint Ecclesiam Lateranensem; aut illa, quæ ineunte prope seculo IX. fertur concessa a Leone III. Pontifice illis, qui celebraverint Festum S. Swiberti, atque eodem die Festo ad divina convenerint; atque demum illa, quam Sergius II. Pontifex, qui anno 844. post Gregorium IV. Pontifex creatus fuit, dicitur concessisse iis, qui Romæ ad Ecclesiam SS. Sylvestri, & Martini accesserint in quorumdam Sanctorum Festivitatibus. Hasce enim omnes Indulgentias nunc recensitas inter apochryphas esse rejiciendas, jamdiu invictis argumentis demonstrarunt eruditissimi Scriptores, cum

nullo satis firmo innitantur fundamento; confictæ quippe fuere ab aliquo recentis ævi Scriptore, qui mores, vel disciplinam sua ætate vigentem in ipsa antiquiora tempora invehere studuit; vel ex moribus suæ ætatis, vetustam hæc in re Ecclesiæ disciplinam metiri voluit. Vide, si lubet, Natalem Alexandrum, Van Espenium, & Gravesonium *loc. cit.*

Ex hisce omnibus porro hactenus recensitis prono alveo fluit altera pas Adsertionis, quam probandam suscepimus: nimirum hanc formulam concessionis Indulgentiarum, sive Indulgentiæ *Stationariæ* originem vetustiorem non esse seculo saltem XII. neque ultra hoc tempus protendendam; cum tantummodo circa hæc tempora, istiusmodi formulæ concessionis modo in Indulgentiis usitatioris, vestigia occurrunt in antiquis monumentis, uti probat idem cl. Papebrochius *laud. Dissert.* 17. Consule laudatam Appendicem adtextam ad calcem §. 1. hujusce *II. Partis.*

Qua quidem in re, nemo, uti arbitror, vitio nobis vertet, a sententia D. Thomæ, aliorumque insigniorum Scholasticorum nos recessisse. Quemadmodum enim ipsorum auctoritates maximi facimus, cum in Theologicis Disputationibus versamur; ita cum de criticis quibusdam controversiis agatur, illos potius duces peroptamus sequi, qui exactioris critices laude maximopere floruere.

Q. II. *Quænam sint Ecclesiæ in Roma-*

na

na urbe, quibus primitus adfixæ fuere Stationes, *ac deinceps subsecutis ætatibus Indulgentiæ, quæ idcirco dictæ fuere* Stationariae?

R. D. Gregorius, quem, referente Joann. Diacono in ejus vita, audivimus ordinasse *Stationes per Basilicas, ac Beatorum Martyrum cœmeteria* (Indulgentiarum enim iisdem adnexio ad ætates multo recentiores pertinet, uti jam probavimus), prædictas *Stationes* affixit potissimum Ecclesiis *Patriarchalibus, ac Titularibus*; Martyrum enim festivitates peragebantur illis in Ecclesiis, ubi ipsorum reconditæ fuerant reliquiæ. At de his lege si lubet laud. Panvin. *loc. cit.* qui dictarum Ecclesiarum syllabam recenset, & simul concessas cuique *Stationes*. Erant autem Ecclesiæ Patriarchales, Ecclesiæ quædam præcipuæ, quæ proprie pertinebant ad Summum Pontificem, quæ Basilicæ dicebantur; uti Ecclesia S. Joannis in Laterano, quam a Constantino Imperatore exædificatam in latere sui Palatii, atque a S. Sylvestro Papa dedicatam narrant in honorem SS. Salvatoris; II. S. Petri in Vaticano, ubi Principis Apostolorum sepulchrum visitur, ac religiosissime servatur; quod quanto in honore semper habitum fuerit apud exteras omnes Nationes supervacaneum erit prosequi neque instituti nostri ratio id patitur. Hinc illud Chrysostomi: *In Regia Urbe Roma . . . ad sepulcra Piscatoris, & tentoriorum*

rum Opificis occurrunt Imperatores, Consules, Duces Exercituum. Lege Benedictum XIV. *In Præparat. ad Annum Jubilæi* §. 4. III. Ecclesia S. Mariæ Majoris, seu dictæ S. Mariæ ad Præsepe in Exquiliis IV. S. Laurentii extra mœnia. V. demum Ecclesia S. Crucis in Hierusalem, quam etiam Constantinus Magnus in Aedibus Sessorianis exstruxit; ubi præter cetera adservatur titulus SS. Crucis, qui repertus fuit, cum Innocentius VIII. Pontificale munus gereret. Quibus Basilicis destinati fuere *Mansionarii*, & *Custodes*, quibus demandata erat provincia easdem emundandi, atque exornandi.

Ecclesiæ porro *Titulares* erant, veluti parochiæ quædam, quarum singulæ Sacerdoti Cardinali adsignatæ erant, ubi & fons baptismalis exstabat, ut necessitate postulante Baptismi Sacramentum ministrari posset; quibus etiam portio quædam civitatis subjecta erat quantum ad Mysteriorum Dei dispensationem. Jam inde ab anno 499. Ecclesiam Catholicam regente Symmacho Pontifice, recensebantur triginta *Tituli* in Urbe Romæ, seu triginta Ecclesiæ *Titulares*, quibus addicti reperiebantur sexagintasex Sacerdotes; quoniam duo, aut tres singulis Titulis præficiebantur; quorum princeps erat Sacerdos Cardinalis.

Erant etiam tempore laudati Pontificis Gregorii *Diaconiæ*, quæ nihil aliud erant, nisi quædam Hospitalia, sive loca desti-

na-

nata eleemosynis distribuendis, quibus præerant Diaconi *Regionarii* septem, singuli singulis Urbis Regionibus, quorum princeps erat Archidiaconus. Lege Cl. Fleuri *in sua Histor. Eccl.* L. XXXVI. *n.* 16.

Patriarchalibus itaque Ecclesiis potissimum, ac Titularibus *Stationes* adsignavit laudatissimus Pontifex Gregorius. Ritum porro Divinorum officiorum, quæ *Stationum* diebus in hisce recensitis Ecclesiis persolvebantur ætate laudati Pontificis, doctæ, ac luculentissimis verbis describit Claudius Fleuri *loc. cit. a num.* 17. & deinceps. Enumeratas deinde *Stationes* subsecuti recentioribus ætatibus Pontifices, uti jam ediximus, Indulgentiis prope innumeris exornarunt, atque ditarunt. Quod enim de S. Sylvestro, ac B. Gregorio, quos hujusmodi Indulgentias fuisse elargitos quidam putarunt, communi eruditorem calculo jam rejecimus. Subsecutis igitur ætatibus, h. e. a seculo XII. ac deinceps, hujusmodi Indulgentiæ impertitæ fuere; cujusmodi est Indulgentia illa plenaria concessa omnibus accedentibus ad Ecclesiam S. Joannis Lateranensis; quam Bonifacius VIII. jamdudum concessam a B. Gregorio, aliisque etiam vetustioribus Pontificibus confirmasse arbitrantur; sed fortasse ipse Bonifacius VIII. aliusve Pontifex prope ipsius ætatem, ejusdem institutor fuit. Insuper in Capella S. Joannis Baptistæ intra eandem Ecclesiam, (ad quam Capellam mulieribus non

non patet aditus) adest Indulgentia etiam *plenaria*. Item in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem per omnes dies est Indulgentia plenaria in Capella S. Helenæ. Item in Ecclesiis Sanctorum Petri in Vaticano, & Pauli in Ostiensi, S. Mariæ Majoris, S. Laurentii, S. Fabiani, & Sanctæ Crucis, adsunt quamplarimæ Indulgentiæ plenariæ, & innumeræ partiales, quas recenset Sorbo in Compendio Privileg. Ex quibus omnibus sat aperte colligitur, nullum esse diem, quo visitantibus aliquam, vel aliquas Ecclasias intra, vel extra muros Urbis, Indulgentia plenaria, seu *totalis* non concedatur. Ita Trullench. laud. *Lib. I. Expositon. Bull. S. Cruciat. §. 6. Dub.* 1. *n.* 4. At F. Mendo non omnes hujusmodi Indulgentias *Stationum*, quas quotidie Romæ quis percipere posset, esse Indulgentias plenarias *Stationum* docet; sed illas tantummodo plenarias *Stationum* arbitratur esse, quæ statis diebus, ac præcipuis Christiana pietate recolendis, promittuntur visitantibus certas Ecclesias, ceteras vero esse tantummodo *partiales*. Qua de re etiam inferius dicetur.

Demum Bonifacius VIII. in ipsa institutione Jubilæi, quolibet centesimo anno adsignati, *plenariam*, imo *plenissimam* Indulgentiam elargitus est iis omnibus, qui Basilicas S. Petri in Vaticano, & Pauli in Ostiensi, sive incolæ fuissent Romani, sive exteri, juxta præscriptum

ni

in eadem Bulla pro indictione Jubilæi, visitaverint. Huic sane concessioni, sive institutioni caussam præbuerat fama illa, quæ percrebuerat tum Romæ, tum in aliis Orbis partibus, de plenaria Indulgentia illis concessa quovis anno centesimo, qui SS. Apostolorum Petri, & Pauli limina adirent, atque illorum Basilicas visitarent. Hujusce famæ auctor diu multumque quæsitus, reperiri haud potuit. Hinc idem Bonifacius VIII. anno 1300. in Bull. *Antiquorum* hac de caussa edita in hunc modum proloquitur: *Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de Urbe concessæ sint magnæ remissiones & Indulgentiæ peccatorum*. Extravag. *Antiquorum* inter Communes *tit. De pœnitentiis, & Remission.* Clemens dehinc VI. qui spatium centum annorum pro Jubilæo quolibet adsignatum, ad quinquaginta contraxerat, visitationibus prædictarum Basilicarum pro adsecutione Indulgentiæ Jubilæi adjunxit etiam, atque præcepit visitationem Basilicæ Lateranensis. Bulla, quæ incipit *Unigenitus* edita pro Jubilæo celebrando ann. 1350. Refertur inter Extravagant. *Commun. Cap.* 2. *laud. titul. De Pœnitent. & Remiss.* Urbanus vero VI. qui intra breviora temporum curricula spatium annorum pro Jubilæo celebrando concluserat, h. e. qui ab anno quinquagesimo, cui celebritatem istiusmodi affixerat laud. Clemens VI. ad an-

annum tricesimum tertium reduxerat, in eoque celebrandum Jubilæum quovis futuro tempore decreverat, incipiens a primo Jubilæo celebrato ab ipso Urbano VI. h. e. an. 1383. trium Basilicarum, quas jam commemoravimus, visitationibus, adjunxit & aliam etiam visitandam, ut ceteras prædictas, tempore Jubilæi, h. e. Basilicam S. Mariæ Majoris, sive Basilicam Liberianam. Vide Benedictum XIV. Const. quæ incipit *Apostolica*, *De Præparat. ad ann. Universal. Jubilæi* §. 10. In hisce itaque quatuor Basilicis Romanæ Urbis jam indicatis adest, veluti Indulgentia quædam *Stationaria*, ac plenaria tempore Jubilæi omnibus proposita, sive Romani sint, sive incolæ Urbis, sive peregrini, aut exteri; modo in iisdem, visitationum præscriptum opus ad definitum numerum compleverint. In extensione porro Jubilæi Anni S. facta ad alias Civitates sive Regna, designantur quatuor Ecclesiæ, inclusa etiam Cathedrali, ab Ordinariis locorum, visitandæ ab ipsis Fidelibus, iisdem plenariis propositis Indulgentiis, ac si Romanas Basilicas personaliter visitassent. Vide Bullam *Benedictus Deus* Benedicti XIV. pro extensione Jubilæi Anni Sancti, *num.* 2.

Silentio porro hic quoque prætereundum non erit, quod refert Dominicus Viva in *De Jubilæo*, *De Suspens. Indulgent. art.* 2. nimirum de Indulgentia septem Ecclesiarum Romanæ Civitatis, quæ

sunt

ſunt ſcilicet Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, S. Pauli, S. Mariæ Majoris, S. Laurentii, S. Petri, SS. Fabiani, & Sebaſtiani, & Sanctæ Crucis in Hieruſalem; quam quidem Indulgentiam etiam hic nobis Neapolitanam Urbem incolentibus liberaliſſime impertitus eſt Innocentius XII. pro ſua erga illuſtrem Patriam benevolentia, iis nempe, qui viſitaverint ſeptem hic nobis deſignatas Eccleſias. Cujuſmodi Indulgentiarum præſtantiores tantum recenſet laud. Theologus *num.* 4. eaſque arbitratur minime ſuſpenſas remanere tempore Jubilæi Anni Sancti, quatenus *partiales* ſint; ideoque eodem tempore Jubilæi perdurante poſſe ab incolis noſtræ Urbis lucrifieri, qua parte *partiales* ſunt. Verum hoc poſtremum quod adjungit Viva innititur ſuæ probabili ſententiæ, quam ſequitur, ac probare connititur *loc. cit. art.* 1. nimirum in Jubilæo Anni Sancti generali illa ſuſpenſione Indulgentiarum minime ſuſpendi Indulgentias *partiales*; ſed tantummodo *plenarias*, idque extra Romanam Civitatem. At nobis ex ſuſpenſione Indulgentiarum facta a Benedicto XIV. pro Jubilæo Anni Sancti ſua ætate, h. e. hoc medio ſeculo XVIII. celebrandi, atque etiam ex ejuſdem Declaratione; ſi eadem, aut conſimilis ſuſpenſionis formula adhibeatur, recenſita ſententia omnino improbabilis videtur, imo prorſus rejicienda. Quapropter Indulgentiæ hujuſmodi, quas hic innuimus, tem-

tempore Jubilæi perdurante, tantummodo proderunt, ut ad Defunctorum animas, quæ Deo per caritatem conjunctæ ex hac vita decesserint, juvandas possint per eosdem Incolas nostræ Civitatis transferri per modum suffragii; licet in concessione hæc facultas, ut Defunctis applicentur, expresse non fuerit impertita. Conferenda huc sunt, quæ diximus in *Appendice* adtexta ad §. *II.* hujusce *II. Part. Qu. 9.* ubi de suspensione Indulgentiarum, quæ tempore Jubilæi Anni Sancti fieri adsolet, fusius pertractatum fuit.

Q. III. *Quot, & quinam sint dies* Stationibus *Romanis adsignati?*

R. Dies *Stationibus* destinatos, satis aperte quivis dignoscere poterit tum ex Missali Romano, ubi dies *Stationibus* affixi accurate indicantur; tum etiam ex recensione ac designatione eorumdem, quæ fit per Commissarium nostræ Bullæ in Summario Indulgentiarum, quod tum in Cathedrali nostra Ecclesia Neapolitana, tum alibi omnibus legendum prostat.

Quod vero attinet ad numerum horum dierum *Stationum*, aliqua etiam discrepantia deprehenditur apud Scriptores de hoc argumenti genere edisserentes. Etenim Alphonsus Perez De Lara apud Trullench. *loc. cit. num. 7.* ad centum usque *Stationes* enumerat; Panvinius in libello supra laud. *Stationes* recenset octoginta sex, dies vero *Stationum* octoginta tres; Franciscus Crabera certis tantummodo die-

diebus *Stationes* adfixas adſignat, at longe plures quam Lara enumerat, videlicet 193. Hiſce relatis diverſis ſententiis in hunc modum loquitur laud. Trullench. Conludendum igitur nobis eſt, non ſingulis, ſed certis, ac determinatis diebus fieri Romæ *Stationes*, nimirum in illis diebus, qui in Appendice Bullæ a Commiſſario adſignati ſunt, qui omnes, comprehenſis novem Feſtivitatibus B. Mariæ Virginis, faciunt ſnmmam nonaginta quatuor dierum *Stationum*.

At quidquid demum ſit de numero dierum, qui Romanis *Stationibus* ſunt deſtinati, apud Nos paulo aliter ſeſe res habet. Etenim uti conſtat ex laud. Summario Indulgentiarum auctoritate Eminentiſſimi noſtri Archiepiſcopi edito, nobis tantummodo deſignantur dies *Stationum* octoginta ſeptem, excluſis ſeptem Feſtivitatibus prædictis B. Mariæ Virginis, quibus feſtis diebus nullæ adſignatæ occurrunt *Stationes*: uti patet laudatum Summarium Indulgentiarum percurrenti, atque etiam ex Miſſali Romano. Hic porro numerus concordat cum illo ex Panvinio relato, adjecta Statione Eccl. S. Mariæ Angelorum ad Thermas Diocletiani a Pio IV. conceſſa. Hujuſce profecto Summarii auctoritati cuivis ſtandum erit, niſi velit temere, ac pugnaciter hac in re contendere; etenim illud continet, atque exhibet expreſſam hac de re Sacræ Congregationis Indulgentiarum Declaratio-

tionem Pontificio Oraculo confirmatam, anno nimirum 1777 quæ simul per Commissarium nostræ Bullæ in laudato Summario nobis proponitur, atque indicitur.

Q. IV. *Num perfruentibus privilegio nostræ Bullæ Cruciatæ singulis anni diebus adquiri possint Indulgentiæ plenariæ, veluti* Stationum?

R. Neg. Fuit profecto quidam Auctor, qui Valentiæ scripsit anno *1621.* atque typis mandavit sententiam hic nostræ Responsioni planæ oppositam; nimirum singulis quibuscumque anni diebus posse Fideles perfruentes privilegio Bullæ Cruciatæ, opus injunctum visitationum quinque Altarium juxta Pontificiam mentem complentes consequi Indulgentiam plenariam *Stationum*. In hujusce porro suæ sententiæ patrocinium hujusmodi urget argumentum: Per Bullam Cruciatæ conceduntur, uti patet, Indulgentiæ *Stationum* singulis diebus Stationum Almæ Urbis. Sed in eadem Alma Urbe singulis diebus anni *Stationes* sunt propositæ, eaeque plenariis Indulgentiis affatim ditatæ; uti referente Sorbo *in laud. Compend. Privilegior.* constat; etenim in Ecclesia Principis Apostolorum Romæ inter alia, adsunt septem Altaria, in quibus per totum annum sunt *Stationes* hujusmodi. Ergo cum omnes, & singulæ Indulgentiæ *Stationum*, tam intra, quam extra mœnia Almæ Urbis Romæ promittantur; omnes, & singulæ etiam

etiam plenariæ, singulis quibuscumque anni diebus, adquiri possunt beneficio Bullæ Cruciatæ.

Hanc recensitam sententiam refert quidem Trullenchus *loc. cit.* at illam minime probat; & profecto perquam merito. Nam I. Indulgentiæ *Stationum*, quæ conceduntur, non illæ sunt, quando *Stationes* fiant de uno Altari ad aliud intra eandem Ecclesiam in specialem cultum alicujus Sancti; istæ enim non sunt proprie dictæ *Stationes*, sed illæ, quæ fiunt de una Ecclesia ad aliam, quibus Indulgentiæ adnexæ hic per Bullam Cruciatæ impertiuntur; quæque magis proprie dicuntur Indulgentiæ *Stationum*. Hoc enim insinuari sat luculenter probant verba illa Bullæ: *In singulis diebus Stationum hujus Almæ Urbis*. Atque insuper illa, quæ paulo post consequentur; *Omnes & singulas Indulgentias Stationum, intra, & extra muros Urbis prædictæ*. Quasi diceret, concedi Indulgentias ratione Stationum, quae fiunt ad Ecclesias, tam intra, quàm extra muros Urbis. II. Si singulis quibusque anni diebus Indulgentiae *Stationum*, eaeque *plenariæ* per eos, qui Bullam receperint, possent lucrifieri, nulla occurreret ratio, cur dixisset Pontifex: *in singulis diebus Stationum*; sed satis esset, si dixisset in singulis diebus totius anni; neque etiam esset, cur Pontifex summa cura committeret Commissario, ut nominatim designaret dies *Stationum*,

num, quibus concessae Indulgentiae percipi possent, illis verbis: *additis etiam nominatim, pro singulorum notitia diebus Stationum totius anni, intra, & extra muros hujus Almae Urbis*. Ergo &c.

Haec porro, quae ex Trullencho adduximus, qui de Bulla Cruciatae Hispanica, eique adnexis Indulgentiis edisserebat, multo magis locum habent in nostra Bulla Cruciatae hic nobis Neapoli concessa, quibus & dies *Stationum* per nostrum Commissarium in Summario Indulgentiarum luculentissime; & sigillatim designantur, & adnexae cuilibet diei Indulgentiae percipiendae, per quam accurate recensentur; & Indulgentiae plenariae in diebus *Stationum* perquam rarissime conceduntur, uti mox etiam indicabimus.

Q. V. *Num omnes Indulgentiae* Stationum, *quae Romae habentur plenariae sint?*

Affirmative respondet laud. Trullenchus, qui testimonium Sorbi sequutus docuit, nullum esse diem, quo sive intra, sive extra muros Urbis, visitantibus aliquam Ecclesiam, Indulgentiae plenariae non concedantur; quod & antea innuimus. At vero F. Mendo, uti referunt Salmanticenses *Append.* saepius laudat. *Cap.* 3. *Punct.* 3. *num.* 111. in oppositam abiit sententiam, edocens, non omnes Indulgentias *Stationum*, quae Romae habentur, esse plenarias; sed illas tantummodo esse *plenarias*, quae diebus *Stationum* in Missali Romano designatis sunt affixae; ut

sunt

sunt omnes dies Quadragesimae, ac totius Paschalis Hebdomadae, in diebus S. Marci, Ascensionis &c. qui omnes, additis etiam novem Festivitatibus B. Mariae Virginis (etenim in Summario Indulgentiarum pro Bulla Cruciatae Hispanica composito, etiam laudatae Festivitates accensebantur reliquis Stationum diebus) efficiunt summam nonaginta quatuor dierum. In hisce ergo diebus adierit laud. Mendo Indulgentias *plenarias* adesse Romae pro *Stationibus*; in reliquis vero anni diebus Indulgentias tantummodo *partiales* pro illorum *Stationibus* concedi. Hoc quidem probat laud. Mendo eadem ratione, qua supra usus fuerat Trullench. non omnibus omnino anni diebus, accipientibus Bullam S. Cruciatae facultatem fieri consequendi plenarias Indulgentias; quia nimirum alioquin non apponerentur in Bulla verba illa: *Singulis diebus Stationum*; neque Commissarius ejusdem Bullae de mandato Apostolico, tanta cura confecisset Summarium Indulgentiarum, ubi dies *Stationum* distincte, singillatim, ac diserte enumerantur; cum tribus verbis rem omnem ac demandatam sibi provinciam aptius perfecisset, si diceret, singulis quibuscumque diebus totius anni Romae adesse Indulgentias plenarias *Stationibus* affixas, easque simul Bullam accipientibus, atque praescriptum in illa opus complentibus, consequendas proponi. Ad illud vero, quod ex Sorbo urgebat laud.

Trullenchus, nempe de Indulgentiis plenariis singulis diebus totius anni Romae concessis, respondet laud. Mendo, illas non esse Indulgentias *Stationum*, sive Indulgentias *Stationibus* adnexas; sed *accidentaliter*, & ex alio titulo, in diebus *Stationum*, in Ecclesiis, in quibus est *Statio*, cum Indulgentiis *Stationum* conjungi; quae cum Indulgentiis *Stationum* non sunt confundendae. Salmanticenses porro, pro more ipsis non insueto, utramque sententiam satis probabilem affirmant, neque uni magis favere, aut adstipulari prae alia audent; sed utramque suae probabilitatis pondere libere sinunt gaudere, atque ad praxin eligendam proponunt. At quidquid demum sit de isthac quaestiuncula, quae forte ipsorum magis interest, quam nostra; in illud curam animumque intendere nos omnino oportet, quale ac quantum Indulgentiarum munus per Bullam nostrae Cruciatae ex Apostolica liberalitate nobis promittatur, atque exhibeatur, quaeve singulis *Stationum* diebus Indulgentiae nobis consequendae proponantur. Qua quidem in re, per Commissarium nostrae Bullae piis religiosisque nostrum votis abunde, cumulateque satisfactum itur, edito, atque proposito omnium oculis Summario Indulgentiarum. In eo singulae *Stationum* dies ordine, atque accurate indicantur, & singulis quibusque Indulgentiae affixae modo ampliores, modo tenuiores, pro diversorum dierum

rum

rum celebritate, singillatim, ac diligenter recensentur. Hisce itaque omnibus nobis plane instructis, cetera hujusmodi magnopere curanda minime videntur.

Q. VI. *Nam præter hosce dies* Stationum *designatos in Summario Indulgentiarum, ceteris anni diebus, si compleantur opera præscripta per Bullam Cruciatæ,* Stationariæ *Indulgentiæ fructu potiamur?*

R. Cum ex Trullencho, & Mendo nuper audivimus singulis quibuscumque anni diebus, præter designatos illos dies *Stationum*, Romæ adesse Indulgentias *Stationum* sive *plenarias*, uti contendebat Trullenchus, sive *partiales*, uti Mendo visum fuit ac placuit; hinc exorta fuit proposita quæstio, num ceteris anni diebus, hujusmodi Indulgentiæ, quæ etiam *Stationum* dicuntur, a Fidelibus Bullam recipientibus, præscriptis operibus completis, reipsas obtineantur.

Ad hanc itaque propositam quæstionem affirmative respondent sæpius laudati Salmanticenses *loc. cit. num.* 112. atque hisce rationibus rem omnem conficere se se arbitrantur. I. Etenim per Bullam Cruciatæ conceduntur omnes, & singulæ Indulgentiæ *Stationum tam intra, quam extra muros Urbis*. Sed omnibus quibuscumque diebus totius anni, præter illos enumeratos in Summario Indulgentiarum, & in Missali Romano descriptos, Romæ adsunt Indulgentiæ *Stationum*. Ergo cum Pontifex per Bullam Crnciatæ omnes, & sin-

 gula

gulas concedit, ad has, vel illas nullo modo sese determinando, omnes & singulæ singulis quibuscumque anni diebus Bullae beneficio obtineri poterunt. II. Quia hoc ipsum sat luculenter declarasse visus est Bullae Commissarius, qui post indicatos dies *Stationum*, prout in Missali prostant, adjungit, *& in omnibus diebus totius anni, quibus Romæ Indulgentiæ lucrifiant*. Ergo ex mente Pontificis, ut ipsi ajunt, non solum conceduntur in Bulla Indulgentiae *Stationum*, quae in Summario expresse recensentur; sed etiam omnes aliæ, quae reliquis anni diebus Romae obtineri soleant, ac possint. III. Quia iste est communis sensus, ac praxis omnium Fidelium, tum sapientiorum, tum rudiorum, in quorum pectoribus fervet devotionis affectus; singulis enim quibuscumque diebus totius anni post receptam Bullam, praescriptum visitationum opus in quinque Altaribus juxta Pontificiam concessionem explere satagunt, ut Indulgentiis per Bullam concessis perfruantur. Ergo hoc ipsum argumento esse debet, Pontificem illas revera concessisse.

Opponunt sibi deinde laudati Scriptores Decretum Sacrae Congregationis ab Innocentio XI. approbatum, ac confirmatum *anno* 1678. ubi hujusmodi Declaratio in fine apponitur: *Indulgentias vero Stationum Urbis, quæ a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur inter-*

verdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum *in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat*. Hoc porro Decretum sive Declarationem sententiae per ipsos propositae minime officere contendunt; ipsum siquidem locum habere dicunt, cum Indulgentiae *Stationum absolute* concedantur, atque sine alia adjunctione; secus vero sese res habebit, quando praeter Indulgentias *Stationum*, quae in Missali Romano recensentur, aliae insuper adjungantur in concessione, ut contingit in Bulla Hispanica, in qua Commissarius, post enumeratas Indulgentias *Stationum*, quae in Missali Romano ante Missarum initia apponuntur; omnes alias, quae totius anni decursu Romae habentur, adserit obtineri. Ita Salmanticenses laudati, Mendo, Bardi, aliique.

At quidquid sit de hac Salmanticensium sententia, quae profecto maximopere conducit ad acuendam quorumdam segnitiem, & Fidelium pietatem confovendam: quod porro spectat ad Bullam nostram Cruciatae, absque ulla dubitationis ambage nobis adserendum videtur, memoratam Salmanticensium opinionem minime locum habere posse in concessione facta per nostram Bullam, idque non solum propter Decretum adductum Sacrae Congregationis, quod in re nostra maxime urget; verum etiam propter alias rationes, quae sedulo rem perpendenti haud difficile oc-

currunt. Nam I. nobis *in singulis diebus* Stationum *omnes*, *&* *singulæ* Indulgentiæ Ecclesiis concessæ, ad quas dictæ *Stationes* fixæ exsistunt, conceduntur; dies porro *Stationum* quinam, & quot sint apertissime indicantur, & in Missali Romano, & in nostro Summario Indulgentiarum. Ergo cum ad solos, atque unos *Stationum* dies Indulgentiarum hæc concessio fuerit adligata, temere prorsus, atque per injuriam ad reliquos anni dies hanc ipsam extendendam aliqui contenderent. Neque porro obstat, quod Romæ singulis anni diebus *Stationes* sint; licet enim hoc verum esse concedatur, non tamen de istis sunt intelligenda verba Bullæ, cum istæ *improprie*, uti diximus, vocentur *Stationes*; sed de illis, quæ notantur in Missali, quæque *proprie* dicuntur *Stationes*: quod apertissime comprobat & Summarii nostri auctoritas, & laud. Sacræ Congregationis Decretum. II. Quando Indulgentiæ *Stationum* conceduntur absolute, & sine ulla alia adjunctione, intelligendæ sunt juxta laud. Decretum Sacræ Congregationis, uti constat ex ipsa Salmanticensium confessione. Atqui hujusmodi res sese habet in nostra Bulla, uti patet, neque in Summario nostro aliud præterea per Commissarium adjungitur, uti cuivis videre licet. Ergo &c.

Illud tamen quis contendere jure posset, num præter Indulgentias *Stationum*, & aliæ simul adnexæ iisdem Ecclesiis

Sta-

Stationum in singulis *Stationum* diebus percipi valeant, ac debeant. Nobis enim non conceduntur solum *omnes*, & *singulæ Indulgentiae* Stationum *intra*, *vel extra muros Urbis*, uti fiebat per Bullam Hispanicam, referentibus laud. Salmanticensibus; sed conceduntur *in singulis diebus* Stationum *omnes*, & *singulae Indulgentiae*, *quae Ecclesiis tam intra*, *quam extra mœnia praefatae*, *Urbis*, *ad quas dictae* Stationes *affixae exsistunt*, *concessae fuere*; uti constat ex formula Concessionis in nostra Bulla adhibita. Ergo si iisdem Ecclesiis, præter Indulgentias *Stationum*, aliæ simul quacumque ex caussa, aut quocumque tempore concessæ reperiantur, istæ quoque comprehendi sub formula nostræ Concessionis dicendæ sunt; ac proinde ad utrasque simul *in singulis Stationum diebus*, h. e. tam illas, quæ dicuntur *Stationum*, sive quæ *Stationibus* sunt adnexæ, quam alias eisdem Ecclesis forte alia ex caussa concessas percipiendas, jus nobis dari, ac potestatem fieri. Qua quidem in re, licet pro parte affirmativa adstruenda sat probabilis occurrat ratio, nihil tamen hujusmodi ausim affirmare; ne quid nobis opinantibus hac in re temere excidisse doleamus. Etenim cum in nostro Summario Indulgentiarum, in quo & dies *Stationum*, & Indulgentiæ iisdem adnexæ accurate recensentur, de solis Indulgentiis *Stationum* fiat sermo, istæque tantum consequendæ in dieb[illegible]

tionem Pontificio Oraculo confirmatam, anno nimirum 1777 quæ simul per Commissarium nostræ Bullæ in laudato Summario nobis proponitur, atque indicitur.

Q. IV. *Num perfuentibus privilegio nostræ Bullæ Cruciatæ singulis anni diebus adquiri possint Indulgentiæ plenariæ, veluti* Stationum?

R. Neg. Fuit profecto quidam Auctor, qui Valentiæ scripsit anno 1621. atque typis mandavit sententiam hic nostræ Responsioni planæ oppositam; nimirum singulis quibuscumque anni diebus posse Fideles perfruentes privilegio Bullæ Cruciatæ, opus injunctum visitationum quinque Altarium juxta Pontificiam mentem complentes consequi Indulgentiam plenariam *Stationum*. In hujusce porro suæ sententiæ patrocinium hujusmodi urget argumentum: Per Bullam Cruciatæ conceduntur, uti patet, Indulgentiæ *Stationum* singulis diebus Stationum Almæ Urbis. Sed in eadem Alma Urbe singulis diebus anni *Stationes* sunt propositæ, eaeque plenariis Indulgentiis affatim ditatæ; uti referente Sorbo *in laud. Compend. Privilegior.* constat; etenim in Ecclesia Principis Apostolorum Romæ inter alia, adsunt septem Altaria, in quibus per totum annum sunt *Stationes* hujusmodi. Ergo cum omnes, & singulæ Indulgentiæ *Stationum*, tam intra, quam extra mœnia Almæ Urbis Romæ promittantur; omnes, & singulæ etiam

etiam plenariæ, singulis quibuscumque anni diebus, adquiri possunt beneficio Bullæ Cruciatæ.

Hanc recensitam sententiam refert quidem Trullenchus *loc. cit.* at illam minime probat; & profecto perquam merito. Nam I. Indulgentiæ *Stationum*, quæ conceduntur, non illæ sunt, quando *Stationes* fiant de uno Altari ad aliud intra eandem Ecclesiam in specialem cultum alicujus Sancti; istæ enim non sunt proprie dictæ *Stationes*, sed illæ, quæ fiunt de una Ecclesia ad aliam, quibus Indulgentiæ adnexæ hic per Bullam Cruciatæ impertiuntur; quæque magis proprie dicuntur Indulgentiæ *Stationum*. Hoc enim insinuari sat luculenter probant verba illa Bullæ: *In singulis diebus Stationum hujus Almæ Urbis*. Atque insuper illa, quæ paulo post consequentur; *Omnes & singulas Indulgentias Stationnm, intra, & extra muros Urbis prædictæ*. Quasi diceret, concedi Indulgentias ratione Stationum, quae fiunt ad Ecclesias, tam intra, quam extra muros Urbis. II. Si singulis quibusque anni diebus Indulgentiae *Stationum*, eaeque *plenariæ* per eos, qui Bullam receperint, possent lucrifieri, nulla occurreret ratio, cur dixisset Pontifex: *in singulis diebus Stationum*; sed satis esset, si dixisset in singulis diebus totius anni; neque etiam esset, cur Pontifex summa cura committeret Commissario, ut nominatim designaret dies *Stationum*,

num, quibus concessæ Indulgentiae percipi possent, illis verbis: *additis etiam nominatim, pro singulorum notitia diebus Stationum totius anni, intra, & extra muros hujus Almæ Urbis.* Ergo &c.

Hæc porro, quae ex Trallencho adduximus, qui de Bulla Cruciatae Hispanica, eique adnexis Indulgentiis edisserebat, multo magis locum habent in nostra Bulla Cruciatæ hic nobis Neapoli concessa, quibus & dies *Stationum* per nostrum Commissarium in Summario Indulgentiarum luculentissime; & sigillatim designantur, & adnexæ cuilibet diei Indulgentiæ percipiendæ, per quam accurate recensentur; & Indulgentiæ plenariæ in diebus *Stationum* perquam rarissime conceduntur, uti mox etiam indicabimus.

Q. V. *Num omnes Indulgentiae Stationum, quæ Romæ habentur plenariæ sint?*

Affirmative respondet laud. Trullenchus, qui testimonium Sorbi sequutus docuit, nullum esse diem, quo sive intra, sive extra muros Urbis, visitantibus aliquam Ecclesiam, Indulgentiae plenariae non concedantur; quod & antea innuimus. At vero F. Mendo, uti referunt Salmanticenses *Append.* saepius laudat. *Cap.* 3. *Punct.* 3. *num.* 111. in oppositam abiit sententiam, edocens, non omnes Indulgentias *Stationum*, quae Romae habentur, esse plenarias; sed illas tantummodo esse *plenarias*, quae diebus *Stationum* in Missali Romano designatis sunt affixae; uti

sunt

funt omnes dies Quadragefimae, ac totius Pafchalis Hebdomadae, in diebus S. Marci, Afcenfionis &c. qui omnes, additis etiam novem Feftivitatibus B. Mariae Virginis (etenim in Summario Indulgentiarum pro Bulla Cruciatae Hifpanica compofito, etiam laudatae Feftivitates accenfebantur reliquis Stationum diebus) efficiunt fummam nonaginta quatuor dierum. In hifce ergo diebus adierit laud. Mendo Indulgentias *plenarias* adeffe Romae pro *Stationibus*; in reliquis vero anni diebus Indulgentias tantummodo *partiales* pro illorum *Stationibus* concedi. Hoc quidem probat laud. Mendo eadem ratione, qua fupra ufus fuerat Trullench. non omnibus omnino anni diebus, accipientibus Bullam S. Cruciatae facultatem fieri confequendi plenarias Indulgentias; quia nimirum alioquin non apponerentur in Bulla verba illa: *Singulis diebus Stationum*; neque Commiffarius ejufdem Bullae de mandato Apoftolico, tanta cura confeciffet Summarium Indulgentiarum, ubi dies *Stationum* diftincte, fingillatim, ac diferte enumerantur; cum tribus verbis rem omnem ac demandatam fibi provinciam aptius perfeciffet, fi diceret, fingulis quibufcumque diebus totius anni Romae adeffe Indulgentias plenarias *Stationibus* affixas, eafque fimul Bullam accipientibus, atque praefcriptum in illa opus complentibus, confequendas proponi. Ad illud vero, quod ex Sorbo urgebat laud.

Trullenchus, nempe de Indulgentiis plenariis singulis diebus totius anni Romæ concessis, respondet laudato Mendo, illas non esse Indulgentias *Stationum*, sive Indulgentias *Stationibus* adnexas; sed *accidentaliter*, & ex alio titulo, in diebus *Stationum*, in Ecclesiis, in quibus est *Statio*, cum Indulgentiis *Stationum* conjungi; quæ cum Indulgentiis *Stationum* non sunt confundendæ. Salmanticenses porro, pro more ipsis non insueto, utramque sententiam satis probabilem affirmant, neque uni magis favere, aut adstipulari præ alia audent; sed utramque suæ probabilitatis pondere libere sinunt gaudere, atque ad praxin eligendam proponunt.

At quidquid denum sit de isthac quæstiuncula, quæ forte ipsorum magis interest, quam nostra; in illud curam animumque intendere nos omnino oportet, quale ac quantum Indulgentiarum munus per Bullam nostræ Cruciatae ex Apostolica liberalitate nobis promittatur, atque exhibeatur, quæve singulis *Stationum* diebus Indulgentiæ nobis consequendæ proponantur. Qua quidem in re, per Commissarium nostræ Bullæ piis religiosisque nostrum votis abunde, cumulateque satisfactum itur, edito, atque proposito omnium oculis Summario Indulgentiarum. In eo singulæ *Stationum* dies ordine, atque accurate indicantur, & singulis quibusque Indulgentiae affixæ modo ampliores, modo tenuiores, pro diversorum dierum

rum celebritate, singillatim, ac diligenter recenseantur. Hisce itaque omnibus nobis plane instructis, cetera hujusmodi magnopere curanda minime videntur.

Q. VI. *Nam præter hosce dies* Stationum *designatos in Summario Indulgentiarum, ceteris anni diebus, si compleantur opera præscripta per Bullam Cruciatæ,* Stationariæ *Indulgentiæ fructu potiamur?*

R. Cum ex Trullencho, & Mendo nuper audivimus singulis quibuscumque anni diebus, præter designatos illos dies *Stationum*, Romæ adesse Indulgentias *Stationum* sive *plenarias*, uti contendebat Trullenchus, sive *partiales*, uti Mendo visum fuit ac placuit; hinc exorta fuit proposita quæstio, num ceteris anni diebus, hujusmodi Indulgentiæ, quæ etiam *Stationum* dicuntur, a Fidelibus Bullam recipientibus, præscriptis operibus completis, reipsas obtineantur.

Ad hanc itaque propositam quæstionem affirmative respondent sæpius laudati Salmanticenses *loc. cit. num.* 112. atque hisce rationibus rem omnem conficere se se arbitrantur. I. Etenim per Bullam Cruciatæ conceduntur omnes, & singulæ Indulgentiæ *Stationum tam intra, quam extra muros Urbis*. Sed omnibus quibuscumque diebus totius anni, præter illos enumeratos in Summario Indulgentiarum, & in Missali Romano descriptos, Romæ adsunt Indulgentiæ *Stationum*. Ergo cum Pontifex per Bullam Cruciatæ omnes, & sin-

gulas concedit, ad has, vel illas nullo modo sese determinando, omnes & singulæ singulis quibuscumque anni diebus Bullae beneficio obtineri poterunt. II. Quia hoc ipsum sat luculenter declarasse visus est Bullae Commissarius, qui post indicatos dies *Stationum*, prout in Missali prostant, adjungit, *& in omnibus diebus totius anni, quibus Romæ Indulgentiæ lucrifiant*. Ergo ex mente Pontificis, ut ipsi ajunt, non solum conceduntur in Bulla Indulgentiae *Stationum*, quae in Summario expresse recensentur; sed etiam omnes aliæ, quae reliquis anni diebus Romae obtineri soleant, ac possint. III. Quia iste est communis sensus, ac praxis omnium Fidelium, tum sapientiorum, tum rudiorum, in quorum pectoribus fervet devotionis affectus; singulis enim quibuscumque diebus totius anni post receptam Bullam, praescriptum visitationum opus in quinque Altaribus juxta Pontificiam concessionem explere satagunt, ut Indulgentiis per Bullam concessis perfruantur. Ergo hoc ipsum argumento esse debet, Pontificem illas revera concessisse.

Opponunt sibi deinde laudati Scriptores Decretum Sacrae Congregationis ab Innocentio XI. approbatum, ac confirmatum *anno* 1678. ubi hujusmodi Declaratio in fine apponitur: *Indulgentias vero* Stationum *Urbis, quæ a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur inter-*

verdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum *in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat*. Hoc porro Decretum sive Declarationem sententiae per ipsos propositae minime officere contendunt; ipsum siquidem locum habere dicunt, cum Indulgentiae *Stationum absolute* concedantur, atque sine alia adjunctione; secus vero sese res habebit, quando praeter Indulgentias *Stationum*, quae in Missali Romano recensentur, aliae insuper adjungantur in concessione, ut contingit in Bulla Hispanica, in qua Commissarius, post enumeratas Indulgentias *Stationum*, quae in Missali Romano ante Missarum initia apponuntur; omnes alias, quae totius anni decursu Romae habentur, adserit obtineri. Ita Salmanticenses laudati, Mendo, Bardi, aliique.

At quidquid sit de hac Salmanticensium sententia, quae profecto maximopere conducit ad acuendam quorumdam segnitiem, & Fidelium pietatem confovendam: quod porro spectat ad Bullam nostram Cruciatae, absque ulla dubitationis ambage nobis adserendum videtur, memoratam Salmanticensium opinionem minime locum habere posse in concessione facta per nostram Bullam, idque non solum propter Decretum adductum Sacrae Congregationis, quod in re nostra maxime urget; verum etiam propter alias rationes, quae sedulo rem perpendenti haud difficile oc-

currunt. Nam I. nobis *in singulis diebus* Stationum *omnes*, & *singulæ* Indulgentiæ Ecclesiis concessæ, ad quas dictæ *Stationes* fixæ exsistunt, conceduntur; dies porro *Stationum* quinam, & quot sint apertissime indicantur, & in Missali Romano, & in nostro Summario Indulgentiarum. Ergo cum ad solos, atque unos *Stationum* dies Indulgentiarum hæc concessio fuerit adligata, temere prorsus, atque per injuriam ad reliquos anni dies hanc ipsam extendendam aliqui contenderent. Neque porro obstat, quod Romæ singulis anni diebus *Stationes* sint; licet enim hoc verum esse concedatur, non tamen de istis sunt intelligenda verba Bullæ, cum istæ *improprie*, uti diximus, vocentur *Stationes*; sed de illis, quæ notantur in Missali, quæque *proprie* dicuntur *Stationes*: quod apertissime comprobat & Summarii nostri auctoritas, & laud. Sacræ Congregationis Decretum. II. Quando Indulgentiæ *Stationum* conceduntur absolute, & sine ulla alia adjunctione, intelligendæ sunt juxta laud. Decretum Sacræ Congregationis, uti constat ex ipsa Salmanticensium confessione. Atqui hujusmodi res sese habet in nostra Bulla, uti patet, neque in Summario nostro aliud præterea per Commissarium adjungitur, uti cuivis videre licet. Ergo &c.

Illud tamen quis contendere jure posset, num præter Indulgentias *Stationum*, & aliæ simul adnexæ iisdem Ecclesiis *Sta-*

Stationum in singulis *Stationum* diebus percipi valeant, ac debeant. Nobis enim non conceduntur solum *omnes*, & *singulæ Indulgentiae* Stationum *intra*, *vel extra muros Urbis*, uti fiebat per Bullam Hispanicam, referentibus laud. Salmanticensibus; sed conceduntur *in singulis diebus* Stationum *omnes*, & *singulae Indulgentiae*, *quae Ecclesiis tam intra*, *quam extra mœnia praefatae*, *Urbis*, *ad quas dictae* Stationes *affixae exsistunt*, *concessae fuere*; uti constat ex formula Concessionis in nostra Bulla adhibita. Ergo si iisdem Ecclesiis, præter Indulgentias *Stationum*, aliæ simul quacumque ex caussa, aut quocumque tempore concessæ reperiantur, istæ quoque comprehendi sub formula nostræ Concessionis dicendæ sunt; ac proinde ad utrasque simul *in singulis Stationum diebus*, h. e. tam illas, quæ dicuntur *Stationum*, sive quæ *Stationibus* sunt adnexæ, quam alias eisdem Ecclesis forte alia ex caussa concessas percipiendas, jus nobis dari, ac potestatem fieri. Qua quidem in re, licet pro parte affirmativa adstruenda sat probabilis occurrat ratio, nihil tamen hujusmodi ausim affirmare; ne quid nobis opinantibus hac in re temere excidisse doleamus. Etenim cum in nostro Summario Indulgentiarum, in quo & dies *Stationum*, & Indulgentiæ iisdem adnexæ accurate recensentur, de solis Indulgentiis *Stationum* fiat sermo, istæque tantum consequendæ in dieb[us]

Stationum nobis proponantur, atque exhibeantur, de aliis vero omnino taceatur; eamdem & nos agendi rationem sequi non solum maxime decet, verum etiam omnino oportet.

Q. VII. *Num Indulgentiae* Stationum, *quae per Bullam Cruciatae concedi consuevere, plenariae sint dicendae, an partiales?*

R. Salmanticenses, Trullenchus supra laudati, aliique non pauci de Bulla Cruciatæ Hispanica loquentes plenarias esse dicendas hujusmodi Indulgentias contendunt, non solum partiales. Etenim I. per Bullam Cruciatæ concedi solent, quod etiam fit per Bullam Hispanicam, uti jam diximus, *omnes, & singulae Indulgentiae Stationum*. Ergo cum nulla omnino excluditur in hujusmodi universali locutione, dicendum erit omnes simul comprehendi, atque concedi; ac proinde etiam *plenarias*, dummodo revera Indulgentiæ *Stationum* sint. II. Quia Ecclesias, aut Altaria visitantibus destinatis diebus, scilicet *Stationum*, juxta mentem, ac præscriptum Pontificium, eædem prorsus Indulgentiæ promittuntur, ac si *personaliter* Romanas Ecclesias, quibus affixæ sunt *Stationes*, visitassent. At *personaliter* visitantes prædictas Romanas Ecclesias præscriptis diebus *Stationum* plenariæ Indulgentiae fructus recipiunt. Ergo recipientes Bullam, & Ecclesias, aut Altaria praedicto modo visitantes eadem ple-

plenaria Indulgentia perfruantur necesse est. Neque porro suæ assertioni obesse ajunt Regulam illam, nimirum quod Indulgentia plenaria nunquam intelligenda sit concessa, nisi sit expresse nominata; sufficienter enim, ut ipsi reponunt, illa exprimitur, atque indigitatur per adductam concessionis formulam, qua *omnes, & singulae* Indulgentiae *Stationum*, ac proinde etiam plenariae, conceduntur. Atque inde etiam concludunt omnibus diebus *Stationum*, illi saltem, qui in Missali Romano, & in Summario designantur, Indulgentias *Stationum*, quæ recipientibus Bullam, ac opus in illa præscriptum complentibus promittuntur, esse plenarias.

Q. VIII. *Num hoc idem nobis dicendum sit de nostra Bulla Neapolitano Regno concessa?*

R. Neg. Etenim omnes fere Indulgengentiæ, quæ designatis *Stationum* diebus nobis promittuntur, atque exhibentur, sunt tantummodo partiales, uti quivis per se dignoscere facillime poterit, si laudatum Summarium nostrum Indulgentiarum intueatur, ac percurrat; in cujus Summarii auctoritate hac in re conquiescendum neminem omnium addubitare posse arbitramur; siquidem & Pontificium oraculum per Decretum Sacræ Congregationis ab ipso confirmatum in eo nobis innotescit, & Commissarii auctoritas, qui illud nobis proponi jubet, mirifice elucet;

adeo ut nihil reliqui supereſſe videatur, quod deſiderari poſſet ad hanc rem confirmandam.

Dixi, *Omnes fere Indulgentiæ &c. partiales* ſunt. Etenim excipiendi nobis erunt pauciſſimi quidam, & ſolemniores dies, quibus & Indulgentiæ plenariæ fructus nobis colligendi proponuntur; nempe Dies Natalitia Chriſti Domini, Feria Quinta *in Cœna Domini*; Paſchalis Dies Reſurrectionis Dominicæ, ac demum Feſtum Aſcenſionis. Reliquis vero omnibus *Stationum* diebus non ſunt niſi *partiales*, uti patet.

PARS

PARS III.

§. UNICUS.

De abstinentia ab ovis, & lacticiniis in Ecclesiasticis Jejuniis præscripta, deque Indulto eadem comedendi per Bullam nostræ Cruciatæ concesso; ubi & arrepta occasione expediuntur nonnullae Quaestiunculae circa eos, quibuscum dispensatum est ad carnes comedendas diebus Quadragesimalibus.

ROmanæ communionis perduelles Hæretici, de quibus prædixisse videtur Gentium Apostolus: *Inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, *Philip.* 3. *v.* 19. pro sua temeritate, atque insigni impudentia, nihil prorsus intentatum reliquerunt, quo Ecclesiastica jejunia, animarum delicias, & corporum medicinas, a finibus Eccle-

sia-

siasticæ ditionis penitus eliminarent. Etenim, ut cetera taceantur, quæ Ecclesiastica jejunia allatrantes calumniando effutierunt; illud prorsus ferendum non videtur, quod nostra jejunia tum ad Ethnicas, atque Judaicas superstiones, tum etiam ad Montanistica referant, atque ex hisce lutulentis fontibus ad nos promanasse contendant. Sic olim, ajunt illi, Ethnici Apim, Isidem, & Magnam Matrem certorum eduliorum exceptione colère solebant. Sic etiam Judæi abolitis Legalibus, ac Propheticis vetustatibus mordicus adhærentes, quorumdam ciborum abstinentiam consectantur. Sic demum Montanistæ jejunia propria custodiebant in dies certas, ac sitam lege constitutas, atque a suo Paracleto mandata, & constituta jactabant, quæ per Ecclesiæ auctoritatem, & Patrum traditionem damnata fuere. Lege Natal. Alexandrum *Histor. Ecclesiast. Secul. II. Dissert. IV. De Jejun. Montanistar. & Catholicor. art. 1. & 2.*

Verum, ut isthæc delirantium ingeniorum somnia penitus profligentur, atque uno veluti ictu disjiciantur, exscindantur, in nihilum redigantur, satis erit ab oculos ponere Divinam, sive Apostolicam nostrorum Jejuniorum institutionem, atque originem; quo quidem patefacto, Hæreticorum, ac præserim impii Dallæi petulantia, atque impudentia satis abunde explodetur; & simul aditus nobis patebit

ad

ad hanc tractatio nem, in qua de Indulto comedendi Ova, & Lacticinia diebus jejuniorum edifferen dum nobis est.

Etenim jejunia ab Ecclesia præscripta, atque inter Catholicos communiter observata, non alium agnoscunt auctorem præterquam ipsum Spiritum S. cujus magisterio edocta Apostolica auctoritas eadem statuit, atque omnibus servanda indixit. Sive enim de Quadragesimali jejunio loqui velimus, quod etiam *antipascale* vocatur, illud ad Apostolicas traditiones, sive præcepta esse referendum, non solum communis Catholicorum sententia nos edocet, verum etiam ipsi Romanæ communionis hostes adversus Dallæum manifestissimis argumentis conficiunt. Lege Bellarminum *De Bonis Operib. in particular. Lib. II. Cap.* 14. Natalem Alexand. *Histor. Ecclesiastic. Secul. II. Dissert.* 4. *art.* 3. Benedictum XIV. *Notif.* 15. Concinam *in Præfat. ad Disciplinam veterem & novam Roman. Eccl.* circa Quadragesimale jejunium.

Hinc in primis Ecclesiasticis Conciliis de eodem Quadragesimali jejunio mentio occurrit, veluti de re omnium notissima, ac satis pervulgata, & jam multo ante instituta. Vide Concil. Nicaen. *Can.* 5. & Laodicen. *Can.* 49. 45. & 50.

Quapropter quam meritissime eruditissimus Pontifex Bened. XIV. in Bull. *Non ambigimus* de Quadragesimali jejunio, de quo multa ab eodem sapientissime sanci-

ta occurrunt, ita proloquitur: *Quadragesimale jejunium, quod olim in lege, & Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini N. J. C. exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a sacris Canonibus utique praescriptum, & ab universali Ecclesia ab ipso sui primordio retentum, & observatum est.*

Quod vero spectat ad jejunia *Quatuor temporum* nuncupata, quia quater totius anni decursu servanda indicuntur, eadem etiam ab Apostolis instituta fuisse longe probabilius videtur juxta regulam ab Augustino sapientissime traditam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. De Baptism. contra Donat. Lib. IV. Cap.* 24. Vide Bellarm. *loc. cit. Cap.* 19. & Bened. XIV. *Notificat.* 4. Baronium; Thomassinum, Concinam Opusculo laud. *Disp.* 2. *n.* 6.

Demum quod spectat ad illa jejunia, quæ præscribi solent, cum insigniora Sanctorum festa ad nos recurrunt, aut cum sanctiora Religionis nostræ mysteria recoluntur; hæc ipsa ab ipsis prope Apostolicis temporibus esse repetenda, nemo omnium subdubitare poterit. Fideles siquidem Christi Domini exemplo edocti, qui erat *pernoctans in oratione Dei*, *Luc. VIII.* hujusmodi diebus, qui præcederent solemnioribus Festivitatibus, ad Martyrum Sepulcra nocte vigilantes ferventius, atque

atque instantius orabant, atque sollicita, ac diuturna prece ad Festa abundantiori cum pietatis fructu concelebranda sese parabant. Morem hunc Apostolicis temporibus prope coævum diximus; cujus sane rei luculentissimi testes occurrunt vetustissimi Patres, & Concilia, uti D. Basilius *in Psalm.* 114. apud Gonzalez *Comment. in Cap.* Ex parte 1. *De Observantia jejunior.* & Concilium Eliberitanum habitum anno 305. Hisce etiam diebus, cum ad vigilias agendas sero conveniendum erat, Fideles jejunabant; etenim ante omnem hujusmodi vigiliam præcedebat Statio, & jejunium. Atque hinc porro factum est, ut propter hominum improbitates, abrogato more hujusmodi vigiliarum, quod Viennensis Concilii anno 1311. auctoritas præstitit, sola jejunia servanda hisce diebus remansissent, qui dies ducta denominatione ex antiquo vigiliarum more, *Vigiliæ* vulgò vocitantur. Atque hæc est origo jejuniorum, quæ dicuntur Vigiliarum. Lege Bellarm. *loc. cit. Cap.* 22. Concinam laud. *Cap.* 2.

De jejuniis vero Feriæ quartæ, & sextæ, & Sabbati, quæ antiquitus etiam religiosissime servabantur, si quæ quidquam sciendi cupido aliquem incessat, consulat laud. Bellarm. *loc. cit. Cap.* 17. *&* 18. & Natal. Alexand. *loc. cit. art.* 5. *&* 6. Diutius enim nos hisce immorari, ne extra chorum saltasse videamur, nec libet, nec licet.

de

Ad jejeunii porro Ecclesiastici, sive Quadragesimali tempore, sive aliis per annum diebus praescripti, rationem tria haec concurrant necesse est. 1. Abstinentia a certis cibis. 2. Unica comestio. 3. Hora designata, qua semel comedere liceret. Vide Gonzalez *in Cap.* 1. *&* 2. *De Observant. j junior.*

Diximus I. *Abstinentiam a certis cibis*, praesertim a carnibus ad rationem jejunii Ecclesiastici pertinere, ejusque partem semper constituisse, & diebus esurialibus apud Christianos publica lege sancitam fuisse, fuse probant laudatissimi Scriptores Natalis Alexander *loc. cit. art.* 2. & Bellarminus *Cap.* 6. Cum enim ad carnis concupiscentias edomandas, & corpus in servitutem redigendum, quo spectant instituta jejunia, non posset Ecclesiastica lex ferri circa quantitatem cibi sumendam, aut circa lautitias, & condimenta ciborum; haec enim infinitis propemodum modis variantur, ut quod uni sit multum, alteri sit parum, & quod uni sit lautum, alteri non item; necessario constituenda fuit lex circa abstinentiam a certis ciborum generibus, ac praesertim a carnibus, *quae plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, & sic ex eorum comestione plus superfluit, ut vertatur in materiam seminis, cujus multiplicatio est maximum incitamentum luxuriae*. D. Thomas 2. 2. *Qu.* 147. *art.* 8. in corpore.

Hinc

Hinc colligendum occurrit, quam inepte quidam inter recentiores Theologos, quibus adstipulari non veretur Aegidius Trullench. *Exposit. Bull. S. Cruciat. Lib. I.* §. 4. *Dub.* 2. *num.* 5 opinati fuere, illos nimirum, quibuscum dispensatum sit ad carnes comedendas Quadragesimalibus, aut aliis diebus jejunii, posse cœnare, aut pluries in die comedere; cum sint a lege jejunii omnino soluti. Quod quidem ineptissime dici, satis per se patet; neque enim integra jejunii substantia in sola abstinentia a carnibus reposita est; aut jejunium, ut ipsi somniabant, est quoddam compositum physicum, cui si unam partem ad ejus substantiam pertinentem detraxeris, reliquum omne evanescere, atque in nihilum abire necessum sit. Præcepta siquidem cum continent materiam, aut partes inter se divisibiles, uti est hac in re jejunii præceptum, si quis ab una ejus parte licet substantiali, justa aliqua caussa intercurrente, excusetur, aut per justam, & rationabilem dispensationem inde eximatur, ab alia ejusdem præcepti parte, quæ divisim servari potest, non idcirco solutus erit censendus: *Utile enim per inutile vitiari non debet. Reg.* 37. *Juris in* 6. quando utile ab inutili separari potest. Adeantur Paulus Layman, qui *in Tractat. de Legib. Cap.* 19. *num.* 5. perdocte hoc doctrinæ caput explicat, & *in De jejun. Ecclesiast. Tract.* 8. *Lib. IV. Cap.* 3. *num.* 8. & Salmanticenses *Append.*

sæ-

sæpius laud. *De Bull. S. Cruciat. Cap. 5. Punct.* 1. *num.* 18.

Quapropter perquam merito nostris Synodalibus Constitutionibus sancitum occurrit, Ecclesiastici jejunii sanctitatem ab iis quoque servandam, quibus valetudinis caussa esus carnium in Quadragesima, aliisque esurialibus feriis indulgetur Synod. Fignatel. *Part. I. Cap.* 9. *num.* 4. Et Benedictus XIV. ad Petri Cathedram evectus Apostolicis editis Constitutionibus sapientissime decrevit, hujusmodi hominibus, quibuscum ad carnes comedendas per id tempus dispensatum esset, unicam comestionem necessario servandam. Lege Constit. *Non ambigimus*, & Constit. *In Suprema*, & *Rescript.* ejusdem Pontificis *ad Archiepisc. Compostell. Resp. ad Postulatum I.* & Concinam *Commentar. in idem Rescript.*

Diximus II. ad rationem jejunii Ecclesiastici pertinere *unicam in die comestionem*. Etenim qui jejunium dicit, abstinentiam designat ab omni cibo, & potu; ita ut tunc jejunasse dicamur integrum diem, cum ipsum diem transmiserimus nihil penitus comedentes. Sic olim in lege veteri jejunia servabantur ab exortu Solis usque ad illius occasum, quod diei naturalis spatium conficiebat, ab omni cibo abstinendo. Sic etiam jejunia *Expiationum* incipiebant ab hora occidentis Solis, ac in vesperam insequentis diei, quod spatium diei legalis conficiebat, desinebant.

bant. Ita etiam & nostra Ecclesiastica jejunia a puncto medio noctis initia desumunt decurrendo usque ad mediam noctem diei insequentis. Nullum porro fuit unquam tempus, quo unicam comestionem ad jejunii Ecclesiastici rationem non pertinere, ejusque partem essentialem non constituere creditum fuerit; licet circa horam sumendæ unicæ refectionis in Ecclesia variatum fuerit, ut omnibus plane compertum; Jejunium enim constitutum novimus ad naturam edomandam, non penitus evertendam, qui finis unica comestione obtinetur. Lege D. Thomam 2. 2. *Qu.* 147. *art.* 6. Atque hinc factum est, ut superioribus ætatibus, cum mos inductus esset, ut præter unicam circa meridiem refectionem receptam, cœnula etiam nocte uti liceret, *Collatiunculæ* nomen usurpatum voluerint Veteres, ne pluries coenasse viderentur: quod diebus jejuniorum decurrentibus vel cogitasse tantum omnino nefas. Vide Gonzalez *Comm. in laud. Cap.* 1. *De Observat. jejunior.* Concinam *in Tractat. De Disciplina Roman. Eccl. circa jejunium Cap.* 5. §. 3. Bellarminum *loc. cit. Cap.* 2.

Unde colligere quivis poterit, illum qui Ecclesiasticum violet jejunium pluries comedendo, non semel tantum peccaturum adversus Ecclesiæ præceptum; sed pluries, juxta numerum comestionum, lethalis peccati reatum incursurum. 1. Quia Ecclesia jejunandi præcepto imposito,

sito, non secundam tantummodo comestionem vetuit, quatenus per illam violetur forma constitutiva jejunii; sed quamvis aliam præter unicam. 2. Qui semel, atque iterum præceptum Ecclesiæ violaverit gravem secum ferens obligationem, semel etiam atque iterum lethalis peccati laqueo sese obstringit, uti patet. Atqui hujusmodi sese res habet in eo, qui obligatione jejunii perurgente pluries comederit. Ergo &c. 3. Quia preceptum jejunii licet secundum verborum formam videatur *affirmativum*, reapse vero triplex præceptum continet *negativum*, scilicet: non comedas cibos vetitos; plures refectiones non sumito; ante horam præscriptam ad refectionem sumendam non accedas. Ergo quemadmodum pluries comedendo cibos vetitos, pluries peccabitur contra præceptum *negativum* non manducandi carnes, quod nullus Theologorum inficias ire ausus est, teste Navarra *in suo Manual. Cap.* 21. *num.* 14. ita etiam pluries comedendo, etiamsi de licitis eduliis agatur, pluries peccari, si non omnino certum, saltem longe probabilius videtur.

Nec porro Theologi oppositum sentientes quidquam proficient opponendo, quod secunda comestione peracta, atque inde destructa forma jejunii, nihil amplius superfit jejunii, aut obligationis ad illud servandum, ut proinde in ceteris comestionibus post secundam, contra præceptum je-

jejunii iterum ac tertio peccari non possit.

R. Totum hoc quod ipsi opponunt, pertinere videtur ad commentum illud a nuperis Theologis excogitatum de physico composito constituente jejunii substantiam, unde parte aliqua substantiali detracta, reliquum omne perire, atque evanescere comminiscebantur. Sed perridicula isthæc inventa, ad disciplinæ moralis perniciem procusa, longe a nobis facessant. Non enim metaphysicis speculationibus, sed moraliter æstimando res isthæc erit transigenda. Quapropter qui per secundam comestionem jejunium jam violasse sese noverit, a ceteris porro abstineat necesse est, ut imperfecto saltem modo illud servet, quod nunc potest; quod ni faciet, novi peccati macula sese inquinatum sentiet.

Diximus III. ad jejunii rationem etiam pertinere *horam designatam*, qua solvendum est jejunium, & ante quam ad comedendum accedere non licebit. Scilicet, *ut jejunans aliquam afflictionem sentiat pro culpæ satisfactione, conveniens hora comedendi taxatur jejunantibus*. D. Thomas 2. 2. *Qu.* 147. *art.* 7. Circa vero hujusmodi horam designatam ad jejunia solvenda volventibus annis variatum fuisse in Ecclesia, jam innuimus, & sensim deventum est ad hodiernam consuetudinem solvendi jejunia circa meridiem; quæ quidem non prius introduci cœpit, quam ca-

cadente seculo decimoquarto, uti adnotarunt Ecclesiasticarum antiquitatum scrutatores. Etenim prioribus Ecclesiæ seculis ad decimum tertium usque, jejunia Quadragesimalis observantiæ non nisi ad Vesperas solvi poterant, atque ad cœnam Fideles accumbere: in reliquis vero jejuniis per annum decurrentibus ad Nonam, sive tertiam horam post meridiem illa solvendi licentia, fasque fuit Fidelibus. Seculo porro decimotertio ineunte, vetus, & canonicus jejunandi mos immutatus est, & hora nona solvi cœptum est, etiam in Quadragesima, jejunium. Vigebat etiam ætate S. Thomæ isthæc consuetudo, uti videre est in 2. 2. *Qu.* 147. *art.* 7. Ac tandem seculo decimo quarto exeunte, & decimo quinto inchoante, hominibus majorem ad relaxationem pronis, ad meridiem jejunium solvi cœpit mutata cœna in prandium; atque hinc serotinæ collatiunculæ introducendæ aditus patere cœpit. Legi possunt hac de re Natalis Alexander laud. *Dissert.* 4. *art.* 7. & Concina *De Disciplin. Roman. Eccl. circa jejunium Cap.* 5. §. 3. qui caussas, atque initia harum immutationum accurate recenset.

Hinc sane duo nobis, præeunte unanimi Theologorum consensu, deducenda occurrunt. 1. *Ad jejunium*, uti docet D. Thomas *loc. cit. requiritur hora determinata, non secundum subtilem æstimationem, sed secundum grossam æstimationem;*

nem; atque idcirco satis nobis erit ad præceptum jejunii servandum, si hora meridiana præter propter ad refectionem sumendam accumbamus. 2. Horam istam unicæ comestionis jejunantibus præscriptam, si nulla justa caussa intercedat, absque peccati reatu prævenire non posse, quod etiam mortiferum erit, si notabilis in die jejunii fiat prandii anticipatio. Atque hæc etiam communis est Theologorum tum veterum, tum recentiorum doctrina, nedum Sanctorum Patrum; si paucos tantum excipias laxioris, ac benignioris Ethices patrocinatores, qui suis speculationibus plus nimio indulgentes, certiora, atque exploratiora quædam moralis doctrinæ capita in dubium revocare obnituntur. Quod quidem pluribus evincit laudatissimus Concina, *Comment. Theologico Moral. In Rescript. Pontific. Bened. XIV. ad Archiep. Compostell. Cap. 5. Post. 3. §. 1. & 2.* & consentit etiam Illustrissimus Ligorius contrariam sententiam, cui olim adhæserat, apertissime rejiciens. *Lib. III. Tract. IV. Cap. 2. De Praecept. Eccl. Dub. 1. num.* 1016. Et re quidem vera, qui jejunium solverit, aut nullatenus jejunasse credendus est, procul dubio graviter peccabit. Hujusmodi autem sunt, qui horam præscriptam ad solvendum jejunium *notabiliter* anticipare non dubitant, uti constat ex *Can.* Solent apud Gratian. *De Consecrat. Dist.* 1. atque ex D. Thoma in *IV. Distinct.* 15. *Qu.* 3. *art.* 4.

Quæstiunc. 3. Ergo &c. Ad hæc: Hora jejunantibus præscripta ad solvenda jejunia, sive pertineat ad substantiam jejunii, sive sit tantummodo conditio, aut circumstantia, est graviter ab Ecclesia præcepta; quod non inficiatur ipse Laymann. *De Observat. jejun. Cap.* 1. *num.* 11. Ergo qui illam non servat, *notabiliter* anticipando, gravis peccati laqueo sese obstringat necesse est. Huic porro nostræ, sive potius communi Theologorum sententiæ maximum auctoritatis pondus accedit ex oraculo Pontificio. Benedictus enim XIV. qui interrogatus ab Archiepiscopo Compostellano, num iis, quibuscum dispensatum esset ad carnes comedendas, sive Quadragesimali tempore, sive aliis diebus jejunio dicatis, servanda esset isthæc hora jejunantibus præscripta; respondet laudatissimus Pontifex in hunc modum: *Edicimus iis esse observandam*. Qua ex loquendi formula, aliisque circumstantiis expensis gravem obligationem insinuari, atque indici indubium videtur. Lege laud. Concinam *loc. cit.* Atque hinc patet, quo loco habenda sit opinio Tamburrini, quam dictatorio more pronuntiat his verbis: *Ajo insuper, consequenter non esse mortale horam prædictam anticipare, etiamsi summo mane comedatur*. Vide Sanchez *in Decalog. Lib. IV. Cap.* 11. *num.* 51. qui hoc ipsum docet de jejuniis, quæ solvenda essent vel ratione voti, aut ex præcepto Confessarii, aut ratione Jubilæi.

Hæc

Hæc porro, data occasione, leviter attigisse, iniquo animo non ferent, uti arbitror, eruditi lectores; agitur enim de re ad praxim maximopere conducente, & in quam perquam frequentissime peccari solet, uti quotidiano experimento comprobatur; præterea, quod maximi nunc refert, cum iis quæ inferius dicenda nobis erunt, lux non modica inde affundi videatur.

Ad rationem quoque jejunii Ecclesiastici pertinere abstinentiam ab ovis, & lacticiniis docuit Angelicus Præceptor 2. 2. *laud. Q.* 147. *art.* 8. ad quæ tamen comedenda, minime obstante jejuniorum lege, per Bullam nostræ Cruciatæ fas & jus nobis datum est. Verum antequam de hujusmodi concessione nobis facta, aliisque ad eam pertinentibus differamus, de interdicto prius iisdem utendi obsonii loco, sive Quadragesimali tempore, sive aliis diebus jejunio consecratis, pauca quædam delibemus oportet; id enim & ordinis ratio postulare videtur, quo privilegio nobis concesso major lux affundi possit, & res ipsa est hujusmodi, ut silentio nobis hic prætereunda non sit.

Q. I. *Num diebus Quadragesimali jejunio destinatis Ovis, & Lacticiniis, secluso tamen privilegio, vesci interdictum sit?*

R. Affir. Sive id provenire dixeris ex lege Ecclesiastica hoc ipsum diserte prohibente, sive ex consuetudine graviter obligante, quod perinde est. Sane non

desuere inter Theologos, quibus id omne penitus infitiandum visum fuit, nullam obligationis vim in eo agnoscentes, qua Christifideles ab hisce eduliorum generibus, quadragesimalium dierum decursu, abstinere adigantur. Cum enim ad istiusmodi obligationem adstruendam hæc duo adduci possent, nimirum aut expressa lex Ecclesiastica, aut universalis consuetudo ad hoc ipsum graviter obbligans; neutro ex capite compellendi videbantur Fideles ad hujusmodi abstinentiam ab ovis, & lacticiniis servandam Quadragesimalibus diebus. Non ex lege Ecclesiastica, cum nulla hujusmodi exstet, & Canon *Denique*, qui laudatur ex D. Gregorio, quo edicitur: *Par esse, ut qui his diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo, & ovis:* propter formulam loquendi, qua utitur designat aut simplicem convenientiam, aut consilium, aut saltem non grave præceptum imponit. Lege laud. *Can.* Denique 6. *Distinct.* 4. apud Gratian. & Glossam *ibid.* Neque ex Canone Trullano, seu Synodi Quinisextæ, quo Fideles ab his, Ovis nempe & Caseo, abstinere jubentur toto Quadragesimali tempore; majus arcessi poterit subsidium ad hanc obligationem probandam; siquidem hujusce Synodi Canones ab Ecclesia Romana rejecti fuere, ac reprobati, uti omnibus constat. Neque etiam dici posse vi-

videbatur, Fideles vi legitimæ consuetudinis ad abstinentiam prædictorum eduliorum adstrictos; siquidem ad legitimam consuetudinem constituendam plura concurrant oportet, ut nemo omnium ignorat, quæ quidem omnia ad prædictam consuetudinem stabiliendam simul adfuisse, nemo sibi polliceri poterit, atque jure debebit. Ita olim memorati Theologi.

Verum Ecclesiastico judicio, ac Pontificio Oraculo hujusmodi Theologorum, qui istiusmodi gravem obligationem ab iisdem abstinendi animis Fidelium alte defixam, ac penitus insidentem evellere conati sunt, repressa audacia fuit, atque error proscriptus. Etenim Alexander VII. anno 1666 inter damnatæ Moralis doctrinæ capita ipsorum opinionem recensitam perquam meritissimo voluit, qua docere non dubitabant, quod: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi Ova & Lacticinia in Quadragesima obliget.* Refertur Thesis isthæc *num.* 32. inter damnatas ab eodem Pontifice.

At vero mihi præterea certum atque exploratum videtur non solum vi legitimæ, atque universalis consuetudinis graviter obligantis adstringi Fideles ad hujusmodi abstinentiam, ab ovis scilicet, & lacticiniis Quadragesimalibus diebus, sed etiam ex Jure scripto; quod ex iisdem supra adductis Canonibus facili negotio repeti posse censeo. Et re quidem vera, formula illa *par est*, qua utitur Gregorius

in laud. Canone *Denique* haud simplex consilium, aut levem obligationem, quemadmodum nonnulli opinati fuere, sed gravem potius indicit, atque imponit: *Par enim esse* (ait) *ut qui his diebus a carnibus abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt originem carnis jejunemus, a lacte* vid. &c. Ergo eadem ratione, atque eodem modo ab utrisque abstinendum, ac proinde sub gravi etiam ab ovis &c. Insuper quoties formula, qua lex utitur, dubia videtur, mensura obligationis determinanda erit pro ratione materiæ, atque secundum communem interpretationem, & consensum; sed hæc gravem indicant, atque exquirunt obligationem. Ergo &c. Ita sapientiores Theologi apud Viva in memoratam proscriptam Thesin.

Eadem quoque gravis obligatio abstinendi ab hisce eduliis, ovis nempe &c. Quadragesimalibus diebus, confirmatur ex laud. Canone Synodi Trullanæ, sive Quinisextæ, per quem gravissimæ indicuntur poenæ, depositionis nempe in Clericos, atque excommunicationis in Laicos, si qui illorum ausi fuerint memoratam legem abstinendi ab *Ovis*, & *Caseo* Quadragesimalibus diebus violare. Nec obstat, quod antea objiciebatur, nimirum Trullanos Canones ab Ecclesia Romana fuisse rejectos, atque reprobatos; licet enim a Sergio I. initio approbati minime fuere propter quædam *capitula*

tula extra ritum Ecclesiasticum, uti loquitur Anastasius Bibliothecarius in Vita Sergii, inibi adnexa; postea tamen Constantinus Pontifex Maximus, atque Hadrianus I. ex ipsis Trullanis Canonibus illos probarunt, qui neque Juri divino, neque priscarum Synodorum Regulis, aut Pontificum Summorum Decretis, & Romanæ Ecclesiæ moribus repugnarent. Cujusmodi profecto est Canon 56. per nos in hanc rem laudatus. Lege Natal. Alexandrum *Histor. Eccl. Secul. VII. Dissert.* 3. *De Canonibus. Synod. Quinisext.* qui Canones rejectos, aut probatos singillatim recenset.

Q. II. *Num omnibus omnino diebus Quadragesimalis jejunii, etiam Dominicis, hujusmodi abstinentiæ lex ab ovis &c. nobis servanda sit?*

R. Affir. Idque abunde præ ceteris patet ex laudato Canone Synodæ Quinisextæ, ubi gravissimis memoratis poenis subjacere jussi sunt, qui hujusmodi legem abstinentiæ ab ovis nempe & caseo etiam diebus Dominicis, & Sabbatis (qui dies apud Orientales etiam a jejunio erant immunes: vide Natal Alexand. *Histor. Eccles. Sæcul. II. Dissert.* 4. *art.* 6. *Prop.*) in Quadragesima violasse deprehensi sunt. Olim quidem nonnulli homines ventri indulgentiores, quam par fasque esset, in eam adducti fuere opinionem, qua arbitrarentur diebus Dominicis Quadragesimali tempore advenientibus, sese so-

lutos esse a lege servandi præscriptum ciborum delectum, non secus, ac a lege jejunii iisdem diebus Ecclesiastico præcepto eximebantur. De his porro D. Gregorius in laud. Cap. *Denique* hunc in modum loquitur: *De ipsa vero die Dominica hæsitamus quidnam dicendum sit, cum omnes laici, & sæculares illa die plus solito ceteris diebus, accuratius cibos carnium appetant, & nisi nova quadam aviditate, usque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se hujus sacri temporis observationem suscipere putant: quod utique non rationi, sed voluptati, imo cuidam mentis cæcitati adscribendum.*

Isthac vero abusione, ac perniciosa corruptela (quam tolerandam tunc temporis satius putavit Sanctissimus Pontifex, ne graviora damna inde evenirent) successu temporis abolita penitus ac deleta, recentioribus ætatibus quidam ex Theologorum numero suborti fuere, qui docere non dubitaverint memoratis Dominicis diebus Fideles omnes posse indiscriminatim edere ova, & lacticinia, *cum in illis diebus non jejunii, nulla sit in jure prohibitio*. Ita Andreas Mendo *in Bull. Cruciat. Disp.* 18. *Cap.* 1. *num.* 29. Lama, Escobarius, aliique. At cum nihil ineptius dici possit, in huiusmodi opiniunculis refutandis tempus transmittere, esset otio indigne abuti. Præterea ipso Trullano Canone nuper adducto hujusmodi laxitates satis, & abunde convelluntur.

In-

Interim lege si lubet Concinam *Discipl. Roman. Eccles. circa jejunium Cap.* 2. *n.* 5. & Viva in proscriptam memoratam thesin *n.* 9. ubi plura ad rem opportune deprehendes. Lege etiam Salmanticenses *Append. De Bull. S. Cruciat. Cap.* 5. *Punct.* 2. *num.* 43.

Q. III. *Num ceteris jejunio dicatis diebus præter Quadragesimam, præcepti necessitas urgeat ab iisdem abstinendi?*

R. Variam hac in re diversis in locis exstare consuetudinem, quod satis aperte indicat Angelicus Præceptor his verbis: *In jejunio Quadragesimali interdicuntur universaliter etiam Ova, & Lacticinia. Circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines exsistunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum inter quos conversatur.* 2. 2. *Q.* 147. *art.* 8. *ad* 3. Cum itaque non jure communi, ut communissime docent Theologi in ceteris jejuniis extra Quadragesimam teneantur Fideles ad hujusmodi abstinentiam, ab ovis nempe, ac lacticiniis; sed vi legitimæ consuetudinis, nec universim vigentis; hinc illis in locis hujusmodi interdictum ad observantiam adstringit, ubi & diuturnitas temporis, atque communis persuasio populi istiusmodi consuetudinem firmaverit, ab iisdem quoque; ab ovis nempe &c. abstinendi in ceteris per annum jejunio consecratis diebus. Atque hoc sane in dubium haud revocari posse credo, cum recta & per se

ex doctrina D. Thomæ superius adducta consequatur, & communissime suo suffragio confirmant Theologi. Lege Ligorium *Lib. III. Tract. XVI. Cap. 3. De Præcept. Eccl. Dub.* 1. & 2. *num.* 1009.

Hinc rectissime docet Viva in memoratam proscriptam Thesin *num.* 9. quod sicubi talis consuetudo esset immemorabilis, prout est consuetudo pro tempore Quadragesimali, & communiter timorati eodem modo a lacticiniis abstinerent in iis jejuniis, non ex ignorantia, sed ex communi persuasione, quod detur ista obligatio, procul dubio ea esset obligatoria (& quidem sub gravi) quamvis ignoretur, utrum fuerit introducta a populo animo se obligandi. Ratio est, quia communis ista persuasio indicat, minime defuisse requisita ad talem obligationem introducendam per consuetudinem, ut omnes dicimus de consuetudine pro tempore Quadragesimali. Et hac de caussa Diana *in Sum.* verb. *Jejunium num.* 16. dicit consuetudinem abstinendi a lacticiniis in Vigiliis, & Quatuor anni temporibus in Sicilia videri gravem, & sub mortali receptam etiam apud Regulares. Vide etiam Salmanticenses laud. *Append. Cap.* 5. *Punct.* 2. *n.* 41. & 42.

Q. IV. *Quid dicendum hac in re de nostra Neapolitana Dioecesi: num scilicet istbæc consuetudo abstinendi ab ovis &c. vigeat in ceteris extra Quadragesimam je-*

jejuniis; adeo ut sine peccato violari non possit?

R. Affir. Idque non de sola Neapolitana Diœcesi, sed tota Neapolitana Provincia indubitanter videtur asserendum. Qua de re locupletissimum te sitem producimus novissimam Synodum nostram celebratam ab Eminentissimo Pignatello anno 1726. quæ hunc in modum eloquitur: *Renovantes, & confirmantes decretum Concilii Provincialis Neapolitani sub Mario Carafa anno 1576. . . . nec non inhærentes mandatis Cardinalis Philamarini . . . ex quibus constat de consuetudine non comedendi ova, & lacticinia in Vigiliis; & Quatuor Temporibus extra Quadragesimam: declaramus comedere ova, & lacticinia in dictis Vigiliis, & Quatuor temporibus esse illicitum; ac proinde præcipimus nemini in Diœcesi nostra permittendum.* Vide laud. Synod. *Part. I. Cap. 9. n. 5.*

Hisce itaque de interdicto vescendi ovis & lacticiniis diebus per annum addictis jejunio delibatis, ad concessionem ipsam nobis per Bullam nostræ Cruciatæ factam deveniamus oportet. Et primo cujusmodi sit isthæc concessio Fidelibus lectorum oculis subjicere operæ pretium ducimus.

Concessionis itaque formula hæc est: *Omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Regnis præfatis commorantibus, & ad illa declinantibus . . . .* (Modo definitam eleemosynam ad finem pugnandi contra Infideles contulerint)

privilegio vefcendi omnibus tam Dominicis, quam Ferialibus diebus Quadragefimæ, etiam Dominica in Palmis, & per Hobdomadam Majorem nuncupatam, ovis, & lacticiniis, fervatis tamen in fingulis Feriis jejunii legibus, & unica tantum comeftione in die, uti libere, ac licite poffint, ac valeant, Auctoritate Apoftolica, tenore præfentium concedimus, & indulgemus.

Q. V. *Quas itaque perfonas complectitur hæc conceffio, five privilegium hujufmodi vefcendi ovis, & lacticiniis?*

R. Omnes & fingulos Chriftifideles utriufque fexus, five commorantes in Regnis noftris, five ad eadem declinantes. Id profecto abfque ullis verborum ambagibus patet ex adductis verbis ipfius Bullæ. Ubi advertendum, haud folum commorantes in hifce noftris Regnis, fed etiam huc accedentes, feu advenientes, cujufcumque gentis effent, feu ad hæc noftra Regna *declinantes*, hoc privilegio vefcendi ovis &c. per Apoftolicam benignitatem donari. Vide quæ dicta fuere in *Quæftion. Præliminar*, ad dictam Bullam *Qu.* 4.

Porro, licet in priori Bulla primitus nobis concefla, anno nimirum 1777, quædam perfonæ defignatæ fuiffent ab hujufmodi privilegio excifæ, uti erant Archiepifcopi, Epifcopi, & Inferiores Prælati, & cujufvis Regularis Ordinis Profeffores; & quantum ad Ecclefiafticos fe-

Seculares; qui ad Sacrum Præsbyteratus Ordinem aut promoverentur, aut fuissent promoti, nisi sexagesimum ætatis annum complevissent; postea anno insequenti hoc idem privilegium ad hasce pariter recensitas personas extensum fuit hisce verbis, ut patet ex Secundo Brevi ad Ferdinandum Regem nostrum directum: *Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis inferioribus Prælatis, necnon Presbyteris secularibus prædictis tantum ad sexennium a die publicationis memorati primi Brevis, servatis tamen in prædictis nostris litteris, tunc expressis conditionibus, ac legibus; ut ipsi gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus, ac Quadragesimali tempore, hebdomada tamen majori excepta, ovis similiter, & lacticiniis pro eorum libitu, uti libere, ac licite possint, & valeant eadem auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.*

Hoc idem quoque factum fuit per Bullam Hispanicam; licet enim primitus quædam personæ excluderentur a dicto privilegio comedendi ova &c. uti erant Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, &c. postea vero per concessionem factam ab Urbano VIII. anno 1624. & a Benedicto XIV. & ipsis hoc idem Privilegium impertitum fuit, *excepta etiam majori hebdomada*. Vide Salmanticenses *Append. De Bull. S. Cruciat. Cap.* 5. *Punct.* 3. *n.* 63.

Q. VI.

Q. VI. *Quibus diebus istiusmodi concessio vescendi ovis &c. nobis facta sit?*

R. Omnibus omnino jejunii diebus per annum recurrentibus, etiam intra Quadragesimam. Licet enim in priori Brevi, ubi memoratæ personæ excludebantur ab istiusmodi privilegio, pro solis diebus Quadragesimali jejunio dicatis, majori etiam Hebdomada inclusa, isthæc concessio vescendi ovis &c. facta videbatur; attamen in posteriori Brevi dato anno insequenti, non solum concessio extensa fuit ad prædictas personas exceptas, præterquam in majori Hebdomada; verum etiam Apostolica auctoritate declaratum fuit, quod licet memoratum privilegium in prioribus Apostolicis litteris, *ad Quadragesimale duntaxat tempus verbotenus concessum legatur, nihilominus in eo omnes totius anni vigilias esse comprehensas*, in eoque comprehendi decernitur, ac declaratur.

Excipitur tamen, uti patet ex verbis Bullæ supra adductis, pro Archiepiscopis, Episcopis, & aliis inferioribus Prælatis, necnon Pesbyteris Secularibus *Hebdomada Major*, qua perdurante hujusmodi privilegii usura iisdem ipsis interdictum est, atque ab ovis, lacticiniisque æque, ac ab aliis vetitis eduliis ipsis temperandum erit. Hujus autem exceptionis ea videtur esse ratio. Cum enim Quadragesimale jejunium præter cetera edocentibus Patribus institutum fuerit ad aliquam Dominicæ

Pas-

Passionis imitationem, ut communicata passionum societate Dominicæ etiam gloriæ consortium adsequeremur; *Si enim compatimur, & conglorificabimur.* ait Paul. *Ad Rom.* mirum est, qua pietate, quanta animi religione, qualisque abstinentiæ genere priorum seculorum Fideles istorum jejuniorum dies transigebant, præsertim illa, quæ sacratiora merito visa fuere; propterea quod intra circulum Mojoris Hebdomadæ essent servanda; siquidem plures erant, qui hac Majori Hebdomada perdurante austeriora præ ceteris jejunia consectari, atque servare studerent; sex illos ante Pascha dies Xerophagiis, h. e. arido victu transigere omnis populus assueverat, h. e. panem duntaxat cum aqua sub vesperam adhibere. Imo vero nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum usque jejunia prorogabant; alii totam Hebdomadam ad usque sequentis Dominicæ *gallicinium*, uti loquitur Epiphan. *in Exposit. Fidei Cathol.* sine cibo transmittebant. Cujus quidem moris inter Christianos tunc temporis vigentis testes præterea sunt Dionysius Alexandrinus, Irenaeus, Tertullianus. Lege Natalem Alexand. *Histor. Ecclesiast. Secul. Secund. Dissert.* 4. *art.* 3. Cum autem a ferventiori pietatis cultu, ac rigidiori jejuniorum observantia mores nostri longe defecissent (potius enim excusationes ad declinandam jejuniorum legem aucupari satagimus, quam eadem

san-

sancte pro nostro munere servare studemus), sapientissime providit Sum. Pontifex, ut ii saltem, qui exemplis recte vivendi, atque sanctæ conversationis studio ceteris Fidelibus prælucere debent, cessante illis diebus quovis privilegio, ac perfectiori abstinentia juxta commune Ecclesiæ præceptum servata, ad illorum sacratiorum dierum mysteria recolenda, ac religiosius peragenda excitarentur; ac revocata insuper memoria pristinæ eorum dierum austerioris observantiæ, & ipsi pro viribus ad consectanda vestigia priorum Ecclesiæ Fidelium adniterentur. Quæ sane omnia in secundo Brevi Pontificio Rege nostro rogante edito, atque ad nos directo anno 1778. non obscure indicantur.

Q. VII. *Num quibus concessum est diebus jejuniorum ovis, & lacticiniis vesci, possint etiam uti larido, adipe, sagimine animalium, aliisque id genus ad condiendas dapes?*

R. Neg. Atque hæc Theologorum communis est sententia, a qua recedere nefas reputamus, quidquid in contrarium obtrudant nonnulli. Quia illa omnia sub nomine carnium comprehensa perquam rectissime censenda sunt, cum participent de ejusdem carnis substantia; quemadmodum & de jusculo ex carnibus elicito erit adserendum. Vide Salmanticenses *Tract.* 23. *De tert. Decal. Præcept. Punct.* 2. *num.* 15. & Ligorium *Lib. III. Tractat.* 6. *Cap.*

6. cap. 3. De Præcept. Eccles. num. 1010.

Verum quod spectat ad adipes animalium, quibus ad condiendas dapes uti solemus, Apostolica etiam munificentia nobis datum est, ut diebus jejuniorum per totum annum recurrentibus, simul cum ovis, & lacticiniis, iisdem uti valeamus; servato tamen discrimine inter Laicos, ac Sacerdotes; sive excepta Majori Hebdomada pro Sacerdotibus, aliisque in Primo, & Secundo Brevi memoratis. Apostolicas hujusmodi litteras, quibus id juris nobis concessum est, ad manus non habemus, nec visere nobis licuit, idcirco a verbis huc pertinentibus referendis abstinendum nobis est. Attamen hoc ipsum satis perspectum, atque exploratum habetur ex Bulla nostra Itala. Vide *num 6.*

Num etiam præter jejuniorum dies ceteris anni diebus adipe uti valeamus?

R. Affir. Etenim *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus*; quando *plus*, & *minus* ad idem genus pertinent, *Reg.* 53. *Jur. in 6.* Ergo si id nobis permittitur diebus jejuniorum, multo magis hoc ipsum licebit ceteris per annum diebus, in quibus sola abstinentiæ a carnibus lex urgeat. Huc accedit quod hoc ipsum absque ulla verborum ambage nobis concessum est; quod patet ex Bulla nostra Itala. Ubi: *potrete in tutti i giorni dell' anno senza eccettuarne la Settimana Santa.*

Q. VIII. *Num quibus ex Bullæ nostræ pri-*

privilegio concessum est comedere ova &c. possit simul cum hisce concessis eduliis, piscibus, aliisque esurialibus cibis vesci?

R. Affir. Etenim primo id habet, atque servat communissima Fidelium praxis, quod neminem latet. Praeterea hoc ipsum apertissime definitum occurrit in Responsionibus Benedicti XIV. ad Archiepiscopum Compostellanum. Cum enim laudatus Pontifex decrevisset, quo jejunantium corruptelæ aliquo modo mederi posset, ut ii, quibuscum dispensatum esset ad carnes comedendas tempore vetito, non aliter dispensati censerentur ab hac lege abstinentiæ diebus jejuniorum, quam geminis hisce adjectis conditionibus; videlicet *unicæ in diem comestionis*, & *non permiscendarum epularum* Constit. quæ incipit: *In suprema* edita anno 1741. dubitari cœpit, quænam essent epulæ licitæ, quæ vetitæ essent cum interdictis conjungi; atque insuper: utrum hæc lex de utroque epularum genere non permiscendo, ad eos quoque pertineret, qui ex Bulla Cruciatæ edere possent ova, & lacticinia; qua de re consultus fuit laud. Pontifex Bened. XIV. ab Archiepiscopo Compostellano. Utrique porro quæstioni dum respondet laud. Pontifex in *Rescript.* directo ad eumdem Archiepiscopum, adsertionem nostram apertissime confirmat his verbis: *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, adeoque*

que utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur iis, quibus datur facultas adhibendi ova, & lacticinia. Quod vero pertinebat ad secundam quæstionem propositam in hunc modum respondit Pontifex: *Rescribimus, nihil in prænuntiatis nostris Apostolicis litteris statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ diploma. Quare qui eo gaudent illius tenorem stricte, & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant.* Unde illud sane sponte fluit, ut cuivis patet, hac lege non permiscendarum epularum minime illigari eos omnes, quibuscum sive caussa affectæ valetudinis, sive alterius privilegii, dispensatum sit ad ova tantum, & lacticinia comedenda, ac proinde posse simul cum hisce concessis eduliis pisces simul, aliosque esuriales cibos ab hujusmodi dispensatis adhiberi. Lege Concinam *Comment. in laud. Rescript. Cap. 6. Postul. 4. §. 2. & Cap. 8. Postul 6. §. Unic.* & Salmanticens. *Append. De Bull. S. Cruc. Cap. 5. Punct. 1. n. 32.*

Interim juvat hic animadvertere, quam recte a nobis, rejecta quorumdam Theologorum opinatione æquo laxiori, uti eam vocat Concina mox laudandus in *Quæstion. Præliminar.* præpositis huic nostræ tractationi *De Bull. S. Cruciat. Qu. XI.* traditum sit; hujusmodi Bullam S. Cruciatæ *stricte*, non *ample* esse interpretandam. Quam sane nostram adsertionem, præ-

præter nonnulla ibidem adducta, apertissime confirmat laudatissimus Pontifex Benedictus XIV. in laud. *Rescript.* disertissimis verbis, edicendo ejus tenorem *stricte*, & *considerate* esse perpendendum; ac proinde haud esse illam latioribus interpretationibus extendendam ultra mentem concedentis; sed potius strictioribus restringendam, atque intra propria confinia, seu naturalem verborum proprietatem retinendam. Neque huic nostræ sententiæ, imo & communi Theologorum, ac Canonum interpretum, quidquam officit illud, quod ab eodem Pontifice *loc. cit.* appelletur *gratiosum Cruciatæ diploma*; non enim inde deducendum illud juri communi non adversari; sed quod uni inclytæ Genti Hispanæ, illud de quo loquitur Pontifex, erat concessum. Adeatur hac de re laud. Concina *Comment. in laud. Rescript. laud. Cap.* 8.

Q. IX. *Quinam ergo ii sint, qui hac lege de non permiscendis epulis diebus jejuniorum teneantur?*

R. Eos esse, quibuscum, aliqua rationabili caussa intercurrente, dispensatum erit ad carnes comedendas diebus jejuniorum; iis enim non alia ratione dispensatio intelligenda erit concessa, quam geminis illis adjunctis conditionibus, *unica* scilicet *in die comestionis*, & *non permiscendarum epularum*. Etenim cum beneficio probabilitatis, & benigniorum quorumdam Theologorum facilitate in Qua-

dra-

dragesimalis jejunii observationem plurimi irrepsissent abusus, unde avitæ observantiæ penitus deformata facies erat, ac jejunium, uti olim deflebat Augustinus, non jam veterum concupiscentiarum repressio, sed novarum deliciarum facta esset occasio, (jam enim Theologi rationem excogitaverant, unde quis a lege jejunii omnino solutus abiret, & quo suavius delicatiusque suæ voluptati posset indulgere dispensatus ad carnes comedendas, carnibus simul, ac piscibus in eadem mensa appositis pro arbitrio eidem vesci dabatur) providentissimus Pontifex Benedictus XIV. vix ad Petri Cathedram evectus tantis opinionum laxitatibus pro suo Pastorali munere occurrere studuit, & Constitutione edita anno 1741. quæ incipit *Non ambigimus* decrevit, Dispensatis ad comedendas carnes diebus Quadragesimali jejunio consecratis, sive propter legitimam caussam, de utriusque medici consilio, sive propter gravissimam, urgentemque necessitatem, ut cum agitur de multitudine, cum hujusmodi necessitate *& servandam esse potissimum unicam comestionem, & licitas, atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse.*

Cum vero hujusmodi Pontificia præcepta, ad restaurandam aliqua ex parte jejunii observantiam sapientissime constituta, quidam *per humanas, & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus duntaxat dignas illationes* eludere adniterentren-

rentur; sibi aliisque persuadentes unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas, atque interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem; non vero cum singulis ob legitimam caussam, & de utriusque Medici consilio dispensatur. Ad istorum porro temeritatem coercendam, atque ad hanc persuasionem a Pontificia sententia prorsus alienam penitus evellendam, alia edita Constitutione Pontificia, quæ incipit *In superema*, declaravit, atque edixit laud. Pontifex: *Quibuscumque quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam caussam, & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesima, aliisque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum usus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, atque licitas, atque interdictas epulas minime apponendas.*

Alias porro dubitationes subortas circa hæc Decreta Pontificia laudato Pontifici proposuit Compostellæ Archiepiscopus; quemadmodum etiam antea factitaverat Archiepiscopus Valentinus, num scilicet hujusmodi præcepta sub gravi culpæ reatu ad sui observationem adstringerent;

an

an dies etiam Dominicos intra Quadragesimam complecterentur; Utrum in ceteris jejuniis, etiam per annum recurrentibus extra tempora Quadragesimæ, urgerent; quibus omnibus affirmative respondit sapientissimus Pontifex. Vide laud. *Rescriptum ad Archiepisc. Compostell. Postulat. I. V. & VII.* atque illud etiam ad Archiepiscopum Valentinum; quorum utrumque occurrit apud Salmanticenses laud. *Append. De Bull. S. Cruciat. Cap. 2. Punct. I. n.* 17. *&* 18. atque *Epistolam Encyclicam* quæ incipit, *Libentissime*, qua Pontificia Responsa ad Archiep.Compostellan. postulata ad omnes per orbem Episcopos &c. transmissa fuere, ut jejunii Ecclesiastici disciplina omnibus, & ubique servanda iisdem juridice innotesceret. Integrum ejusdem Epistolæ tenorem legere poteris apud Ligorium *Dissert. Prolegom. Part. II.*

Ex hisce porro, quæ modo recensuimus non pauca opportuna corollaria colligere operæ pretium ducimus. I. Eos omnes, quibuscum dispensatum erit, ut Quadragesimali tempore, aliisque jejuniorum diebus carnes comedere possint, propterea quod legitima caussa intercedente ab illarum abstinentia excusantur, gravi inde incommodo afficiendi; ipsa jejuniorum lege, sive Ecclesiastico præcepto id exigente, adstringi ad servandam tum unicam comestionem; tum etiam ad licitas, atque interdictas epulas non

per-

permiscendas. Qua de re late Concina *laud. Comment. in Rescript. Post.* 1. *Cap.* 1. §. 4. *& seqq.*

Idem quoque adserendum omnino erit, cum Communitati, gravissima urgentique caussa postulante, scilicet cum esurialium ciborum, aliarumque rerum gravi inopia laboretur, hujusmodi etiam dispensatio impertiatur. Etenim neque graves istæ, & publicæ caussæ Communitatis partes eximunt ab onere servandi geminas prædictas conditiones. Patet id profecto perquam luculentissime ex ipsa Apostolica Constitutione, quæ incipit *In Suprema*, cujus verba huc pertinentia nuper jam attulimus.

Quid si affectæ valetudinis ratio intercedens efficiat, ut quis absque gravi incommodo dictis conditionibus parere non possit?

R. Istum hac in hypothesi excusari ab ea parte præcepti Ecclesiastici hujusmodi, quæ cum morbo ipsum divexante nequit componi. Quod sane extra omnem dubitationis aleam repositum esse debet, cum hujusmodi affecta valetudine laborantes expressim excipiantur: *dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat*, uti loquitur Pontifex laud. Constitutione *In Suprema*. Caritas enim, aut necessitas non concluditur sub lege *Reg.* 4. *Jur. in* 6 Quapropter, qui ratione infirmitatis, ad carnes comedendas

sue-

fuerit dispensatus si stomacho languente, ciboſque fastidiente, ad exacuendam edendi appetionem, pauculas haleculas oleo conditas, aut aliquid simile prius degustaverit, quam concessis carnibus vescatur, istum veluti peccati reum traducere propter violatam hujusmodi Pontificiam legem, nec æquitas patitur, nec ratio ipsa suadere poterit. Quod sane disertissimis verbis docet ipse Concina laud. *Comm. in Rescript. Pontif. Post. 1. Cap. 1. §. 6. num. 60.* Quin imo censent laud. Salmanticenses illos, qui dispensati ad carnes comedendas, quique ratione infirmitatis, debilitatis virium, aut etiam ratione laboris soluti sunt a lege servandæ unicæ comestionis, etiam esse immunes ab hac parte Pontificii Præcepti de non apponendis licitis, atque interdictis epulis in eadem mensa; quod sane probant tum ex ipso scopo Pontificiæ Constitutionis, tum etiam ex Decreto Domini Inquisitoris Hispani, auctoritate Apostolica declarantis Pontificiam Constitutionem *eos tantummodo comprehendere, qui jure naturali, vel aliquo Pontificis privilegio a jejunii obligatione excusati non sunt. Laud. Cap. 5. Punct. 1. num. 24.* Idem quoque docent de eo, qui propter actualem infirmitatem, virium debilitatem, aliamve caussam, immunis fiat a præcepto Ecclesiastico temperandi sese a carnibus. Consule eosdem Salmanticen-

hac in re opus sit, ut a peccato immunes habeantur.

Quod vero spectat ad rem nostram, quod pernosse operæ pretium ducimus, sciendum: nostras militares copias Augustissimo Regi nostro Ferdinando deservientes, quæ consimili privilegio potiuntur carnibus vescendi diebus prohibitis, adstringi ex Apostolico mandato ad servandam utramque conditionem tum unicæ in diem comestionis, tum epularum non permiscendarum diebus jejunio dicatis; hisce enim legibus, sive conditionibus appositis privilegium ipsis impertiri quotannis manducandi carnes diebus prohibitis refert, & docet Illustris Auctor *Sermon. & Dialog. in Bullæ nostræ Cruciat. pag.* 84. *Adnotat.* 1. penes quem fides esto.

III. Colligitur sub gravis peccati reatu adstringi Fideles, quibuscum dispensari contingit in comestione carnium, ad servandum præsertim præceptum non permiscendi epulas. Quod sane erit intelligendum seposita materiæ levitate, quam revera, & in hoc præcepto reperiri nemini profecto dubitandum; illam tamen non excedere quantitatem dimidiæ unciæ docent Salmanticenses; adeo ut, si quis dispensatus ad carnes comedendas, una cum carnibus piscibus vesceretur ultra dictam quantitatem dimidiæ unciæ, gravis peccati reatu sese obstringeret. Salmanticens. *laud. Cap.* 5. *Punct.* 1. *num.* 38.

38. Seposita itaque materiæ parvitate, haud dubitandum memoratum præceptum sub gravi Fideles adstringere, ne dispensati ad carnes interdictas epulas (h. e. pisces) cum iisdem commiscere possint; idque non solum in conviviis, sed privatis etiam in mensis. (Legatur hac de re Illustrissimus Ligorius *Lib. III. Tract. De Octav. Præcept. & De Præcept. Eccles. Cap.* 3. *num.* 10 4. Et sane, quidquid desiderari posset ad adstruendam gravitatem præcepti, totum hic nobis præsto est; expressa nimirum legislatoris voluntas, & materiæ ejusdem præcepti gravitas. Lege *laud. Resprípt. Bened.* XIV. *Respons. ad Postul.* 1. & Concinam illud commentantem. Hinc merito in quibusdam Synodis in Hispania celebratis, ut in Hispalensi, Toletana, aliisque hujusmodi, permixtio epularum esurialium cum carnibus intentata excommunicationis poena fuerat interdicta. Qua de re lege Concinam *in laud. Pontif. Rescript. Cap.* 1. *Postul.* 1. §. 5. ubi etiam ineptissima Casuistarum effugia ad eludendas illas gravissimas leges ordine recensita deprehendes.

Quid vero dicendum de diebus Dominicis per Quadragesimam recurrentibus quantum ad hoc præceptum non permiscendi epulas?

℞. & dico: Legem hujusmodi, non permiscendi epulas Ecclesiastico jejunii præcepto adnexam, vim suam habere, at-

atque adſtringere ad ſui obſervantiam toto tempore Quadrageſimali jejunio deſtinato, ne ipſis quidem exceptis Dominicis diebus; uti diſertiſſimis verbis declarat laudatiſſimus Pontifex *in laud. Reſcript. Poſtul.* 5. Et re quidem vera, uti omnibus compertum eſſe arbitramur, Eccleſiæ diſciplina a more jejunandi diebus Dominicis ſemper abhorruit, imo morem iſtum poſt exortas hæreſes Euſtathianorum, Manichæorum, & Priſcillianiſtarum, qui omnibus diebus Dominicis auſtera jejunia peragebant, ſeverius prohibuiſſe conſtat. De hac prohibitione fidem fuciunt vetuſtiſſimi Eccleſiæ Patres Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, & Canon 55. Synodi Trullanæ. Qua de re lege ſi lubet doctiſſimum Bellarminum *De Bonis Operib. in par. Lib. II. Cap.* 23. Hinc illud Tertulliani *De Coron. Milit. Die Dominica jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.* Nemo tamen adſeruit, carnium uſum licitum fuiſſe Fidelibus hiſce Dominicis diebus. Ut Catholici ab Hæreticis diſtinguerentur, ſat erat hiſce diebus iterare comeſtiones & menſis pluries, quam ſemel accumbere; a lege tamen temperandi ſeſe a carnibus hiſce diebus, nunquam ſe ſolutos Fideles arbitrati fuere. Canonica enim diſpenſatio libera cum ſit, atque prudens, reſtringitur, atque dilatatur juxta varios neceſſitatis gradus. Quamvis autem adverſariis gratis conce

 dere

dere velimus, prioribus Ecclesiæ Seculis diebus Dominicis per Quadragesimam recurrentibus carnium usum Fideles frequentasse; uti reprobatæ Hæreticorum praxi jejunandi Dominicis diebus undequaque sese opponerent; id tamen posterioribus ætatibus penitus sublatum fuisse, atque interdictum nemo ignorat, & apertissime id ipsum confirmat D. Gregorius, sive quivis alius sit Auctor Canonis *Denique* quem alibi produximus, & Glossa ibidem. Legatur Concina *Commentar. laud. in Pontific. Rescript. Cap. 7. Postul. 1. §. 1. & 2.* & *in Disciplina Romanæ Ecclesiæ circa Jejunii Quadragesimalis observationem Cap. 2. n. 3. 4. & 5.*

Itaque licet Ecclesia Dominicas dies per Quadragesimam recurrentes a lege unicæ servandæ comestionis solutas esse voluerit; haud tamen inde deducendum, Dominicas Quadragesimæ non esse dies Quadragesimales, ut quidam benignioris Ethices sectatores temere sentiebant; nec proinde in ipsis quidquam Fidelibus circa ciborum vetitorum usum licere, quod ceteris jejuniorum diebus interdictum sit. Quapropter sicut in ceteris Quadragesimalis jejunii diebus interdictum est Fidelibus carnium, ovorum, & lacticiniorum usu, seclusa aliqua legitima dispensatione; ita etiam & Dominicis diebus intra illius spatium recurrentibus. Ergo & interdictum non permiscendi epulas, pro iis quibuscum dispensatum sit ad carnes come-

medendas, aeque in utrisque h. e. tam Dominicis, quam Ferialibus diebus Quadragesimalis jejunii, eosdem adstringat necesse est. Quod rectissime, ac sapientissime sancitum legimus a laud. Pontifice Benedicto XIV. in sæpius memorato *Rescript. in Responsione ad Postulat.* 5.

Idem quoque juris obtinet in ceteris per anni circulum recurrentibus jejuniorum diebus. Etenim licet Quadragesimalia jejunia solemniora sint, quam cetera, tum quia *illa observantur ad imitationem Christi, tum quia per ipsa disponimur ad Redemtionis nostræ Mysteria devote celebranda*; uti juxta Patrum doctrinam nos edocet Angelicus Præceptor 2. 2. *Qu.* 147. *art.* 8. *ad* 3. inter ipsa tamen Quadragesimalia jejunia, ac cetera per annum recurrentia, hoc unum deprehenditur discrimen, quod in Quadragesimalibus jejuniis *interdicuntur universaliter ova, & lacticinia*, uti loquitur ibidem Angelicus; in ceteris vero per annum jejuniis quibusdam in locis hæc eadem permittuntur. Remoto autem hoc prædicto discrimine, Quadragesimalia jejunia reliquis omnibus quam maxime simillima, imo & per omnia æqualia. Quare conditiones omnes, quæ Quadragesimale jejunium comitantur, aut constituunt, a ceteris per annum jejuniis dissociandæ prorsus non erunt; uti sunt præceptum unicæ in diem comestionis, quo remoto omnis jejunii ratio evanescet, interdictum non permiscen-

scendi epulis utriusque generis, qualitas & quantitas cibi servanda in vespertina collatiuncula, hora meridiana, qua illud ex novissima consuetudine solvendum est, non prævenienda. Qua de re legatur laud. Concina *Comment. in Rescript. laud. Cap. 9. Postul. 7. §. 1. & 2.* Quæ quidem omnia cum antea gravissimorum Theologorum auctoritas edocuerit, nunc quidem temporis pro tanti Pontificis sapientia Apostolico Oraculo confirmata, atque extra omnem dubitationis aleam reposita, atque insuper Apostolico præcepto omnibus omnino servanda, remota quavis opinionum varietate, jure merito, cuique lætandum erit. Legatur laud. *Pontific. Rescript. ad Archiepisc. Compostell.* & *Epistola Encycl.* ejusdem, cujus initium. *Libentissime*, missa anno 1745.

Q. X. *Num ova, & lacticinia nobis concessa per facultatem nostræ Bullæ S. Cruciatæ diebus jejuniorum, adhiberi possint in collatiuncula vespertina?*

R. Cum primum Bulla isthæc Summi Pontificis benignitate, ac Regis nostri providentia, in hasce nostras Regiones allata fuit, memini quosdam dictitasse id licere, ac posse concessa illa edulia in vespertina collatiuncula adhiberi; propterea quod, uti ipsi ajebant, cum illa permissa fuissent, ac concessa diebus jejuniorum, loco esurialium ciborum essent habenda; ac proinde ut cetera esurialia in vespertina collatiuncula adhiberi possent.

ſent. Huc etiam accedebat ſententia illa quorumdam veterum Theologorum; nempe quod ex omnibus cibis ſive eduliis, quæ licite adhiberi poterant in prandio diebus jejuniorum, eadem & in cœnula poſſent adhiberi. Sed ova, & lacticinia ex conceſſione nobis facta per Bullam noſtræ Cruciatæ adhiberi poterant in prandio. Ergo & in cœnula veſpertina. Verum hæc, uti temere dicta, ac nulla ratione ſuffulta rejicienda ſunt, uti tunc temporis reſpondimus, & modo etiam confirmamus. Etenim Indultum comedendi ova, & lacticinia nobis conceſſum fuit per Bullam noſtræ Cruciatæ hac appoſita conditione: *ſervatis tamen in ſingulis Feriis jejunii legibus, & unica tantum comeſtione in die*. Quod etiam in ſecundo Brevi, cum Indultum iſtiuſmodi extenſum fuit ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, &c. inculcatum fuit. Sed ex lege jejunii tenemur abſtinere in veſpertina collatiuncula ab ovis, & lacticiniis. Ergo etiam accedente Privilegio Bullæ Cruciatæ; quod nonniſi illa conditione appoſita conceſſum fuit. Verum, ut clarius omnibus innoteſcere poſſit, quam iſthæc noſtra, vel potius communiſſima ſententia ſit juri, ac rationi conſentanea, pauca quædam ex hiſtoricis monumentis depromenda, ac in memoriam revocanda nobis ſunt.

Omnibus probe compertum ad rationem jejunii pertinere præ ceteris unicam co-

mestionem. Hoc sane probant omnia Ecclesiastica monumenta, quibus jejunia semel tantum per diem, aut vesperi, aut hora nona, aut circa meridiem solvi potuisse evincitur. Hinc D. Thomas: *Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur. 2. 2. laud. Qu.* 147. *art.* 6. Atque hinc etiam factum est, quemadmodum alibi observavimus, ut sequioribus ætatibus, cum mos obtinere cœperit vespertinæ refectionis, *collationis* præ ceteris nomen eidem inditum fuerit; ne videretur jejunii ratio sistens in unitate comestionis penitus inde everti,

Collationis porro nomen ex rebus Monasticis ad nos derivatum fuit; *Collationes* enim apud ipsos dicebantur conventus illi Religiosorum virorum, in quibus collocutiones, tractatus, aut etiam lectiones de rebus sacris, aut spiritualibus inter ipsos habebantur. Atque hoc sensu accipiendam vocem *Collationis* in antiquioribus monumentis Ecclesiasticis probat eruditissimus Vir Natalis Alexander *Histor. Eccles. Secul. II. Differt.* 4. *art.* 8. *Prop.* 2. Quia vero hujusmodi *Collationes* diebus jejuniorum fieri præsertim solerent, propter laborem manuum, quo sese exercebant viri Religiosi, iis permissum fuit, ut ante lectionem, vel *Collationem* spiritualem, potum sumerent; præsertim in jejuniis, quæ ex institutis Monasticis peragebantur, atque hora nona solvebantur; uti

uti ex D. Bernardo edidimus. Mos iste desumendi tantummodo aliquid potus in serotina illa *Collatione* per plura secula in Ecclesia viguit; uti patet ex Regula Commilitonum Templi in Concilio Trecensi anno 1128. probata; imo & usque ad ætatem D. Bonaventuræ, qui e vivis excessit; atque in cœlos receptus anno 1274. qui & potus tantummodo meminit in Collatione facienda tempore jejunii, atque hoc solum indulget, ut usque ad tres vices possit bibi. Sub hoc idem tempus, ætate nempe D. Thomæ, qui coævus fuit D. Bonaventuræ, permitti cœperunt electuaria in Collatione vespertina, sed per modum medicinæ digestionem juvantis. Hoc diserte docet idem Angelicus Præceptor 2. 2. *Qu.* 147. *art.* 6. qui hac de re disserens ait: *Unde non solvunt jejunium, sicut & aliarum medicinarum assumtio; nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi*. Celeberrimus Tostatus Episcopus Abulensis, qui medio fere Sæculo XV. fato cessit, primus fuit, qui ad examen revocavit controversiam istiusmodi; num loco electuariorum, quorum usus non omnibus, & ubique obvius, posset degustari *modicum de pane, vel fructibus, vel de quibuslibet aliis cibis*; an forte istis frangeretur jejunium. Qua quidem in re sentiebat laud. Episcopus etiam ista desumi posse diebus jejuniorum *per modum medicinæ*. ne potus noceret

Postea hæc eadem permissa fuere non solum ratione necessitatis, loco medicinæ; sed etiam vigore consuetudinis. Qua de re legi poterit sæpius laud. Concina *Comm. in Rescript. Pontif. Cap.* 4. *Postulat.* 2. §. 2. Inde etiam exorta sunt varia Theologorum placita circa quantitatem istiusmodi ciborum desumendam in vespertina collatiuncula; de quibus legendus idem Concina *laud. Cap.* 4. §. 3. & in Opere, cui titulus *Disciplina Vetus, & Nova Roman. Eccl. circa Sacr. Quadragesim. jejun. Cap.* 5. §. 3. *n.* 4.

Licet porro consuetudinis vis paullatim habenas laxaverit circa modum, & genus ciborum, quibus in vespertina collatiuncula uti liceret; numqnam tamen consuetudine invectum est, ut ova, & lacticinia in serotina refectiuncula diebus jejuniorum impune possent adhiberi. Et quamvis quidam inter Theologos probabilitatis præsidio hujusmodi quoque edulia in vespertina refectiuncula introducere summo studio connixi fuissent, istorum tamen opinio veluti *improbabilis* omnino, & *falsa* non sapientiorum modo, & prudentiorum Theologorum judicio rejecta est; verum etiam ab ipsis benignioris Ethices acerrimis patrocinatoribus acriter oppugnata, atque explosa fuit. Legantur quæ docent P. Diana, & P. Leander a SS. Sacram. apud eumdem Concinam *laud. Comm. laud. Cap.* 4. §. 5.

Sub

Sub annum dehinc 1744. cum Archiepiscopus Compostellanus animadvertisset occasione Constitutionum *Non ambigimus*, & *In Suprema*, quas a Benedicto XIV. sapientissimo Pontifice pro reformanda Ecclesiasticorum jejuniorum disciplina, eamque a pravis corruptelis vindicanda editas antea diximus; cum animadvertisset inquam laud. Archiepiscopus illarum occasione plures, gravesque in sua Diœcesi subortas controversias circa constituta ab ipso Benedicto in laud. litteris; Theologis hinc inde diffidentibus; fortasse ut ipsis efficaci remedio occurreret, easdemque mature resecare posset, ad eundem Pontificem prolixam dedit Epistolam, in qua varia difficultatum capita proposuit, cupiens Apostolico Oraculo edoceri; cuinam in tantis disputationum fluctibus adhærendum sibi esset. Inter cetera hanc ordine secundam proposuit quæstionem: *An ii, quibus concessum est carnibus vesci, possint in vespertina refectiuncula, ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur.*

Votis minime defuit providentissimus Pontifex, ac propositis quæstionibus sapientissimas adhibuit responsiones; uti perspicere licet in laud. Rescripto, quod incipit *Si Fraternitas*. Secundo vero Postulato, quod supra attulimus, in hunc modum respondit: *Respondemus: non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes*

cula; neque aliud nobis hac in re permitti potest, quam quod consuetudine receptum est, uti unanimi consensu Theologi nos docent. II. Neque ex lege jejunii. Etenim jejunium quemadmodum unicam in diem comestionem tamquam sibi essentialem præscripsit, ita semper a vespertina collatiuncula hujusmodi cibos exclusit, qui propter nimium nutrimentum, quod præstant, cœnam potius, aut prandium exhiberent, quam refectiunculam. III. Neque ratione dispensationis; quoniam dispensatio ad carnes comedendas concessa non permittit, nisi in unica tantum comestione, carne, aliisque, quæ ex carne originem trahunt, dispensatos vesci. IV. Neque demum Privilegio Bullæ Cruciatæ; siquidem cum Privilegio Bullæ nemo uti possit, *nisi salvis legibus jejunii*; & ad legem jejunii ex Pontificio Oraculo illud pertinere jam diximus, ut in serotina collatiuncula hujusmodi edulia non adhibeantur; inde profecto consequitur Privilegia Bullæ Cruciatæ nostræ nulla ratione eis posse derogare. Hinc rectissime Salmanticens. *Append. laud. Cap.* 5. *Punct.* 1. *num.* 27. loquentes de iis, qui ex Bullæ Hispanicæ privilegio ex utriusque Medici consilio dispensabantur ad carnes comedendas, docent, hujusmodi peccare mortaliter, si ova, & lacticinia in serotina collatiuncula adhibere auderent.

Q. XI.

• Q. XI. *Unde Major Hebdomada excepta pro Presbyteris Secularibus, aliisque incipienda sit; num ex Dominica Palmarum, an ex Feria insequenti?*

R. Controversiam istam duplici in loco proponunt, ac pertractant Salmanticenses, *laud. Append. De Bull. S. Cruciat. Cap. 3. Punct. 1. §. 3. num. 32.* agentes de Militaribus copiis Hispanis, quibuscum Apostolico Privilegio dispensatum erat, ut diebus vetitis carnes possent comedere, excepta *tota Majori Hebdomada:* & *Cap. 1. Punct. 3. num. 67.* ubi agitur de Sacerdotibus Secularibus &c. ad quos æque, ac ad nos Bullæ communis privilegium, quantum ad facultatem vescendi ovis, ac lacticiniis diebus, quibus id vetitum esset, extensum fuerat, hac adjunctione apposita: *Excepta Majori Hebdomada.* Atque utroque sane loco illam sectantur, atque propugnant sententiam, qua dies Dominicæ Palmarum ab exceptione apposita excludatur; adeo ut ista quoque die Palmarum, & Militibus carnes, & Sacerdotibus Secularibus &c. ova, & lacticinia comedere liceat ex eorum sententia. At quantum spectat ad Sacerdotes Seculares, de quibus modo nobis agendum, in hanc recensitam adducuntur sententiam hac ratione freti; quod nimirum pro Sacerdotibus Secularibus, aliisque inibi recensitis de illis diebus sit intelligenda apposita exceptio, quibus Presbyteri Seculares per

Bul-

Bullam communem arcentur a privilegio vescendi ovis, & lacticiniis; sed ipsi ratione Bullæ communis non excluduntur a privilegio comedendi ova, & lacticinia die Palmarum; siquidem diebus tantum, quibus ad jejunium servandum adstringuntur Fideles, interdictum iisdem est ratione Bullæ communis esu ovorum &c. Ergo pro hac die, Dominica nempe Palmarum, memorata exceptio non est intelligenda. Ita Salmanticenses laudati, qui in ea quoque sunt sententia, qua arbitrantur, Presbyteros Seculares potuisse Bulla communi recepta diebus Dominicis, quibus nulla inest obligatio jejunandi, uti privilegio comedendi ova, & lacticinia. Qua de re relegantur laudati Scriptores *loc. cit. n. 67. & num. 61. & Tract. 23. De Tertio Decalog. Præcept. Cap. 2. Punct. 2. n. 38.* & Trullench. *Exposit. Bull. S. Cruciat. Lib. I. §. 4. Dub. 7. n. 2.*

At quidquid tandem sit de hac ipsorum opinione, nobis tamen opposita sententia est omnino amplectenda, atque unice propugnanda; qua nostri Presbyteri Seculares, aliique recensiti Bullam recipientes die Dominica Palmarum abstinere coguntur ab ovis, & lacticiniis comedendis. Hanc porro nostram sententiam hisce argumentis firmamus.

I. Dominica Palmarum pertinet ad integritatem Majoris Hebdomadæ. Neque enim negare quis poterit integram Hebdomadam ex septem diebus coalescere, in-

incipiendo ab ipsa Dominica die; qua de re nec ipsi Salmanticenses dubitant, uti videre est *laud. Cap.* 3. *Punct.* 1. §. 3. *num.* 35. Sed exceptio apposita in secundo Rescripto pro Presbyteris Secularibus de integra Hebdomada Majori est accipienda, uti patet. Ergo & Dominica dies Palmarum sub ea exceptione comprehendi debet.

II. Quandocumque aliquid collective prohibetur, prohibitio est intelligenda de omnibus illis, quæ sub collectione continentur. Sed Dominica dies Palmarum continetur sub collectione Majoris Hebdomadæ exceptæ. Ergo de illa quoque intelligi debet prohibitio, seu interdictum comedendi ova, & lacticinia. Ac proinde Presbyteri Seculares, aliique ibidem recensiti, qui Hebdomada Majori recurrente abstinere jubentur a privilegio memorato. Dominica quoque die Palmarum ab ejusdem usu abstinere debent.

Hæc sane compertissima sunt, ac satis per sese explorata; adeo ut diutius in hisce probandis immorari esset otio abuti; præsertim cum & ipsi contrariæ sententiæ patrocinatores eadem ipsa in dubium revocare nec audent, nec possunt. Quare diversa adducti ratione contrariam sententiam, loquentes de Bulla Hispanica, suadere studebant.

Huc etiam accedit, quod & ipsa ratio, cui ipsi innitebantur, parum, aut etiam nihil pro re nostra facit; siquidem in no-

nostra Bulla diversa hac in re occurrit concessionis formula, ac in Bulla Hispana. Bulla enim Hispanica, uti videre licet, apud eosdem Salmanticenses *laud. Cap.* 5. *&c.* privilegium, sive facultatem comedendi ova, & lacticinia jejuniorum diebus; *sive temporibus jejuniorum totius anni, etiam Quadragesimalibus* concedebat; quare, ut ipsi deducebant, iisdem tantum jejuniorum diebus Presbyteri Seculares, aliique memorati abstinere per Bullam hoc privilegio jubebantur, non vero Dominicis diebus Quadragesimæ, qui non jejunii, sed abstinentiæ tantummodo dies sunt. Quare ipsi poterant Presbyteri, recepta Bulla communi Hispanica, hoc privilegio vescendi ovis &c. frui. At quidquid sit de hac ipsorum ratione, de qua nobis haud magnopere laborandum; Bullæ nostræ formula apertissime hanc eandem sententiam, sive rationem excludit; quæ profecto in priori Rescripto in hunc modum sese habet: *Omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus . . . . . privilegio vescendi, omnibus tam Dominicis, quam Ferialibus diebus Quadragesimæ, etiam Dominica in Palmis, & per Hebdomadam Majorem nuncupatam, ovis, & lacticiniis &c.* Ab hac porro concessione excluduntur Presbyteri Seculares, aliique ibidem recensiti. Cum itaque exceptio intelligenda sit de iisdem diebus, in quibus conceditur privilegium; quemadmodum Laici die

die Dominica Palmarum ex concessione Bullæ ovis, & lacticiniis vesci poterunt, ita & Presbyteri Seculares ab iisdem abstinere jubentur. Ergo non solum jejuniorum Quadragesimalium diebus, ut Presbyteri Seculares Hispani per suas Bullas juxta placita Salmanticens. & Trullenchi; sed etiam ceteris per Quadragesimam Dominicis diebus, & Dominica Palmarum, Presbyteri nostri Seculares, aliique memorati vi nostræ Bullæ arceantur a privilegio vescendi ovis, & lacticiniis; ac proinde ratio adducta per Salmanticenses pro nostris Presbyteris minime suffragatur. In secundo porro Brevi, quo memoratum privilegium vescendi ovis &c. ad Presbyteros, aliosque in primo exceptos extenditur nihil omnino adjungitur, quod nostram sententiam, quæ sola pro vera habenda est, vel leviter labefactare poterit; ut inibi videre licet. Etenim cum & ipsis in hoc posteriori Brevi conceditur hujusmodi privilegium, excipitur Hebdomada Major, cujusmodi exceptio quomodo sit intelligenda, jam diximus.

Q. XII. *Utrum Regulares privilegio vescendi ovis, & lacticiniis per nostram Bullam concesso frui possint?*

R. Neg. Idque profecto patet perquam luculentissime ex verbis prioris rescripti, seu Bullæ, ubi præter Archiepiscopos, Episcopos; &c. disertissimis etiam verbis arceantur ab hujusmodi concessione *cujusvis Regularis Ordinis Professores*, nisi ipsi cum

cum aliis inibi recensitis *sexagesimum ætatis annum compleverint*. Et licet in posteriori Rescripto hujusmodi concessio extensa fuisset ad Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros Seculares; nulla tamen, ut inibi observare licet de Regularibus mentio occurrit. Quapropter ipsi Regulares manent sub exceptione memorata prioris Rescripti, nec privilegium hujusmodi eisdem suffragatur. Hinc quam rectissime Salmanticenses hac eadem, ac nos, ratione freti hoc ipsum docuere de Regularibus Hispanicæ ditionis, quantum ad Bullam Cruciatæ Hispanicam, Consule eosdem *laud. Cap.* 5. *n.* 68.

Hæc porro sunt intelligenda de iisdem Regularibus licet ad Regularium Prælatorum munia sint evecti; ac proinde licet sint Generales, Provinciales, aut Præfecti, aut Abbates Monasteriorum, ab hujusmodi privilegio comedendi ova, & lacticinia exclusi habeantur oportet. Nec illis suffragari potest; quod per secundum Rescriptum hujusmodi concessio fuisset extensa etiam ad alios inferiores Prælatos præter Episcopos &c. Etenim, uti recte Salmanticenses *loc. cit.* nomine Prælatorum in hac Bulla, non sunt intelligendi Prælati Religionum; sed illi præcise, qui Ecclesiæ Prælati sunt. Insuper neque etiam intelligenda sunt de Dignitatibus, & Canonicis Regularibus; cum isti neque nomine Presbyterorum Secularium, neque Ecclesiæ Prælatorum, ad quos inter ce-

te-

teros facta fuit hujusmodi privilegii extensio, comprehendantur.

Q. XIII. *Quinam sint intelligendi nomine* Regularium, *qui exclusi habendi sunt ab hujusmodi privilegio?*

R. Nomine Regularium ii sunt intelligendi, qui in Religione a Sede Apostolica approbata, & coram legitimo Prælato tria vota substantialia, sive etiam simplicia emisere. Comprehenduntur etiam nomine Regularium, Laici, & Moniales Professæ; quia revera personæ Regulares sunt, & Bulla omnes personas Regulares absque ullo discrimine excludit ab hujusmodi privilegio. Haud tamen intelliguntur Novitii, antequam rite, & recte professionem emiserint; quia Regularium nomine in odiosis, & oneribus non comprehenduntur Novitii, Salmanticenses *laud. Cap.* 5. *Punct.* 2. *n.* 56. Trullenchus *Exposit. Bull. S. Cruc. Lib.* I. §. 4. *Dub.* 6.

Q. XIV. *Quid si contingat hujusmodi Regulares provehi ad munus Episcopale, num ipsi, non secus ac alii Episcopi gaudere possint hujusmodi privilegio?*

R. Affirmativam hac in re sententiam docent, ac tuentur Salmanticenses his permoti rationibus, I. Quia in secundo Brevi, quam *Bullam* ipsi vocant *Lacticiniorum*, memorata facultas comedendi ova, & lacticinia extenditur ad Episcopos &c. ceterosque Prælatos, nulla omnino apposita exceptione, aut limitatione

circa

circa Episcopos Regulares. Ergo omnes Episcopi, sive Regulares fuerint, necne, hujusmodi privilegio vescendi ovis &c. perfrui poterunt. II. Quia Regulares, evecti ad Episcopale munus, aut ad aliam Ecclesiasticam Prælaturam, immunes fiunt a jugo Religionis, nullamque ultra debent Regulæ subjectionem, nec ullum Regulare statutum, licet alioquin sub mortali obstringeret, servare tenentur, quamvis tribus substantialibus votis statum Religiosum constituentibus ligati permaneant. At Regulares nulla alia de caussa ab indulto vescendi ovis &c. excluduntur, nisi quia Regularibus observantiis ac statutis obstringuntur. Ergo cum ab hujusmodi eximuntur per Episcopales infulas, hoc privilegio una cum ceteris Episcopis potiri poterunt. III. Regularis, qui ex Regulæ præscripto a carnibus abstinere adstringebatur, si ad Episcopatum ipsum promoveri contingat, poterit uti privilegio comedendi carnes die Veneris, si in illam inciderit dies Natalitia Christi Domini; licet in *Cap.* Explicari *De Observant. Jejun.* hujusmodi Regulares excludebantur a dicto privilegio. Ergo & promoti ad Episcopatum, & ipsi frui poterunt privilegio vescendi ovis &c. per Bullam nostram concesso, licet propter Regularem observantiam antea inde excluderentur. Hæc sane Salmanticenses loquentes de Bulla Cruciatæ Hispanica, quæ & in nostram pariter Bullam mirifi-

ce

ce quadrant, uti nemo non videt, quia par utriusque hac in re caussa est. Quam quidem recensitam Salmanticensium sententiam absolute reprobare non audemus. Legesis laud. Theologos *in Append. sæpius laud. Cap.* 5. *Punct.* 3. *n.* 69.

Quid si Regularis ex quarto voto, ab iisdem abstinere cogebatur, uti sunt Minimi, *num factus Episcopus hujusmodi privilegio per Bullam concesso frui poterit?*

Affirmative etiam respondent laudati Salmaticenses, idque etiam uti probabilius tuentur adversus Mendo contraria hac in re opinantem. Hujusmodi enim quartum votum non pertinet ad essentiam status Religiosi, uti patet: sed ei per accidens conjungitur, quatenus ex Regulæ præscripto in professione a dictis Religiosis facienda, una cum aliis erit emittendum. Ergo si per Episcopatum a Regularibus observantiis eximuntur, a vinculo hujusce etiam quarti voti fient immunes; ac proinde non secus, ac ceteri Episcopi sive Seculares, sive Regulares, Bullam recipiendo, vescendi ovis &c. privilegio uti poterunt.

Nihilominus Cl. Lucius Ferrari in sua *Bibliotheca* verb. *Bull. Cruciat. n.* 35. oppositum edocuit, addiditque tres Summos Pontifices Paulum V. Gregorium XV. atque Urbanum VIII. dispensasse cum tribus Episcopis ex Minimorum Familia ad Episcopatum evectis; unde luculenter eruitur, eosdem per Episcopales in-

insulas non eximi ab obligatione, qua prius, etiam vinculo voti eos adstringente, tenebantur, etiam a lacticiniis abstinendi toto vitæ decursu. Et ipsum Urbanum VIII. in examine P. Francisci Castellani pro Episcopatu Capruliensi, qui ad interrogationem: An factus Episcopus teneretur ad votum vitæ Quadragesimalis, responderat, non teneri, dixisse fertur: *Errasti, teneris enim*. Unde factum est, ut parum abfuerit, quin excluderetur, nec voluisse Summum Pontificem cum illo hac in re dispensare. Quantum vero spectat ad ceteros Regulares ad Episcopale munus evectos, num Bullæ privilegium eisdem suffragetur, ut ova, & lacticinia comedere possint, jejuniorum atque Quadragesimalium dierum temporibus, negativæ sententiæ etiam adhæret Auctor quidam inter Theologos atque oppositam *ut nimis laxam* sugillat. At Salmanticensium, quantum ad postremum caput de ceteris Episcopis Regularibus opinio, non contemnendis fulcitur rationibus, quare illam *ut nimis laxam* notare non audemus cui etiam adstipulatur L. Lucius Ferrari *loc. cit.*

Q. XV. *Quo ex tempore Regulares Episcopi hujusmodi privilegio uti potuerunt?*

R. Statim ac fuere a Summo Pontifice confirmati, Bullam recipiendo ovis, & lacticiniis, una cum aliis, diebus vetitis vesci poterunt. Etenim cum electioni accedet confirmatio, tum gaudere incipient spirituali jurisdictione juxta *Cap.* Nostri 9. & *Cap.* Qualiter 17. *De Electione*;

 ar-

atque tunc etiam immunitatem adipiscuntur a Regularibus Statutis, sive observantiis.

Quid si hujusmodi Episcopi Episcopali muneri renuntiarunt, aut ab eo fuerint depositi?

R. Eos adhuc uti posse hoc privilegio, cum in ipsis, etiam post renuntiationem, aut depositionem, adhuc remaneat status, & dignitas Episcopalis; secus vero si fuissent degradati.

Demum Episcopos *titulares* hoc etiam privilegio per Bullam concesso frui posse indubium videtur.

Q. XVI. *Num ille, qui jejunium voverit, aut cui a Confessario in satisfactionem jejunium fuerit imperatum, eidem pro suo munere satisfecisse censendus sit, si ovis, & lacticiniis ex facultate nostræ Bullæ vescatur?*

R. Certum omnino, atque pro explorato habendum, illum, qui jejunium vovisset cum animo, & voluntate abstinendi etiam ab ovis, & lacticiniis, ut votum nuncupatum servet, omnino adstringi ab iisdem semet temperare, atque abstinere, licet Bullæ Cruciatæ privilegiis perfruatur. Quemadmodum enim voluntas voventis fons est, atque origo obligationis ad complendum votum, ita & ejusdem obligationis mensura, seu modus ab eadem voventis voluntate repetenda est. Quapropter si ille, qui vovit jejunium, ab iisdem ovis &c. abstinere in animo habuit, voluit, atque promisit, omnino ab illis abstinere debet, ut promis-

missum jejunium in Dei cultum exhibeat, privilegio nostræ Bullæ nullatenus hac in re eidem suffragante. Idem quoque omnino adserendum de jejunio a Confessario præscripto loco Sacramentalis satisfactionis, cum voluntate atque intentione, ut ab iisdem abstineatur, ut imposito præcepto satisfiat. Etenim Confessarius satisfactionem imponendo potestate a Christo accepta ligat, obligat, atque adstringit ad complendum opus injunctum, quemadmodum & ad singulas ejusdem operis partes una cum omnibus circumstantiis præscriptis. Hæc sane, uti patet, extra omnem controversiæ aleam sunt reposita.

At quid erit hac in re dicendum, si neque de voventis intentione, neque de Confessarii voluntate constet?

R. Sanchez *in Decalog. Lib IV. Cap.* 11. *num.* 49. & post ipsum Salmanticenses *Appen. laud. Cap* 5. *Punct.* 2. *n.* 46. in ea fuere sententia, ut arbitrarentur, hujusmodi voventem jejunium, si Bullæ Cruciatæ privilegiis perfruatur, satisfacere posse jejunio promisso per votum, etiam lacticinia comedendo, ea ratione freti; quia hujusmodi vovens non est censendus aliud jejunium promisisse, quam illud, quod servatur juxta morem Provinciæ, in qua vovens degat, aut lege Ecclesiastica præcipitur. Sed juxta morem Regionis, satisfit jejunio, servando abstinentiam a carnibus, licet quis utatur ovis, & lacticiniis, cum per facultatem Bullæ Cruciatæ hæc sint permissa.

 Ergo

incipiendo ab ipsa Dominica die; qua de re nec ipsi Salmanticenses dubitant, uti videre est *laud. Cap.* 3. *Punct.* 1. §. 3. *num.* 35. Sed exceptio apposita in secundo Rescripto pro Presbyteris Secularibus de integra Hebdomada Majori est accipienda, uti patet. Ergo & Dominica dies Palmarum sub ea exceptione comprehendi debet.

II. Quandocumque aliquid collective prohibetur, prohibitio est intelligenda de omnibus illis, quæ sub collectione continentur. Sed Dominica dies Palmarum continetur sub collectione Majoris Hebdomadæ exceptæ. Ergo de illa quoque intelligi debet prohibitio, seu interdictum comedendi ova, & lacticinia. Ac prohinde Presbyteri Seculares, aliique ibidem recensiti, qui Hebdomada Majori recurrente abstinere jubentur a privilegio memorato. Dominica quoque die Palmarum ab ejusdem usu abstinere debent.

Hæc sane compertissima sunt, ac satis per sese explorata; adeo ut diutius in hisce probandis immorari esset otio abuti; præsertim cum & ipsi contrariæ sententiæ patrocinatores eadem ipsa in dubium revocare nec audent, nec possunt. Quare diversa adducti ratione contrariam sententiam, loquentes de Bulla Hispanica, suadere studebant.

Huc etiam accedit, quod & ipsa ratio, cui ipsi innitebantur, parum, aut etiam nihil pro re nostra facit; siquidem in no-

noſtra Bulla diverſa hac in re occurrit conceſſionis formula, ac in Bulla Hiſpana. Bulla enim Hiſpanica, uti videre licet, apud eoſdem Salmanticenſes *laud. Cap.* 5. *&c.* privilegium, ſive facultatem comedendi ova, & lacticinia jejuniorum diebus; *ſive temporibus jejuniorum totius anni, etiam Quadrageſimalibus* concedebat; quare, ut ipſi deducebant, iiſdem tantum jejuniorum diebus Presbyteri Seculares, aliique memorati abſtinere per Bullam hoc privilegio jubebantur, non vero Dominicis diebus Quadrageſimæ, qui non jejunii, ſed abſtinentiæ tantummodo dies ſunt. Quare ipſi poterant Presbyteri, recepta Bulla communi Hiſpanica, hoc privilegio veſcendi ovis &c. frui. At quidquid ſit de hac ipſorum ratione, de qua nobis haud magnopere laborandum; Bullæ noſtræ formula apertiſſime hanc eandem ſententiam, ſive rationem excludit; quæ profecto in priori Reſcripto in hunc modum ſeſe habet: *Omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus . . . . . privilegio veſcendi, omnibus tam Dominicis, quam Ferialibus diebus Quadrageſimæ, etiam Dominica in Palmis, & per Hebdomadam Majorem nuncupatam, ovis, & lacticiniis &c.* Ab hac porro conceſſione excluduntur Presbyteri Seculares, aliique ibidem recenſiti. Cum itaque exceptio intelligenda ſit de iiſdem diebus, in quibus conceditur privilegium; quemadmodum Laici die

die Dominica Palmarum ex concessione Bullæ ovis, & lacticiniis vesci poterunt, ita & Presbyteri Seculares ab iisdem abstinere jubentur. Ergo non solum jejuniorum Quadragesimalium diebus, ut Presbyteri Seculares Hispani per suas Bullas juxta placita Salmanticens. & Trullenchi; sed etiam ceteris per Quadragesimam Dominicis diebus, & Dominica Palmarum, Presbyteri nostri Seculares, aliique memorati vi nostræ Bullæ arcentur a privilegio vescendi ovis, & lacticiniis; ac proinde ratio adducta per Salmanticenses pro nostris Presbyteris minime suffragatur. In secundo porro Brevi, quo memoratum privilegium vescendi ovis &c. ad Presbyteros, aliosque in primo exceptos extenditur nihil omnino adjungitur, quod nostram sententiam, quæ sola pro vera habenda est, vel leviter labefactare poterit; ut inibi videre licet. Etenim cum & ipsis in hoc posteriori Brevi conceditur hujusmodi privilegium, excipitur Hebdomada Major, cujusmodi exceptio quomodo sit intelligenda, jam diximus.

Q. XII. *Utrum Regulares privilegio vescendi ovis, & lacticiniis per nostram Bullam concesso frui possint?*

R. Neg. Idque profecto patet perquam luculentissime ex verbis prioris rescripti, seu Bullæ, ubi præter Archiepiscopos, Episcopos; &c. disertissimis etiam verbis arcentur ab hujusmodi concessione *cujusvis Regularis Ordinis Professores*, nisi ipsi cum

cum aliis inibi recensitis *sexagesimum ætatis annum compleverint*. Et licet in posteriori Rescripto hujusmodi concessio extensa fuisset ad Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros Seculares; nulla tamen, ut inibi observare licet de Regularibus mentio occurrit. Quapropter ipsi Regulares manent sub exceptione memoratæ prioris Rescripti, nec privilegium hujusmodi eisdem suffragatur. Hinc quam rectissime Salmanticenses hac eadem, ac nos, ratione freti hoc ipsum docuere de Regularibus Hispanicæ ditionis, quantum ad Bullam Cruciatæ Hispanicam, Consule eosdem *laud. Cap.* 5. *n.* 68.

Hæc porro sunt intelligenda de iisdem Regularibus licet ad Regularium Prælatorum munia sint evecti; ac proinde licet sint Generales, Provinciales, aut Præfecti, aut Abbates Monasteriorum, ab hujusmodi privilegio comedendi ova, & lacticinia exclusi habeantur oportet. Nec illis suffragari potest, quod per secundum Rescriptum hujusmodi concessio fuisset extensa etiam ad alios inferiores Prælatos præter Episcopos &c. Etenim, uti recte Salmanticenses *loc. cit.* nomine Prælatorum in hac Bulla, non sunt intelligendi Prælati Religionum; sed illi præcise, qui Ecclesiæ Prælati sunt. Insuper neque etiam intelligenda sunt de Dignitatibus, & Canonicis Regularibus; cum isti neque nomine Presbyterorum Secularium, neque Ecclesiæ Prælatorum, ad quos inter ce-

te-

teros facta fuit hujusmodi privilegii extensio, comprehendantur.

Q. XIII. *Quinam sint intelligendi nomine* Regularium, *qui exclusi habendi sunt ab hujusmodi privilegio?*

R. Nomine Regularium ii sunt intelligendi, qui in Religione a Sede Apostolica approbata, & coram legitimo Prælato tria vota substantialia, sive etiam simplicia emisere. Comprehenduntur etiam nomine Regularium, Laici, & Moniales Professæ; quia revera personæ Regulares sunt, & Bulla omnes personas Regulares absque ullo discrimine excludit ab hujusmodi privilegio. Haud tamen intelliguntur Novitii, antequam rite, & recte professionem emiserint; quia Regularium nomine in odiosis, & oneribus non comprehenduntur Novitii, Salmanticenses *laud. Cap.* 5. *Punct.* 2. *n.* 56. Trullenchus *Exposit. Bull. S. Cruc. Lib.* I. §. 4. *Dub.* 6.

Q. XIV. *Quid si contingat hujusmodi Regulares provehi ad munus Episcopale, num ipsi, non secus ac alii Episcopi gaudere possint hujusmodi privilegio?*

R. Affirmativam hac in re sententiam docent, ac tuentur Salmanticenses his permoti rationibus, I. Quia in secundo Brevi, quam *Bullam* ipsi vocant *Lacticiniorum*, memorata facultas comedendi ova, & lacticinia extenditur ad Episcopos &c. ceterosque Prælatos, nulla omnino apposita exceptione, aut limitatione circa

circa Episcopos Regulares. Ergo omnes Episcopi, sive Regulares fuerint, necne, hujusmodi privilegio vescendi ovis &c. perfrui poterunt. II. Quia Regulares, evecti ad Episcopale munus, aut ad aliam Ecclesiasticam Prælaturam, immunes fiunt a jugo Religionis, nullamque ultra debent Regulæ subjectionem, nec ullum Regulare statutum, licet alioquin sub mortali obstringeret, servare tenentur, quamvis tribus substantialibus votis statum Religiosum constituentibus ligati permaneant. At Regulares nulla alia de caussa ab indulto vescendi ovis &c. excluduntur, nisi quia Regularibus observantiis ac statutis obstringuntur. Ergo cum ab hujusmodi eximuntur per Episcopales infulas, hoc privilegio una cum ceteris Episcopis potiri poterunt. III. Regularis, qui ex Regulæ præscripto a carnibus abstinere adstringebatur, si ad Episcopatum ipsum promoveri contingat, poterit uti privilegio comedendi carnes die Veneris, si in illam inciderit dies Natalitia Christi Domini; licet in *Cap.* Explicari *De Observant. Jejun.* hujusmodi Regulares excludebantur a dicto privilegio. Ergo & promoti ad Episcopatum, & ipsi frui poterunt privilegio vescendi ovis &c. per Bullam nostram concesso, licet propter Regularem observantiam antea inde excluderentur. Hæc sane Salmanticenses loquentes de Bulla Cruciatæ Hispanica, quæ & in nostram pariter Bullam mirifi-

ce quadrant, uti nemo non videt, quia par utriusque hac in re caussa est. Quam quidem recensitam Salmanticensium sententiam absolute reprobare non audemus. Legesis laud. Theologos *in Append. sæpius laud. Cap.* 5. *Punct.* 3. *n.* 69.

Quid si Regularis ex quarto voto, ab iisdem abstinere cogebatur, uti sunt Minimi, *num factus Episcopus hujusmodi privilegio per Bullam concesso frui poterit?*

Affirmative etiam respondent laudati Salmaticenses, idque etiam uti probabilius tuentur adversus Mendo contraria hac in re opinantem. Hujusmodi enim quartum votum non pertinet ad essentiam status Religiosi; uti patet: sed ei per accidens conjungitur, quatenus ex Regulæ præscripto in professione a dictis Religiosis facienda, una cum aliis erit emittendum. Ergo si per Episcopatum a Regularibus observantiis eximuntur, a vinculo hujusce etiam quarti voti fient immunes; ac proinde non secus, ac ceteri Episcopi sive Seculares, sive Regulares, Bullam recipiendo, vescendi ovis &c. privilegio uti poterunt.

Nihilominus Cl. Lucius Ferrari in sua *Bibliotheca* verb. *Bull. Cruciat. n.* 35. oppositum edocuit, addiditque tres Summos Pontifices Paulum V. Gregorium XV. atque Urbanum VIII. dispensasse cum tribus Episcopis ex Minimorum Familia ad Episcopatum evectis; unde luculenter eruitur, eosdem per Episcopales in-

insulas non eximi ab obligatione, qua prius, etiam vinculo voti eos adstringente, tenebantur, etiam a lacticiniis abstinendi toto vitæ decursu. Et ipsum Urbanum VIII. in examine P. Francisci Castellani pro Episcopatu Caprulienst, qui ad interrogationem: An factus Episcopus teneretur ad votum vitæ Quadragesimalis, responderat, non teneri, dixisse fertur: *Errasti, teneris enim*. Unde factum est, ut parum abfuerit, quin excluderetur, nec voluisse Summum Pontificem cum illo hac in re dispensare. Quantum vero spectat ad ceteros Regulares ad Episcopale munus evectos, num Bullæ privilegium eisdem suffragetur, ut ova, & lacticinia comedere possint, jejuniorum atque Quadragesimalium dierum temporibus, negativæ sententiæ etiam adhæret Auctor quidam inter Theologos atque oppositam *ut nimis laxam* sugillat. At Salmanticensium, quantum ad postremum caput de ceteris Episcopis Regularibus opinio, non contemnendis fulcitur rationibus, quare illam *ut nimis laxam* notare non audemus cui etiam adstipulatur L. Lucius Ferrari, *loc. cit.*

Q XV. *Quo ex tempore Regulares Episcopi hujusmodi privilegio uti potuerunt?*

R. Statim ac fuere a Summo Pontifice confirmati, Bullam recipiendo ovis, & lacticiniis, una cum aliis, diebus vetitis vesci poterunt. Etenim cum electioni accedet confirmatio, tum gaudere incipient spirituali jurisdictione juxta *Cap.* Nostri 9. & *Cap.* Qualiter 17. *De Electione*;

 ar-

atque tunc etiam immunitatem adipiscuntur a Regularibus Statutis, sive observantiis.

Quid si hujusmodi Episcopi Episcopali muneri renuntiarunt, aut ab eo fuerint depositi?

R. Eos adhuc uti posse hoc privilegio, cum in ipsis, etiam post renuntiationem, aut depositionem, adhuc remaneat status, & dignitas Episcopalis; secus vero si fuissent degradati.

Demum Episcopos *titulares* hoc etiam privilegio per Bullam concesso frui posse indubium videtur.

Q. XVI. *Num ille, qui jejunium voverit, aut cui a Confessario in satisfactionem jejunium fuerit imperatum, eidem pro suo munere satisfecisse censendus sit, si ovis, & lacticiniis ex facultate nostræ Bullæ vescatur?*

R. Certum omnino, atque pro explorato habendum, illum, qui jejunium vovisset cum animo, & voluntate abstinendi etiam ab ovis, & lacticiniis, ut votum nuncupatum servet, omnino adstringi ab iisdem semet temperare, atque abstinere, licet Bullæ Cruciatæ privilegiis perfruatur. Quemadmodum enim voluntas voventis fons est, atque origo obligationis ad complendum votum, ita & ejusdem obligationis mensura, seu modus ab eadem voventis voluntate repetenda est. Quapropter si ille, qui vovit jejunium, ab iisdem ovis &c. abstinere in animo habuit, voluit, atque promisit, omnino ab illis abstinere debet, ut promis-

missum jejunium in Dei cultum exhibeat, privilegio nostræ Bullæ nullatenus hac in re eidem suffragante. Idem quoque omnino adserendum de jejunio a Confessario præscripto loco Sacramentalis satisfactionis, cum voluntate atque intentione, ut ab iisdem abstineatur, ut imposito præcepto satisfiat. Etenim Confessarius satisfactionem imponendo potestate a Christo accepta ligat, obligat, atque adstringit ad complendum opus injunctum, quemadmodum & ad singulas ejusdem operis partes una cum omnibus circumstantiis præscriptis. Hæc sane, uti patet, extra omnem controversiæ aleam sunt reposita.

At quid erit hac in re dicendum, si neque de voventis intentione, neque de Confessarii voluntate constet?

R. Sanchez *in Decalog. Lib IV. Cap.* 11. *num.* 49. & post ipsum Salmanticenses *Appen. laud. Cap* 5. *Punct.* 2. *n.* 46. in ea fuere sententia, ut arbitrarentur, hujusmodi voventem jejunium, si Bullæ Cruciatæ privilegiis perfruatur, satisfacere posse jejunio promisso per votum, etiam lacticinia comedendo, ea ratione freti; quia hujusmodi vovens non est censendus aliud jejunium promisisse, quam illud, quod servatur juxta morem Provinciæ, in qua vovens degat, aut lege Ecclesiastica præcipitur. Sed juxta morem Regionis, satisfit jejunio, servando abstinentiam a carnibus, licet quis utatur ovis, & lacticiniis, cum per facultatem Bullæ Cruciatæ hæc sint permissa.

Ergo &c. Idem quoque docent de jejunio a Confessario præscripto, aut de jejunio indicto caussa Jubilæi. Verum hæc nobis minime probantur. Quare potius cum cl. Navarro adserendum arbitramur oppositum.

Dicimus itaque: *Bullam Cruciatæ habentes, atque jejunium voventes, ut voti obligationi satisfacere possint, ab ovis, & lacticiniis omnino abstinere debent.*

Prob. I. Quia licet in Bulla Cruciatæ dicatur, uti in Hispanica, quod comedentes ex privilegio Bullæ ova, & lacticinia, si in ceteris jejunii formam servaverint, jejunii præcepto satisfaciant; hoc tamen de solis jejuniis ab Ecclesia præscriptis est intelligendum. Quod patet ex iisdem Bullis, in quibus adjungitur vox *præfatum*, aut *hujusmodi*, quæ sunt restrictiva ad illud quod refertur, nempe ad sola jejunia Ecclesiastica. Quod quidem evidentius patet ex nostra Bulla, ubi non occurrit eadem formula, ac in Bulla Hispanica.

II. Dispensationes, quæ exorbitant a jure communi, cujusmodi est privilegium hujusmodi per Bullam Cruciatæ concessum, sunt odiosæ, & restringendæ. *Cap.* Quæ 28 *Cap.* Odia 15. *De Regul. Jur. in* 6. & *Lege* Papinianus 20 *ff. De Minoribus*. Ergo &c.

III. Licet ille, qui voverit jejunium, censeatur illud fuisse pollicitus Deo juxta morem suæ Regionis, in qua degit; moris tamen nomine non illud erit intelligendum, quod aliquibus tantum apud nos ratione privilegii competit; sed quod a ce-

ceteris communiter servatur. Atqui si aliquos excipias, qui privilegiis Bullæ Cruciatæ perfruuntur, ceteri communiter jejunia servant ab ovis etiam, & lacticiniis sese temperando. Ergo & istud quoque pollicitus censetur ille, qui jejunium vovit, atque vovisse intelligendus est juxta consuetudinem, ac morem Regionis, in quā degit.

IV. Demum eo ipso, quod per votum injungitur jejunium, injungi censetur eo modo, quod ab Ecclesia institutum est non solum quod ad essentialia pertinet, uti est unica comestio, atque abstinentia a carnibus; sed etiam quod spectat ad circumstantias jejunio adnexas. Atqui omne jejunium exquirit abstinentiam a lacticiniis, vel ex juris præcepto, veluti in Quadragesima, vel saltem ex consuetudine, ut in aliis per annum jejuniis, atque hoc tamquam circumstantiam jejunio adnexam. Quæ circumstantia non est omnino extrinseca, & accidentalis jejunio, sed valde intrinseca; cum pertineat ad abstinentiam, & finem jejunii, scilicet ad carnis macerationem: ut pertinet hora comestionis. Ergo &c.

Atque hæc sane intelligenda sunt non solum de jejuniis, quæ Quadregesimali tempore ex voto sunt persolvenda, sed etiam de aliis per annum jejuniorum diebus; cum æque apud nos tam in Quadragesima, quam in alis jejuniorum diebus nobis a lacticiniis, præciso Bullæ Cruciatæ privilegio, sit abstinendum.

Hæc porro quæ diximus de perfruenti-

bus Bullæ privilegiis, & jejunium voventibus, nempe quod iis abstinendum sit a lacticiniis, ut voti obligationi satisfacere possint, intelligenda quoque jubet laud. Cl. Navarrus de jejuniis a Confessario impositis loco sacramentalis satisfactionis, ac etiam de jejuniis, quæ indici solent Jubilæi tempore ad promissam Indulgentiam adsequendam. Lege laud. Canonum Interpretem Consilior. *Lib. III. De Observant. Jejunior. Consil. V. & VI.*

Demum quod Sanchez laud. docet, Bullæ Cruciatæ privilegiis non perfruentem, si jejunium voverit extra Quadragesimale tempus, pro libito posse ovis & lacticiniis vesci, promissum votum hac ratione minime infringendo; hoc sane apud ipsos locum habet, qui contendunt in Hispaniarum Regnis, jejunia extra Quadragesimam non adstringere ad abstinentiam a lacticiniis; sive ex consuetudine iisdem in Regionibus vigente, licere aliis jejuniorum diebus extra Quadragesimam pro lubitu iisdem vesci. Qua de re legi poterunt Hispanici Scriptores Salmanticenses, Sanchez, Trullench. Verum apud nos aliter sese res habet, uti jam probatum est. Quemadmodum etiam nec illud nobis probatur, quod docet laud. Sanch. *loc. cit.* nimirum hujusmodi non perfruentem Bullæ privilegiis, & jejunium ex voto in Quadragesima persoluturum, si ova & lacticinia comederit, non peccare contra votum promissum, sed tantummodo contra præceptum Ecclesiæ; quasi sit aliquid omnino distinctum a je-

ju-

junio. præceptum Ecclesiæ abstinendi a lacticiniis; quod jejunium profecto, cum per votum fuerit promissum, qui illud violaverit lacticinia, aut ova comedendo, in votum etiam peccet necesse est. Quare hæc merito, uti videtur, nobis minime probantur. Qua de re consule si lubet laud. Trullench. Exposit. *Bull. Cruciat. Lib. I.* §. 4. *Dub.* 8. *num.* 5. At in Bullæ nostræ Cruciatæ concessionibus elucidandis satis superque immorati videmur, nec injuria; argumenti enim gravitas simul ac dignitas arctioribus confiniis non erat coarctanda. At quoniam aliæ difficultates ac dubitationes subindo postea emerserunt circa concessiones dictæ Bullæ duabus peculiaribus Appendicibus, quæ ordine sequentur iis visum fuit occurrere; ubi & alia scitu necessaria adjuncta fuere.

FINIS TOM. I.

pro-

Q. IV.

Q XXX

X. Q.

FINIS